

32
10 E
18



THEOLOGIÆ MORALIS
COMPENDIUM.

THEOLOGIÆ MORALIS
COMPENDIUM

AB ILLUSTRISS., ET REVERENDISS. DOMINO

JOSEPHO SEGNA

MARSORUM EPISCOPO

BREVITER CONCINNATUM

AD USUM

SEMINARII SUÆ DIOECESIS ec.

TOM. I.






AQUILÆ

Typis Aloysii Rietelli

1833.



JOSEPH SEGNA

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS MARSORUM,

PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS,

EIDEMQUE S. SEDI IMMEDIATE SUBJECTUS,

SUI SEMINARII CONVICTORIBUS, ET ALUMNIS.

Quod tanto studio expostularunt juvenes illi, qui in hoc Marsorum Seminario ante vos in Theologico-Moralibus scientiis instituti fuerunt; vosque ipsi a mea imbecillitate tantopere exoptastis; ut scilicet prosequerer, ac opere complerem Morales illas Quæstiones omnium captui accommodatas, quas jussu præclarissimi mei Prædecessoris (a) conscribere inceperam, cum ad regen-

(a) D. Francisci Saverii Durini nunc Episcopi Aversæ.

dum hunc sacrum locum fui ab ipso obligatus; licet tot curis distentus, et multo magis ætate senili ad elucubrandum non satis apta me sentirem gravatum: nihilominus, ut quoquo modo vobis, aliisque, qui post vos venturi sint, potuissem prodesse, laboriosum opus vacuis mihi horis fui prosecutus; et totum Cursum Theologiæ Moralis in Compendium redactæ, Deo favente, complevi. Cum probe scirem, non omnes, qui Scholas fræquentant, sublimi, aut saltem mediocri acumine pollere; quinimo non paucos existere, qui tardioris sunt ingenii, crassæque minervæ: hinc postposito sublimitatis stylo, verbisque selectis, totum meum studium in eo positum credidi, ut quicumque, etiamsi exiguis sit præditus talentis, possit quæ legit intelligere, et intellecta memoriæ retinere. Doctrina, quam in hoc Compendio reperietis, quamvis a me concinnata, non est

mea, sed S. Scripturæ, Conciliorum, Sacrorum Canonum, Ecclesiæ decisionum, graviumque Doctorum, et præsertim B. Alphonsi Mariæ de Ligorio Episcopi S. Agathæ Gothorum; viri, qui ad summam doctrinam, et sanctitatem triginta et amplius adjunxit Sacrarum missionum exercitium et experimentum; viri in cujus Operibus licet tot numero, disparisque materiei; ex declaratione S. R. Congregationis sub die 14. Maji 1803. adprobante Pio VII. die 18. ejusdem mensis, *nil censura dignum fuerit repertum.* Restat nunc, ut huic studio Ecclesiasticis viris tam necessario totam operam navetis, ut quæ legetis probe callentes; et vobis, et animabus Christi sanguine redemptis, quæ forsan quadam die vestræ curæ tradentur, valeatis prodesse. Orate interim pro me vestro indigno Pastore: dum toto cordis affectu Pastoralem vobis impertior benedictionem.

INDEX

LIBRORUM, TRACTATUUM, CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM.

LIBER I.

De Conscientia, Actibus humanis, Legibus in genere, et de Peccatis. pag. 2.

TRACTATUS I.

De Conscientia, et Actibus humanis. pag. ibid.
ARTICULUS I. *De Actibus humanis.* pag. ibid.
CAPUT I. *De Voluntario.* pag. 3.
CAPUT II. *De Libero.* pag. 9.
CAPUT III. *De Moralitate Actuum humanorum.* pag. 10.
ARTICULUS II. *De Conscientia.* pag. 14.
CAPUT I. *De Conscientia recta, et erronea.* pag. 15.
CAPUT II. *De Conscientia perplexa, scrupulosa, et laxa.* pag. 18.
CAPUT III. *De Conscientia certa, et dubia.* pag. 21.
CAPUT IV. *De Conscientia probabili.* pag. 24.

TRACTATUS II.

De Legibus. pag. 35.
ARTICULUS I. *De Legibus in genere.* pag. ibid.
CAPUT I. *De potestate ferendi Leges, et de earum obligatione.* pag. 36.
CAPUT. II. *De Subjecto Legum, seu*

de iis, qui ad Leges observandas tenentur. pag. 44.
CAPUT III. *De modo adimplendi Leges.* pag. 50.
ARTICULUS II. *De iis, quæ excusant ab observatione Legis, ac Præcepti.* pag. 56.
CAPUT I. *De Cessatione causæ finalis, et Abrogatione.* pag. ibid.
CAPUT II. *De Interpretatione, et Epicheja.* pag. 60.
CAPUT III. *De Dispensatione.* pag. 64.
§. I. *De eo, qui potest dispensare.* pag. ibid.
§. II. *De causa Dispensationis.* pag. 69.
§. III. *De cessatione dispensationis.* pag. 74.
§. IV. *De Dispensationibus, et aliis Facultatibus sacræ Pœnitentiariæ.* pag. 77.
CAPUT IV. *De privilegiis.* pag. 81.
CAPUT V. *De Consuetudine.* pag. 84.
CAPUT VI. *De Ignorantia, Impotentia, Coactione, Concupiscentia, et Metu.* pag. 89.

TRACTATUS III.

De Peccatis. pag. 93.
ARTICULUS I. *De Peccatis in genere.* pag. 94.
CAPUT I. *De notione, et divisione Peccati.* pag. ibid.
§. I. *De Peccato mortali, et veniali.* pag. 97.
§. II. *De Peccatis internis.* pag. 100.
§. III. *De aliis circumstantiis cir-*

ca delectationem morosam, et desideria prava. pag. 103.
§. IV. *De Peccatis omissionis.* pag. 107
CAPUT II. *De conditionibus ad Peccatum requisitis.* pag. 109.
§. I. *De notione, et divisione advertentiæ.* pag. 110.
§. II. *De notione, et divisione consensus.* pag. 114.
CAPUT III. *De Occasione, et Periculo Peccati.* pag. 116.
§. I. *De Occasione peccandi.* pag. 117.
§. II. *De Periculo peccandi.* pag. 120.
CAPUT IV. *De Distinctione specifica Peccatorum.* pag. 122.
CAPUT V. *De Distinctione numerica Peccatorum.* pag. 126.
CAPUT VI. *De Remissione Peccatorum.* pag. 131.
ARTICULUS II. *De Peccatis in specie, seu de Vitiis, et Peccatis capitalibus.* pag. 133.
CAPUT I. *De Superbia.* pag. ibid.
CAPUT II. *De Avaritia.* pag. 139.
CAPUT III. *De Luxuria.* pag. 141.
CAPUT IV. *De Ira.* pag. 144.
COPUT V. *De Gula.* pag. 147.
CAPUT VI. *De Invidia.* pag. 151.
CAPUT VII. *De Acedia.* pag. 153.

LIBER II.

De Præceptis Decalogi, et Ecclesiæ. pag. 157.
De I. Præcepto Decalogi. pag. ibid.

TRACTATUS I.

De Fide, Spe, et Charitàte. pag. 157.
ARTICULUS I. *De Fide Theologica.* pag. 158.
CAPUT I. *De Fidei Natura, Objecto, et Divisione.* pag. ibid.
CAPUT II. *De Fidei Necessitate.* pag. 160.
§. I. *De Necessitate credendi, et sciendi.* pag. ibid.
§. II. *De Necessitate Fidei actus eliciendi.* pag. 162.
§. III. *De Necessitate Fidem externe profitendi.* pag. 163.
§. IV. *De Necessitate nec exterius quidem Fidem negandi.* pag. 166.
CAPUT III. *De Vitio opposito Fidei, seu de Infidelitate.* pag. 168.
§. I. *De Paganismo, et Judaismo.* pag. 169.
§. II. *De Hæresi.* pag. 170.
§. III. *De Apostasia, et Schismate.* pag. 173.
§. IV. *De Libris prohibitis.* pag. 174.
ARTICULUS II. *De Spe Theologica.* pag. 177.
CAPUT I. *De Spei Natura, Objecto, et Divisione.* pag. ibid.
§. I. *De Necessitate Spei actus eliciendi.* pag. 178.
§. II. *De Vitiis Spei oppositis.* pag. 179.
ARTICULUS III. *De Charitate Theologica.* pag. 180.
CAPUT I. *De Charitatis Natura, et Objecto.* pag. ibid.
CUPUT II. *De Præcepto Charitatis erga Deum.* pag. 181.
§. I. *De modo diligendi Deum.* pag. ibid.
§. II. *De tempore, quo potissi-*

mum urget Charitatis præceptum. pag. 184.
§. III. *De Peccatis oppositis Charitati erga Deum.* pag. 186.
Caput III. *De Charitate erga Proximum.* pag. ibid.
Caput IV. *De Modo diligendi Proximum.* pag. 188.
§. I. *De Eleemosyna.* pag. 191.
§. II. *De Correctione fraterna.* pag. 197.
Caput V. *De Vitiis oppositis Charitati erga Proximum.* pag. 201.
§. I. *De Odio.* pag. ibid.
§. II. *De Imprecationibus.* pag. 206.
§. III. *De Scandalo.* pag. 210.

TRACTATUS II.

De Religione. pag. 216.
ARTICULUS I. *De Religionis Natura, Objecto, Cultu, et Actibus.* pag. 217.
Caput I. *De Devotione.* pag. 219.
Caput. II. *De Oratione.* pag. 220.
§. I. *De Necessitate Orationis.* pag. 222.
§. II. *De Orationis Objecto.* pag. 225.
§. III. *De conditionibus Orationis.* pag. 228.
Caput III. *De Horis Canonicis.* pag. 231.
§. I. *De iis, qui ad Horas Canonicas sunt obligati.* pag. 232.
§. II. *De continuatione Divini Officii.* pag. 235.
§. III. *De qualitate, et ordine Divini Officii.* pag. 237.
§. IV. *De tempore, loco, situ, et voce Divini Officii recitandi.* pag. 241.
§. V. *De modo recitandi Divinum Officium.* pag. 244.

§. VI. *De causis excusantibus a recitatione Divini Officii.* pag. 246.
§. VII. *De Officii recitatione in Choro.* pag. 250.
§. VIII. *De Pœnis Horas non recitantium.* pag. 253.
ARTICULUS II. *De Vitiis Religioni oppositis.* pag. 256.
CAPUT I. *De Superstitione, ejusque speciebus.* pag. 257.
CAPUT. II. *De Irreligiositate.* pag. 259.
§. I. *De Blasphemia, et Dei Tentatione.* pag. 260.
§. II. *De Sacrilegio, et Perjurio.* pag. 263.

APPENDIX I.

CAPUT UNICUM. *De Mendacio.* pag. 267.
CAPUT III. *De Simonia.* pag. 272.
§. I. *De Simoniæ divisione.* pag. 276.
§. II. *De variis dubiis circa Simoniam.* pag. 278.
§. III. *De Pœnis contra Simoniacos latis.* pag. 283.

APPENDIX II.

CAPUT UNICUM. *De Beneficiis Ecclesiasticis.* pag. 287.
De II. Præcepto Decalogi. pag. 291.

TRACTATUS III.

De Voto, Juramento, Blasphemia, et Perjurio. pag 292.

ARTICULUS I. *De Voto.* pag. 292.
Caput I. *De materia Voti.* pag. 296.
Caput II. *De obligatione Voti.* pag. 298.
Caput III. *De Voti Extinctione, et Irritatione.* pag. 301.
Caput IV. *De Voti Dispensatione.* pag. 305.
Caput V. *De Voti Commutatione.* pag. 308.
ARTICULUS II. *De Juramento.* pag. 310.
Caput I. *De Juramenti liceitate.* pag. 313.
Caput II. *De obligatione Juramenti promissorii, et de ejus Cessatione.* pag. 317.
De III. Præcepto Decalogi, et I. Ecclesiæ. pag. 320.

TRACTATUS IV.

De iis, quæ diebus festis præcipiuntur, et vetantur. pag. ibid.
Caput I. *De Festorum institutione.* pag. 321.
Caput II. *De iis, quæ diebus festis præcipiuntur.* pag. 323.
Caput III. *De iis, quæ diebus festis vetantur.* pag. 326.
Caput IV. *De causis excusantibus a Missæ auditione.* pag. 328.
Caput V. *De causis opera vetita permittentibus in festis.* pag. 330.
Caput VI. *De Oratoriis privatis.* pag. 335.
De IV. Decalogi Præcepto. pag. 337.

TRACTATUS V.

De iis, quæ in hoc Præcepto præscribuntur. pag. ibid.
ARTICULUS I. *De iis, quæ Filii in Parentes debent.* pag. 338.

Caput I. *De Amore, quem Filii in Parentes debent.* pag. 338.
Caput II. *De Obedientia, quam Filii in parentes debent.* pag. 341.
Caput III. *De Reverentia, quam Filii in Parentes debent.* pag. 344.
ARTICULUS II. *De iis, quæ Parentes debent in Filios.* pag. 348.
Caput I. *De Educatione corporali.* pag. ibid.
Caput II. *De Educatione civili.* pag. 350.
Caput III. *De Educatione spirituali.* pag. 354.
ARTICULUS III. *De aliis, quæ præcipiuntur in IV. Decalogi Præcepto.* pag. 357.
Caput I. *De mutua obligatione Parochorum, et Populi.* pag. 358.
Caput II. *De mutua obligatione Magistrorum, et Discipulorum.* pag. 363.
Caput III. *De mutua obligatione Dominorum, et Famulorum.* pag. 365.
Caput IV. *De mutua obligatione aliarum Personarum.* pag. 368.
De V. Decalogi Præcepto. pag. 370.

TRACTATUS VI.

ARTICULUS I. *De iis, quæ in V. Decalogi Præcepto præcipiuntur.* pag. 371.
ARTICULUS II. *De iis, quæ in V. Decalogi Præcepto vetantur.* pag. 374.
Caput I. *De Divisione Homicidii.* pag. 375.
Caput II. *De occisione, et mutilatione suimet.* pag. 377.
Caput III. *De occisione furis, et nonnatorum.* pag. 374.

Caput IV. *De occisione facta in bello, et in duello.* pag. 383.
De VI. et IX. Decalogi Præcepto. pag. 387.

TRACTATUS VII.

De iis, quæ in his Præceptis præscribuntur. pag. ibid.
Caput I. *De Peccatis inhonestis perfectis secundum naturam.* pag. 389.
Caput II. *De Peccatis inhonestis perfectis contra naturam.* pag. 391.
Caput III. *De Peccatis inhonestis externis perfectis.* pag. 395.
Caput IV. *De fomentis Luxuriæ.* pag. 399.
De VII. et X. Decalogi Præcepto. pag. 401.

TRACTATUS VIII.

De iis, quæ in his Præceptis præscribuntur. pag. ibid.
ARTICULUS I. *De Jure, et Dominio.* pag. 402.
Caput I. *De Jure.* pag. ibid.
Caput II. *De Notione, Divisione, et Subjecto Dominii.* pag. 403.
Caput III. *De aliis speciebus Juris.* pag. 408.
Caput IV. *De variis modis acquirendi Dominium.* pag. 410.
§. I. *De acquisitione Dominii jure gentium.* pag. ibid.
§. II. *De acquisitione Dominii jure Canonico, et Civili.* pag. 415.
ARTICULUS II. *De Contractibus.* pag. 422.
Pars I. *De Contractibus in genere.* pag. ibid.
Caput unicum. *De Conditionibus ad*

validitatem Contractuum requisitis. pag. 424.
PARS II. *De Contractibus in specie.* pag. 429.
CAPUT I. *De Venditione, et Emptione.* pag. ibid.
§. I. *De rebus, quæ venditioni, et emptioni exponi possunt.* pag. 430.
§. II. *De Pretio rerum vendibilium.* pag. 433.
§. III. *De iis, qui vendere, et emere possunt, et de Negotiatione, et Monopolio.* pag. 439.
CAPUT II. *De Commodato, Precario, et Deposito.* pag. 442.
CAPUT III. *De Mutuo.* pag. 444.
CAPUT IV. *De Usura.* pag. 450.
CAPUT V. *De Societate.* pag. 457.
CAPUT VI. *De Cambio.* pag. 462.
CAPUT VII. *De Censu.* pag. 466.
CAPUT VIII. *De Locatione, Conductione, et Emphyteusi.* pag. 470.
CAPUT IX. *De Fidejussione, Assecuratione, Pignore, et Hypotheca.* pag. 475.
CAPUT X. *De Ludo, et Sponsione.* pag. 479.
CAPUT XI. *De Promissione.* pag. 484.
CAPUT XII. *De Donatione.* pag. 487.
CAPUT XIII. *De Testamento, Codicillo, Legato, et Executore testamentario.* pag. 491.
ARTICULUS III. *De Furto, et Rapina.* pag. 495.
CAPUT I. *De iis, qui furti sunt rei.* pag. 496.
CAPUT II. *De quantitate furti ad constituendum peccatum mortale.* pag. 497.
CAPUT III. *De Furtis minutis.* pag. 499.

Caput IV. *De Furtis domesticorum, et amicorum.* pag. 502.
Caput V. *De causis a peccato furti excusantibus.* pag. 505.
Caput VI. *De Rapina* pag. 511.
ARTICULUS IV. *De Restitutione.* pag. 513.
Caput I. *De radicibus Restitutionis.* pag. ibid.
§. I. *De Restitutione ex injusta acceptione, vel retentione.* pag. 514.
§. II. *De Restitutione ex re accepta.* pag. 520.
§. III. *De Restitutione ex injusta damnificatione.* pag. 524.
§. IV. *De Restitutione ex contractu, vel quasi Contractu.* pag. 529.
§. V. *De restitutione ex Lege positiva.* pag. 534.
Caput II. *De iis, qui ratione cooperationis ad restitutionem tenentur.* pag. 536.
§. I. *De Mandante, Consulente, Consentiente.* pag. 537.
§. II. *De Palpone, Receptante, Partecipante.* pag. 542.
§. III. *De Muto, Non obstante, Non manifestante.* pag. 544.
Caput III. *De restitutione in solidum.* pag. 546.
Caput IV. *De circumstantiis Restitutionis.* pag. 548.
§. I. *De circumstantiis* Quid, *et* Quantum; *seu de eo, quod debet restitui.* pag. 549.
§. II. *De circumstantiis* Cui; *seu de persona, cui facienda est Restitutio.* pag. 556.
§. III. *De circumstantiis* Quomodo,

et Quando; *seu de modo, et tempore, quo facienda est restitutio.* pag. 561.
§. IV. *De circumstantia* Quo ordine. pag. 563.
§. V. *De circumstantia* Quo Loco. pag. 568.
§. VI. *De circumstantia* Quæ causa excuset, *seu de causis a restitutione excusantibus.* pag. 571.
Sectio I. *De suspensione Restitutionis.* pag. ibid.
Sectio II. *De Restitutionis extinctione.* pag. 576.
De VIII. Decalogi Præcepto. pag. 580.

TRACTATUS IX.

De iis, quæ in hoc Præcepto præscribuntur. pag. ibid.
Caput I. *De falso Testimonio.* pag. ibid.
Caput II. *De Fama, et Honore.* pag. 583.
Caput III. *De injusta læsione Famæ, et Honoris.* pag. 587.
§. I. *De Diffamatione interna, seu de Dubio, Suspicione, Opinione, et Judicio temerario.* pag. ibid.
§. II. *De Diffamatione externa, seu de Detractione.* pag. 591.
§. III. *De Dehonoratione per Contumeliam, Convicium, Improperium, et Derisionem.* pag. 600.
Caput IV. *De restitutione Famæ, et Honoris injuste ablati.* pag. 603.
Caput V. *De causis excusantibus a restitutione Famæ, et Honoris læsi.* pag. 608.

TRACTATUS X.

De Præceptis Ecclesiæ. pag. 610.
ARTICULUS I. *De II. Ecclesiæ Præcepto.* pag. 611.
CAPUT I. *De Natura Jejunii.* pag. 612.
CAPUT II. *De obligatis ad Jejunium, ejusque transgressione.* pag. 616.
CAPUT III. *De causis excusantibus a Jejunio.* pag. 622.
§. I. *De Impotentia.* pag. ibid.
§. II. *De Labore.* pag. 625.
§. III. *De Pietate.* pag. 629.
§. IV. *De Dispensatione.* pag. 630.
ARTICULUS II. *De III. IV. V. et VI. Ecclesiæ Præcepto.* pag. 632.
CAPUT I. *De annua Confessione.* pag. 633.
CAPUT II. *De Communione paschali.* pag. 636.
CAPUT III. *De Decimis, et Nuptiarum prohibitione.* pag. 639.



J. M. J.

COMPENDIUM THEOLOGIÆ MORALIS.

DE NOTIONE HUJUS THEOLOGIÆ.

Theologia, quæ a moribus formandis *moralis* dicitur, est scientia, quæ ex revelatis principiis, rectaque ratione docet, quid nobis sit agendum, vel omittendum, ut vitam consequamur æternam. Quid hic, et nunc sit nobis agendum, vel omittendum, *Conscientia* dictat. *Lex* autem est illa, quæ remote hoc præcipit. Cumque *Actus humani* connexionem habeant cum *Conscientia*, et a Legis transgressione *Peccata* procedant; et sub nomine Legis veniat non solum quod continetur in *Præceptis Degalogi*, et Ecclesiæ, et quod *præcipitur aliquibus* personarum cœtibus; sed etiam *Sacramenta*, *Censuræ*, et *Irregularitates*: hinc de his omnibus in hoc Compendio agetur, quod in quinque Libros dividemus.

LIBER I.

De Conscientia , Actibus humanis , Legibus in genere , et de Peccatis.

1. Q. De quo agitur in hoc primo Libro?
℟. Agitur de Conscientia , de Actibus humanis , de Legibus in genere, et de Peccatis, totam hanc materiam in tres Tractatus dividendo.

TRACTATUS I.

De Conscientia , et Actibus umanis.
Monitum.

Cum Conscientia sit regula proxima , et formalis Actuum humanorum , ac moralium ; hinc ut clarius intelligatur, quid sit *Conscientia*, agemus primo de Actibus humanis , et postea de Conscientia. Sit igitur

ARTICULUS I.

De Actibus humanis.

2. Q. Quid , et quotuplex est Actus humanus?
℟. Actus humanus stricte sumptus in genere morum , ut docet S. Thomas (1. 2. *q.* 1. *a.* 1.), est ille, qui ex deliberata hominis voluntate procedit cum subjectione ad regulas morum, quæ sunt æterna Lex , et recta ratio. Dividitur autem 1.° in elicitum , et imperatum. *Elicitus*, seu *interior* est ille , qui immediate a voluntate procedit , et in ea perficitur, ut *amor*, *odium*. *Imperatus*, seu *exterior*, est ille , qui imperante voluntate, ab

alia potentia, vel sensu elicitur, ut *videre*, *loqui*, *ambulare etc.* 2.° Dividitur in bonum, et malum. Actus *bonus* est ille, qui consentit rectæ rationi, ut amor Dei. Actus *malus* est ille, qui rectæ rationi dissendit, ut odium Dei. Hæ sunt præcipuæ Actuum humanorum divisiones.

3. Q. Quomodo cognoscitur, *actum ex deliberata hominis voluntate procedere?*

℟. Quando est voluntarius, et liber. Si enim non sit voluntarius, nec liber, non actus *humanus*, sed actus *hominis* dicetur, nec esset peccaminosus, ut videbitur infra (*a n.* 267.). Videndum ergo, quando volontarius sit, ac liber.

Caput I.

De voluntario.

4. Q. Quomodo cognoscitur, actum humanum esse *voluntarium?*

℟. Quando, ut ait S. Thomas (ibid. q. 6. art. 1.) procedit a principio intrinseco cum cognitione finis; ut qui amat, vel odit inimicum. Hinc illi actus, qui fiunt ob vim illatam a principio extrinseco, idest ab alio; aut sine ulla cognitione, aut advertentia intellectus, non erunt voluntarii. Ut si quis Missam non audiret die festo, quia ligatus sit ab alio; aut non jejunet, quia nescit, aut non recordetur esse Vigiliam; omissio Missæ, et transgressio jejunii non erunt voluntariæ, nec peccaminosæ.

5. Q. Quomodo dividitur *Voluntarium?*

℟. Multæ sunt divisiones: præcipuas dicam: Dividitur 1.° in voluntarium *simpliciter*, et in voluntarium *secundum quid*. Voluntarium *sim-*

pliciter est illud, quod procedit ex plena voluntatis inclinatione: ut qui libenti animo legit inhonesta, vel dat centum amico. Voluntarium *secundum quid* est illud, quod procedit quidem ex voluntatis consensu, sed cum repugnantia: ut qui ob indulgendum amico legit inhonesta, vel dat centum latroni, ne occidatur.

6. Q. Quænam est secunda divisio?

℟. Dividitur 2.° in voluntarium in se, et in causa. Voluntarium *in se*, seu *formale* datur, cum quis expresse, et apposite operatur: ut qui ex animo blasphemat, furatur etc. Voluntarium *in causa*, seu *virtuale* datur, quando quis licet expresse aliquid non velit, expresse tamen aliquem actum ponit, ex quo prævidere potest, alium actum secuturum. Ut qui prævidens, in ebrietate se rixaturum, blasphematurum etc. nihilominus voluntarie se inebriat. Blasphemiæ, rixæ licet non sint volitæ, nec voluntariæ *in se*, sunt tamen volitæ, et voluntariæ *in causa*, et proinde peccaminosæ?

7. Q. Voluntarium *in causa* semper ne est peccaminosum?

℟. Si causa, quæ producit malum effectum, sit necessario ponenda, vel per se sit licita, et honesta; et effectus malus licet sit prævisus, non tamen intenditur, imo displicet; ac diligentia adhibeatur, ne sequatur, non erit peccaminosum. Hinc Chirurgus, qui mulieres medendo, vel quivis alius, qui equitando, moderate vescendo, vel bibendo, etc. pollutionem patitur, sed cum displicentia, illam non intendendo, imo diligentiam adhibendo, ne sequatur, isti non peccabunt: Sic ex S. Thoma 1. 2. q. 6. art. 3. quem citat, et sequitur B. Ligorio lib. V. Artic. 2. n. 14. et alii.

8. Q. Sunt ne causæ, quæ tollant, vel diminuant voluntarium.

℟. Quatuor enumerat S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 4. Violentiam, Metum, Concupiscentiam, et Ignorantiam.

9. Q. Quid est *Violentia?*

℟. Violentia, seu vis est motio, quæ a principio extrinseco oritur, resistente eo, qui vim patitur. Communis. Si quis omni modo, quo potest, resistit, dicitur violentia *absoluta*. Si non totis viribus resistit, erit violentia *secundum quid*. Violentia *absoluta* tollit voluntarium, et peccatum. Hinc mulier oppressa, si totis viribus resistat, fugiendo ex. gr. clamitando, flendo, sese agitando etc. et actui turpi mente non consentiat, non peccabit. Si autem totis viribus non resisteret, ut supra, cum violentia sit *secundum quid*, non tolleret, sed minueret voluntarium, et malitiam peccati. Sic S. Thomas, et Ligorio locis citatis.

10. Q. Quid est *Metus?*

℟. Metus, ut hic sumitur, utpote minuens voluntarium, est mentis trepidatio ab alio incussa ob periculum imminens, aut futurum. Hic licet non tollat, minuit tamen voluntarium, et liberum (n. 20. 21. et 22.), si sit *gravis*, vel *cadens in virum constantem*; et malum, quod timetur, sit grave. Communis. E contra metus, cum quo quis operatur, ex. gr. fornicatur, furatur etc. non solum non minuit, sed potius adauget voluntarium.

11. Q. Quando metus dicitur *gravis*, vel *cadens in virum constantem?*

℟. 1.° Quando malum, quod timetur, sit reapse grave, et probabiliter eventurum. 2.° Ut metum incutiens possit, et soleat minas exequi. 3.° Ut timens non possit facile malo illi occurrere. Si enim

malum sit leve, aut si sit grave, non facile est eventurum, quia metum incutiens nequeat, aut non soleat minas exequi, aut timens possit faciliter evitare malum illud, metus non *gravis*, sed *levis* dicetur, nec vere minueret voluntarium. Hic autem nota, quod metus, qui est gravis respectu pueri, mulieris, senis, non semper est gravis respectu adulti, fortis, et intrepidi.

12. Q. Quænam mala reputantur *gravia?*

℟. Generaliter gravia mala ab omnibus reputantur mors, mutilatio membrorum, enormia verbera, durus carcer, exilium, servitus, triremis, gravis infamia, proscriptio bonorum, et similia. Hinc si quis minetur te occidere, ni jures falsum, si reapse periculum occisionis sit probabile, quia is est vir ferus, et solitus delinquere, metus quo juras, erit gravis, minuet voluntarium, sed non tollit peccatum, et erit voluntarium *secundum quid* (5.). Non autem e contra.

13. Quando autem *metus* invalidet votum, ordines, professionem religiosam, matrimonium, ceterosque contractus; et excuset a peccato, dicetur suis locis.

14. Q. Quid, et quotuplex est *Concupisentia?*

℟. Concupiscentia, ut hic sumitur, est vehemens passio appetitus sensitivi erga bonum sensibile. Si hæc passio naturaliter exurgat in appetitu sensitivo, et preveniat voluntatis actum, vocatur concupiscentia *antecedens*. Ut si quis obviam habens inimicum, aut objectum inhonestum, sentit repente in se exurgere motus vindictæ, pravasque cogitationes, ac motus. Si passio consequatur voluntatis actum, concupiscentia *consequens* dicitur. Ut si quis cupiens ulcisci, vel fornicari, videndo inimicum, aut objectum inhonestum, sen-

tit in se exurgere motum vindictæ, pravasque cogitationes, et motus.

15. Q. Concupiscentia tollit ne, vel minuit voluntarium?

℟. Concupiscentia *consequens*, quæ voluntatis actum consequitur, non solum non tollit, sed auget voluntarium, et peccatum: quia *monstrat*, ut ait S. Thom. (1. 2. q. 77. art. 6.) *intensionem voluntatis ad actum peccati*. Concupiscentia autem *antecedens* si omne rationis judicium antevertat, et omnem consensum voluntatis, tollit voluntarium, et peccatum; ut accidit in motibus, qui a Theologis *primo primi* dicuntur, qui potius a corporis machina, quam a ratione proficiscuntur. Si autem concupiscentia antecedens rationis judicium omnino non antevertat, tunc minuit quidem, sed non tollit voluntarium, et peccatum: ut accidit in motibus *secundo primis*, ad quos ratio aliquo modo advertit, et voluntas consentit: ita S. D. et B. Ligorio loc. cit. n.° 23. et alii.

16. Q. Quid, et quotuplex est *ignorantia*?

℟. Ignorantia est carentia scientiæ, seu cognitionis habitualis alicujus rei, ad differentiam *inadvertentiæ*, quæ est carentia scientiæ, seu cognitionis actualis alicujus rei. Multiplex est ignorantia; sed præcipuas, et hic magis necassarias divisiones dabimus. Ignorantia *juris* est, quando quis ignorat, adesse legem obligantem, vel prohibentem; ut qui nescit, excommunicatum esse, qui percutit Clericum. Ignorantia *facti* est, quando quis non ignorat legem, sed ignorat aliquam rem particularem esse contra legem, vel comprehendi sub lege; ut qui nescit, Petrum, quem percutit, esse Clericum; contractum, quem fe-

cit, esse usurarium. Ignorantia *pœnæ*, quando quis ignorat pœnam contra aliquod crimen latam. Hæc autem ignorantia sive *juris*, sive *facti*, sive *pœnæ* dividitur in invincibilem, et vincibilem.

17. Q. Quænam est Ignorantia *invincibilis?*

℟. Ignorantia *invincibilis*, quæ etiam *inculpabilis*, et *antecedens* vocatur, est illa, quæ morali diligentia, ac studio, et communibus naturæ, vel gratiæ auxiliis tolli non potest. Ita S. Thomas (1. 2. q. 76. a. 2.): ut quando nec suspicio de aliquo præcepto venit in mentem. Et hæc ignorantia cum tollat voluntarium, juxta S. Doctorem, tollit etiam peccatum.

18. Q. Quid est Ignorantia *vincibilis*, seu *culpabilis ?*

℟. Est illa, quæ morali diligentia, ac communibus naturæ, vel gratiæ auxiliis vinci potest, idest, sciscitando, studendo, orando etc. Et hæc, licet non tollat, minuit tamen voluntarium: quia actus quanto minus est voluntarius, tanto minus est culpabilis. Unde Judices, Medici, Confessarii etc. qui in exercitio propriæ professionis se instruere negligunt, eorum ignorantia est vincibilis, et voluntaria, omnesque errores, quos ob talem negligentiam commiserint, culpabiles erunt, licet in actu de malitia non cogitent. Dixi: *se instruere negligant*: quia si se instruere curent, studendo etc.; et nihilominus in aliquo errent, hujusmodi errores involuntarii evaderent. Vide B. Ligorio Lib. 1. Tr. 2. n. 170.

19. Q. Adest ne alia divisio Ignorantiæ ?

℟. Maxime: dividitur etiam in *affectatam*, et *crassam*. *Affectata* est, quando quis affectat aliquid ignorare, aut data opera negligit scire quod scire, vel facere tenetur, ut liberius peccet. Et

hæc ignorantia non solum non tollit, nec minuit voluntarium; sed videtur augere, ut patet, et clare docet S. Thomas (1. 2. q. 76. art. 4.). Ignorantia autem *crassa*, vel *supina* est, quando quis nulla, vel modica diligentia utitur, ut ignorantiam vitet. Et quod dicitur de *Ignorantia*, data proportione, dicendum est de *Inadvertentia*, et *Oblivione*. De Ignorantia autem loquemur infra, cum agitur de Conscientia a num. 38., et in Tractatu III. *de Peccatis* a num. 261.

Caput II.

De Libero.

20. Q. Quid est *Liberum*?

℟. *Liberum*, seu *Libertas*, quod supra (n. 3.) diximus esse necessarium in actu humano, est facultas, qua positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest quis agere, vel non agere, seu eligere unum præ alio. Et hæc facultas dicitur Libertas a *necessitate*, vel *indifferentiæ*, vel *arbitrii*. Et quia electio unius præ alio multipliciter fieri potest, ita libertas a *necessitate*, seu *indifferentiæ* multipliciter dividitur.

21. Q. Quotuplex ergo est hæc *Libertas*?

℟. Est triplex. Alia dicitur libertas *contradictionis*, qua quis potest agere, vel non agere, ex. gr. *Amare*, *vel non amare*. Alia *contrarietatis*, qua quis potest agere aliquid, vel ejus oppositum, ex. gr. amare, vel odio habere. Alia *disparitatis*, qua quis potest agere hoc, vel aliud indifferens: ex. gr. scribere, vel ambulare.

22. Q. Est ne aliquid, quod opponatur huic *Libertati*?

℟. Opponitur *Necessitas*, quæ est determinatio ad unum. Multiplex est hæc necessitas, sed tantum hic necessarias indicabimus. Alia igitur est *Necessitas coactionis*, quæ est vis alicui ab alio illata contra propriam inclinationem, ut qui tenet unum ligatum, ne Missam audiat. Hæc necessitas opponitur Libertati, et tollit voluntarium, ut supra num. 4. ac liberum. Alia dicitur *Necessitas naturalis inclinationis*, quæ consistit in quadam propensione insita voluntati ab ipsa natura ad aliquid prosequendum, vel fugiendum, ex. gr. ad quærendam felicitatem, et ad mala fugienda. Denique Libertati opponitur *metus gravis* (n. 10. et 11.), qui licet non tollat, minuit tamen voluntarium, et liberum.

23. Q. Homo habet ne hanc libertatem indifferentiæ?

℟. Utique. *Ante hominem* (sic legitur Ecclesiastici (15. 18.) *vita*, *et mors*, *bonum*, *et malum*: *quod placuerit ei*, *dabitur illi*. Et definitum est in Concilio Tridentino Sess. 6. can. 4. et 5. contra Novatores. Et hæc libertas necessaria est ad merendum, et demerendum. Imo hæc indifferentia præsertim *contradictionis* (21.) est de essentia libertatis. Ita cum S. Thoma 2. dist. 24. q. *a.* 1. *ad* 2. sentiunt communiter Doctores.

Caput III.

De Moralitate Actuum humanorum.

24. Q. Quid requiritur, ut Actus humanus in genere morum sit bonus, vel malus?

℟. Ut actus humanus sit bonus, requiritur, ut conveniat cum regulis morum, quæ sunt æterna

Lex, et recta ratio, tam ratione objecti, quod respicit, tam ratione finis, qui intenditur, tam ratione circumstantiarum, quæ comitantur. Ut autem sit malus, sufficit, quod disconveniat etiam ex uno tantum capite, vel ratione objecti, vel ratione finis, vel ratione circumstantiarum, juxta illud celebre dictum S. Dionysii (*de Div. Nom.* cap. 4.): *Bonum ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus.*

25. Q. Quid est *Objectum?*

℟. Objectum, ut hic sumitur, est illud, circa quod versatur actus moralis. Sic res aliena est objectum furti, Deus est objectum nostri amoris. Quod si objectum est intrinsece, et sua natura semper conforme rectæ rationi, ut est amor Dei, dicitur objectum immutabiliter bonum. Si autem extrinsece tantum, et vi legis positivæ sit bonum, ut jejunium, tunc ratione circumstantiarum potest esse etiam malum. Sed generaliter loquendo, si objectum erit bonum, actus erit bonus. Si objectum sit malum, etiam actus erit malus.

26. Q. Quid est *Finis.*

℟. Hic non loquimur de fine operis, qui coincidit cum objecto, sed de fine operantis, de intentione scilicet, quam operans habet. Si objectum sit bonum, et finis operantis etiam bonus, tunc actus dicitur bonus; ut qui amat Deum. Si autem finis sit pravus, etiamsi objectum sit bonum, actus erit malus: ut qui dat eleemosynam ob vanam gloriam. Si autem et finis, et objectum sit malum, actus erit pejor; ut furari ad se inebriandum. Si autem objectum sit indifferens, et finis sit bonus, actus pariter erit bonus: ut ambulare, edere etc. ad obediendum.

27. Q. Quid sunt Circumstantiæ?

℟. Sunt illæ, quæ non respiciunt substantiam,

sed qualitatem accidentalem personæ, rei, loci, temporis etc. Quæ comprehenduntur in hoc noto versiculo: *Quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*.

28. Quid significat *quis*, *quid*, *ubi*?

℟. *Quis* significat qualitatem personæ, ex. gr. si qui inhonesta commisit, sit Clericus, laicus, solutus, conjugatus, consanguineus etc. *Quid* significat qualitatem, vel quantitatem rei, ex. gr. si res furto ablata sit sacra, vel profana; si sit in parva, vel magna quantitate etc. *Ubi* significat qualitatem loci, ex. gr. si locus, in quo commissum est homicidium, peccatum inhonestum, furtum etc. sit sacer, profanus, publicus, privatus etc.

29. Q. Quid significat *quibus auxliis*, *cur etc.*?

℟. *Quibus auxiliis* significant media accidentalia, quibus usus est operans, ex. gr. in maleficio si usus sit ope Dœmonis, vel alicujus personæ etc. *Cur* significat finem extrinsecum operantis, ut supra num. 26. explicatum est. *Quomodo* significat modum accidentalem, quo fit actus, ex. gr. si peccatum commissum sit ex malitia, ex metu, ex contemptu, ignorantia etc., plena, vel semiplena deliberatione; si commissum sit cum scandalo, vel sine; si homicidium commissum sit cum sævitia, adulterium per vim etc. *Quando* significat qualitatem temporis, die festo, ex. gr. tempore quadragesimali, etc.

30. Quæ autem circumstantiæ explicandæ sint in sacramentali confessione, dicetur, quando agendum erit de Sacramento Pœnitentiæ.

31. Q. Sunt ne aliqui actus humani, qui non sint nec boni, nec mali?

℟. In specie dantur, et hi sunt actus indiffe-

rentes, qui secundum se non sunt nec boni, nec mali: ut legere, scribere, ambulare etc. Hinc scripsit S. Hieronymus (*Epist.* 89.): *Bonum est continentia, malum est luxuria inter utrumque indifferens ambulare*. Et Joannes Hus, qui dicebat, *quod nulla sint opera indifferentia*, damnatus fuit in Concilio Constantiensi (sess. 15.).

32. Q. Quare dictum est: *in specie?*

℟. Quia *in individuo*, ut ajunt Scholæ, et in actu, *omnis actus hominis a deliberativa ratione procedens in individuo consideratus*, juxta probabiliorem, *bonus est*, *vel malus*. Ita S. Thomas 1. 2. q. 18. art. 9. cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio Lib. V. n.° 44. Dicit S. D. *a deliberativa ratione procedens*: quia illi actus, qui inadvertenter, et indeliberate fiunt, ut respirare, claudere, et aperire oculos, pedem movere, et similia, nec in actu sunt boni, vel mali.

33. Q. Quomodo probatur, in individuo non dari actus *indifferentes deliberatos?*

℟. S. Paulus loquens de his actibus indifferentibus in actu, sic ait: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite* (1. Cor. 10. 31.). In his verbis præceptum, et non consilium SS. Patres agnoverunt. (Lig. supra). Si ergo hi actus indifferentes saltem virtualiter ad Deum referantur, erunt boni; si non referantur, erunt venialiter mali. Et multo magis erunt mali, si fiant ob finem pravum, aut indirectum: ut ambulare ob furandum; canere ob vanam gloriam; comedere, vel aliud facere ob solam voluptatem (ex propos. 8. et 9. damn. ab Innoc. XI.).

34. Q. Quid ex dictis erit inferendum?

℟. Moneantur populi, ut sæpius in diem, et –

saltem mane juxta præceptum apostolicum omnes suas actiones, quæ non sint peccaminosæ, offerant Deo, cum intentione saltem virtuali omnia in Dei gloriam faciendi. Et sic sive manducemus, sive bibamus, sive ambulemus, aut aliud faciamus, Deo placebimus, et omnes nostræ actiones non peccaminosæ, etiamsi indifferentes, erunt bonæ, et meritoriæ apud Deum.

ARTICULUS II.

De Conscientia.

35. Cum bonitas, ac malitia actuum humanorum nobis innotescant per Conscientiam, sive prout ab ipsa Conscientia hic, et nunc apprehenditur, hinc postquam egimus de actibus humanis agemus de Conscientia.

De notione, et divisione Conscientiæ.

36. Q. Quid est *Conscientia?*

℟. Est dictamen practicum rationis, quo judicamus, quid hic, et nunc agendum sit, ut licitum, vel omittendum, ut illicitum. Dicitur *dictamen practicum*, ut distinguatur a *Synderesi*, quæ est cognitio speculativa, et in genere proponit principia universalia ad bene agendum; ut esset: *malum est fugiendum.* Ex quo principio Conscientia dictat, *furtum esse illicitum*, *quia malum.*

37. Q. Quotuplex est *Conscientia?*

℟. Multiplex: Recta, Erronea (quæ subdividitur in invincibilem, et vincibilem) Scrupulosa, Laxa, Perplexa, Certa, Dubia, Probabilis, et Improbabilis, ut in sequentibus capitibus videbimus.

CAPUT I.

De Conscientia recta, et Erronea.

38. Q. Quæ est Conscientia *recta?*

℟. Conscientia *recta*, quæ etiam *vera*, et *bona* dicitur, est illa, quæ dictat, aliquid esse licitum, aut illicitum, quod reapse tale est: Ut qui judicat, mendacium esse illicitum. Conscientia *erronea*: quæ etiam *falsa*, et *mala* dicitur, est illa, quæ ex principiis falsis, sed pro veris reputatis, dictat aliquod esse licitum, aut illicitum, quod revera tale non est: ut qui judicaret, mendacium jocosum esse licitum.

39. Q. Quænam est Conscientia erronea *invincibilis?*

℟. Est illa, cujus error nulla morali diligentia tolli potuit, cum nulla suspicio, et dubium erroris venit in mentem: et hæc cum tollat voluntarium, ut dictum est supra n. 17. culpa vacat, imo potest esse meritoria. Et propterea, etsi non liceat mentiri etiam ad salvandam vitam proximi; si quis invincibiliter credat, mentiendum esse ob illam salvandam, quamvis materialiter erret contra legem, non solum non peccabit, sed meritorie agit, ut colligitur ex S. Bernardo (*de Præcept. et Disc. c.* 12. 14. *et* 17.), ex S. Thoma (*Quodlib.* 3. *art.* 23.); et alii communissime dicunt. *Vide B. Ligorio Lib.* 1. *Tr.* 1. *n.* 6. Imo peccaret non mentiendo, quia ageret contra conscientiam, quæ ei dictat, esse mentiendum.

40. Q. Ignorantia *invincibilis* circa præcepta juris naturæ excusat ne a peccato?

℟. Etiamsi sit admodum difficile, dari posse hujusmodi ignorantiam præsertim circa conclusio-

nes immediatas, et Decalogi precepta: si tamen detur, ita ut nec suspicio veniat in mentem, illud præceptum adesse, hujusmodi ignorantia cum tollat voluntarium, ut supra (n. 17.) cum S. Thoma dictum est, excusat a peccato; ut constat etiam ex Propositione 2. proscripta ab Alexandro VIII. quæ dicebat: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ*, hæc in *statu naturæ lapsæ non excusat a peccato formali.*

41. Q. Quænam est Conscientia erronea *vincibilis?*

℟. Est illa, quæ morali adhibita diligentia tolli potest, ac debet, sciscitando ex. gr. studendo etc. Talis generaliter loquendo est ignorantia Parochi, Confessoris, Judicis, Artificis etc. in iis, quæ pertinent ad proprium officium. Et cum hæc non tollat voluntarium, ut num. 18., imo augeat, si sit affectata, ut num. 19. non excusat a culpa. Hinc adultus, qui erronee credit, mendacium officiosum non esse peccatum, non excusatur a culpa: quia frequentando doctrinam christianam, ut ignorantes præsertim tenentur, hoc resciret.

42. Q. Qui operatur bonum, aut indifferens, quod credit esse malum, peccat?

℟. Maxime: et ob eamdem rationem, quia agit contra conscientiam. Ita S. Bernardus (*de dispens. et præcept. cap.* 14.) *Ille peccat, qui bonum agit, quod malum credit*, et affert rationem: quia licet rectum sit, quod operatur, credendo tamen esse malum, inique operatur. Peccabit autem graviter, si illud apprehendat ut peccatum grave: leviter, si leve. Si autem nesciat distinguere, an peccatum sit grave, vel leve, generaliter loquendo, peccabit graviter: quia ita agens, ut sentit Vasquez (*dis.* 59. *cap.* 3.)

cum aliis est ita dispositus, ut agat etiamsi peccatum sit grave. Excipe, si quis ita sit dispositus, quod si crederet grave, non ageret, ut in dubio judicandum erit de personis piis, tunc communiter excusatur a gravi.

43. Q. Qui agit contra conscientiam, semper ne peccat?

℟. Si agat libere, idest si sit in sua libertate agere, vel non agere, tunc peccabit, ut constat ex dictis. Si autem non agat libere, ita ut non sit in libertate agere, vel non agere, tunc juxta Collet, Cuniliati, Piselli etc. et ut dicetur num. 267. non peccabit, etiamsi agat contra conscientiam, et invincibiliter erronee credat, se peccare. Hinc, qui detinetur in carcere, aut versatur in alto mari, vel jaceat infirmus in lecto, etiamsi credat, se peccare, missam die festo non audiendo, non peccat, quia non est in sua libertate illam audiendi. S. Thom. 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *in cor. ap.* Piselli *P.* 1. *tr. II. cap.* 1.

44. Q. Si peccatum mortale, quod quis committit, credat veniale, quomodo peccabit?

℟. Si invincibiliter id credat, peccabit leviter, (*ut num.* 40.) Si autem errore vincibili id credat, peccabit graviter, quia errorem suum facile poterat detegere (42.). Hinc, qui die festo missam non audiens, credat leviter peccare, peccabit graviter, quia hunc errorem facile poterat deponere, sciscitando, doctrinam frequentando etc.

45. Q. Quid prætera notandum circa conscientiam erroneam?

℟. Notandum, quod agens contra conscientiam erroneam, sive sit vincibilis, sive sit invincibilis, quamvis peccet, ut qui agit contra conscientiam

rectam : non tamen incurrit pœnas inflictas a Lege, quam credit violasse. Hinc, qui legit librum, falso putans esse prohibitum, etiamsi graviter peccet ; non incurrit tamen censuras latas contra legentes libros prohibitos, et etiam a simplici Confessario potest absolvi : quia tam censura, quam reservatio est pro libris, qui revera sunt prohibiti.

46. Quomodo autem se geret Confessarius cum pœnitente, qui versatur in ignorantia, videbitur tum *Libro III. n.* 179. *et* 180. *tum Libro IV.* agendo de Sacramento Pœnitentiæ.

Caput II.

De Conscientia perplexa, scrupulosa, laxa.

47. Q. Quænam est Conscientia *perplexa*?

℟. Est illa, quæ hominem in eo statu constituit, ut quamcumque partem eligat, peccare sibi videatur. Ut qui examinatus a judice pro homicidio probando, si veritatem dicit, credit peccare (licet erronee) contra præceptum Charitatis proximi. Si veritatem non dicit, credit peccare, ut reapse est, contra præceptum Religionis, quæ vetat perjurium. Hic dicitur perplexus.

48. Q. Quid agendum in ista perplexitate?

℟. Si potest, actionem suspendat, donec sapientes consulat, studeat etc. et sic errorem deponere possit. Si autem actionem suspendere nequeat, nec possit errorem deponere, eligat coram Deo quod minus malum credit, eligendo potius transgressionem juris humani, vel positivi Divini, quam transgressionem juris naturalis. Quod si discernere nequeat, quid sit minus malum, quam-

cumque partem eligat, non peccat: quia deest libertas ad peccatum formale necessaria. Ita B. Ligorio *Lib.* 1. *tr.* 1. *n.* 10.

49. Q. Quænam est Conscientia *Scrupulosa?*

℟. Est illa, quæ ob levia motiva absque rationabili fundamento sæpe formidat de peccato, ubi revera non est: scrupulus enim est inanis apprehensio; et de scrupulosis verificatur quod dicit Psalmista: *Trepidaverunt timore ubi non erat timor (Ps.* 13. 5.) Ut qui aguntur a pravis cogitationibus, quibus assentiri timent, licet displicentiam habeant de hujusmodi cogitationibus: qui dubitat de validitate suarum confessionum, licet exacte fecerit, aut saltem errores commissos generali confessione repararit etc.

50. Q. Sunt ne aliqua signa hujus *Conscientiæ scrupulosæ?*

℟. Ista solent afferri: non acquiescere consilio sapientum; ex levibus motivis frequenter mutare judicium cum mentis perturbatione, presertim in operibus externis, ut in celebratione Missæ; in Horarum recitatione, in Sacramentorum administratione, vel receptione, in omnibus formidare, de peccato; nolle obedire directori, etiamsi prudenti, et docto; judicare sibi illicitum, quod in aliis licitum credit; et præsertim si vir pius, et sapiens, in hisque materiis versatus illud reputet ut scrupulum.

51. Q. Sunt ne aliqua remedia pro scrupulosis?

℟. Maxime, et alia generalia, particularia alia. Remedia *generalia* sunt cavere peccata etiam venialia deliberata; fugere otium, quod inanibus apprehentionibus mentem replet; frequenter orare; scrupulosorum familiaritatem vitare; abstinere a

lectione librorum, qui scrupulos fovere possint; obedire suo prudenti, et docto directori in omnibus, in quibus evidens non apparet peccatum; libere agere contra scrupulos, ubi certum non est peccatum, non quia licitum sit agere contra Conscientiam scrupulosam, sed efformando sibi conscientiam, quod directori sit obediendum; et similia. Vide B. Ligorio *supra a num.* 12.

52. Q. Quænam sunt remedia *particularia?*

℟. Qui anguntur propter pravas cogitationes, considerent, non pravas cogitationes, sed pravos assensus esse peccata. Et qui timoratæ sunt conscientiæ, nisi certo sciant, se illis consensisse; judicandum est, non consensisse, nec peccasse. Qui de præteritis confessionibus fuerunt accurati, et præsertim in confessione generali, doleant semper, et semper sua peccata detestentur, et in divina misericordia confidant; nec de peccato se accusent, nisi certo sciant, nunquam esse confessos; et si velint, cum directoris consensu possunt generatim se accusare de omnibus præteritis peccatis contra Charitatem, ex. gr. contra Castitatem, et similia, ut iterum Sacramentalem recipiant absolutionem.

53. Q. Quænam est Conscientia *laxa?*

℟. Conscientia *laxa*, seu *lata* est illa, quæ ex levibus, et contemnendis rationibus judicat, non esse malum, quod revera est malum, aut esse peccatum leve, quod reapse est grave: uti sunt tot Propositiones, quæ ob earum laxitatem a Romanis Pontificibus sunt proscriptæ, et hæc Conscientia, ut patet, pertinet ad Conscientiam erroneam.


Caput III.

De Conscientia certa, et dubia.

54. Q. Quænam est Conscientia *certa?*

℟. Conscientia certa est illa, quæ ex rationabilibus principiis dictat, hic et nunc aliquid esse licitum, vel illicitum absque formidine de opposito. Sic ex hoc rationali principio, quod in dubio nemo spoliandus sit re sua, potest quis sibi formare conscientiam practice certam, se non teneri ad restituendam domum, ex. gr. usquedum cognoscat, rei alienæ se esse detentorem. Huic certæ conscientiæ opponitur Conscientia *perplexa*, et *scrupulosa*, de quibus supra (*a n.* 49.) et Conscientia *dubia*, et *probabilis*, de quibus infra.

55. Q. Quænam est Conscientia *dubia?*



℟. *Dubium*, sive Conscientia *dubia*, seu *incerta*, est suspensio judicii de bonitate, aut malitia operis hic, et nunc agendi; quia mens utrimque habet rationes vel æqualiter validas, vel æqualiter ambiguas, vel nullas: Ut qui manet suspensus, an debeat mentiri ad impediendum proximi peccatum; an veritatem dicere, prævidens, proximum blasphematurum, oblocuturum, et similia. Quid autem in hujusmodi dubiis sit agendum, in sequentibus quæsitis videbitur.

56. Q. Quotuplex est Conscientia *dubia*, vel *dubium?*

℟. Primo dividitur in positivum, et negativum. *Positivum* est, quando pro utraque parte, vel saltem pro una adest gravis ratio, licet cum formidine de opposito. *Negativum*, quando ex neutra parte occurrunt rationes graves, sed tantum leves, vel nullæ: et ideo agens nescit, an actio

illa licita sit, an illicita. Dividitur secundo in speculativum, et practicum. *Speculativum* est, quando id, de quo dubitatur, hic, et nunc non est agendum: Ut an liceat die festo piscari. *Practicum* est, quando id, de quo dubitatur, hic et nunc agendum est: ut an liceat mihi hoc die festo piscari ad alendam familiam.

57. Q. Datur ne alia *Dubii* divisio?

℟. Dividitur insuper in dubium juris, et in dubium facti. Dubium *juris*, ut supra (*n.* 16.) diximus de Ignorantia, est, quando quis dubitat, an extet Lex, quæ aliquam actionem præcipiat, vel vetet; vel dubitat, an lex aliqua sit publicata: Ut si quis dubitet, an Lex de adimplendo voto sit graviter obligatoria. Dubium *facti* est, quando quis certus de Lege, dubitat de aliquo facto, quod Legem ipsam respiciat: Ut qui dubitat, an votum jam emissum adimpleverit.

58. Q. Cum Conscientia *dubia* potest ne operari?

℟. Qui operatur cum Conscientia *practice* dubia, peccat, etiamsi illa res, quam operatur, non sit peccatum: quia reapse exponit se periculo peccandi. Quando autem graviter, et leviter peccet, vide quæ supra diximus de Conscientia *erronea n.* 43. Qui ergo est practice dubius, an illa actio sit licita, an illicita, non potest operari, nisi prius dubium deponat, sed non ex arbitrio; sed ex rationabili motivo, vel ex consilio sapientum, ita ut conscientiam practice certam possit sibi formare, et decidere hoc est licitum, hoc est illicitum. Si autem dubium deponere nequeat, et actionem non possit suspendere, vide quæ supra diximus de Conscientia perplexa (*n.* 48.).

59. Q. Qui habet conscentiam *speculative* dubiam, potest ne operari?

℟. Si operans per aliquam veram rationem, vel principium reflexum, possit sibi efformare conscientiam moraliter certam, ut sunt hujusmodi principia : *Lex dubia non potest certam inducere obligationem*, vel *in dubio omne factum præsumitur recte factum*, vel *in dubio melior est conditio possidentis etc.* potest operari ; aliter non. Sic, qui est *speculative* dubius, an domus, quam possidet, sit sua nec ne, ex hoc principio legali reflexo, quod *melior est conditio possidentis*, potest sibi efformare conscientiam practice certam, quod possit licite eam retinere, usquedum, facta debita diligentia, non comprehendat, domum illam non esse suam. Sic, qui die Sabbati dubitat, an transierit media nox, non potest carnibus vesci, quia Sabbatum possidet. Si autem hoc dubitet in die Jovis, post adhibitam diligentiam potest, quia possidet libertas. Item dicendum de eo, qui certus de voto emisso, aut de pœnitentia sacramentali facienda dubitat, an votum, et pœnitentiam impleverit, tenetur adimplere : quia possidet præceptum adimplendi. Sic, qui post factum matrimonium dubitat, an rite initum sit, post adhibitam diligentiam potest judicare, rite initum esse, quia *in dubio omne factum præsumitur recte factum*. Vide B. Ligorio *lib.* 1. *tract.* 1. *a num.* 20. *etc.* Et præ oculis habeatur quod dicit S. Leo (C. *sicut quædam* 2. dist. 14.). *In iis, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniatur adversum.*

Caput IV.

De Conscientia probabili.

60. Q. Quid est Conscientia *probabilis?*

℟. Est judicium practicum, quo mens gravibus, at non certis rationibus ducta, aliquid licitum, aut illicitum judicat cum formidine partis oppositæ, ad differentiam *dubii*, in quo mens remanet suspensa, nullumque fert judicium, an aliquid sit licitum, aut illicitum. Sed quia Conscientia probabilis in opinione probabili præcipue fundatur: hinc antequam videatur, an cum Conscientia probabili possit operari, nunc operæ pretium est, ut quid sit *opinio;* et quid sit *Probabile*, videamus.

61. Q. Quid est *Opinio*, *et Probabile?*

℟. Opinio est *actus intellectus*, qui *fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Ita S. Thomas. Probabile autem est illud, quod licet non sit certo verum, est tamen vero simile. Hinc *opinio probabilis* potest definiri: Actus, quo mens ob graves rationes, licet fallibiles prudenter judicat, aliquid esse licitum, aut illicitum. Si autem hujusmodi rationes adversentur Scripturæ sacræ, traditioni, Ecclesiæ definitionibus, communi SS. Patrum sensui, aut evidenti rationi, non possunt censeri graves; nec opinio potest dici probabilis. etc.

62. Q. Quotuplex est *Opinio?*

℟. Est multiplex. Si intellectus fertur in illam partem contradictionis, quæ removet a peccato tam formali, quam materiali, dicitur *tuta.* Si magis a peccato removeat, dicitur *tutior.* Si opinio habeat pro se saltem decem graves auctores, qui

ex professo materiam tractaverunt, dicitur *Communis*. Si major sit numerus talium Auctorum, dicitur *communior*. Si a plerisque sustineatur, dicitur *communissima*.

63. Q. Quotuplex est *Probabile*, seu *Probabilitas?*

℟. Pariter multiplex. Si versetur circa honestatem actionis, dicitur Probabilitas *juris*, ex. gr. An liceat sacramentum cum tali materia conferre, an contractum cum tali pacto liceat inire. Si versetur circa rei veritatem, seu substantiam, dicitur *facti*, ex. gr. an contractus cum tali pacto initus sit usurarius nec ne, an sacramentum cum tali materia collatum sit validum, aut nullum. Si rationes probabilitatis sumantur ex ipsa rei natura, dicitur Probabilitas *intrinseca*. Si sumantur ex auctoritate Doctorum, qui docte, diligenter, et ex professo materiam illam tractent, gravibus innixi fundamentis, dicitur probabilitas *extrinseca*; et eo majoris ponderis erit hæc *extrinseca* probabilitas, si hujusmodi Doctores sint Sancti, ut SS. Patres, S. Thomas, S. Raymundus, S. Antoninus, S. Bonaventura, B. Ligorio, et alii, qui cum sint docti, non est facile, quod se decipiant; cum sint sancti, non est suspicandum, quod velint decipere.

64. Q. Quotuplex est Opinio *probabilis?*

℟. Etiam multiplex. Si rationes sive intrinsecæ, sive extrinsecæ, quibus aliquid judicatur licitum, vel illicitum, sint graves, dicitur generice *probabilis*; si sint leves, dicitur opinio *tenuiter probabilis* (sed rigorose loquendo *tenuis Probabilitas* non potest vocari probabilitas, sed potius vana probabilitatis apprehensio). Si sint æquales, vel quasi æquales cum parte opposita, dici-

tur *æque* *probabilis*. Si sint graviores, dicitur *probabilior*, et pars opposita *minus probabilis*. Si rationes sint gravissimæ, ita ut pars opposita sit dubie probabilis, dicitur *probabilissima*. Si asserat aliquid esse vetitum, aut imperatum, quod forte non sit vetitum, nec imperatum; dicitur opinio *favens Legi*. Si asserat, esse licitum, quod forsan est Lege prohibitum, dicitur *favens libertati*.

65. Q. Licet ne sequi Opinionem *probabilem*?

℟. Olim fuerunt Auctores plus æquo laxi, qui asserebant, quod, etiamsi opinio esset tenuiter probabilis sive probabilitate *intrinseca*, sive *extrinseca* cujuscumque auctoris etiam junioris, et moderni, poterat quis eam sequi. Sed hi auctores damnati fuerunt ab Alexandro VII. *n*. 37. et ab Innocentio XI. *n*. 3. et idcirco opinionem tenuiter probabilem non licet sequi. Alii auctores plus æquo rigidi e contra fuerunt, qui asserebant, nec opinionem probabilissimam sequi licere. Sed etiam hi damnati fuerunt ab Alexandro VIII. *n*. 3. et idcirco licet eam sequi.

66. Q. Licet ne sequi opinionem *minus probabilem*?

℟. Si hæc faveat Legi, cum sit tuta, et a peccato removeat, patet licitum esse eam sequi, imo quandoque tenemur. Si autem *minus probabilis* faveat libertati, non licet eam sequi; quia ubi veritas clare inveniri non potest, ut dicatur quis agere prudenter, debet amplecti illam opinionem, quæ propius ad veritatem accedit. Cum autem opinio probabilior utpote gravioribus rationibus fundata magis ad veritatem accedat, sequitur, non opinionem minus probabilem, sed probabiliorem esse sequendam. Et Innocentius XI. (*Prop*.

1.) damnavit opinionem illorum, qui asserebant, judicem posse judicare juxta opiniones etiam minus probabiles.

67. Q. Quandonam tenemur sequi opinionem minus probabilem, si est tuta?

℟. Primo tenemur eam sequi, quando agitur de valore Sacramentorum, ut constat ex Propositione 1.ª damnata ab Innocentio XI. dummodo aliud necessitas non expostulet, vel nisi opinio minus tuta sit moraliter certa: Ratio, quia cum valor Sacramentorum pendeat a Christi voluntate, opinio contraria licet sit probabilior, non reddit validum, quod reipsa validum non est.

68. Q. Quare dictum est *dummodo aliud necessitas non expostulet?*

℟. Quia in extrema necessitate quando quod est tutum haberi non potest, potest adhiberi etiam illud, quod est minus tutum; et tenuiter probabile, ut alibi dicetur. Hinc instante periculo mortis, et deficiente aqua simplici elementaria, potest adhiberi in baptisimo etiam lixivium, licet hoc sit materia minus tuta, quia in casu necessitatis modo meliori, quo potest, æternæ animæ saluti est consulendum. At si illud minus tutum sit dubium, Sacramentum sub conditione cunferatur, ut Sacramenti injuriæ reparetur, si forte invalide conferretur.

69. Q. Quare dictum pariter est *nisi opinio minus tuta sit moraliter certa?*

℟. Quia quando opinio licet minus tuta est moraliter certa, opinio contraria, quæ est tutior, aut improbabilis, aut ferme improbabilis reddetur. Hinc, licet opinio, non posse dari sacramentalem absolutionem, nisi pœnitens sit contritus, sit tutior, cum post Concilium Tridentinum opi-

nio contraria sit moraliter certa, et communior, ut eam vocat Alexander VII. die 5. Maj. 1667. (*ap. Syn. OEc. Lib.* 7. *Cap.* 13. *n.* 9.) etiamsi absque aliquali Dei dilectione; sequitur, posse pœnitentem absolvi, licet sit tantum attritus, ut suo loco dicetur.

70. Q. Sunt ne alii casus, in quibus opinionem minus probabilem sequi teneamur, quando est tuta?

℟. Secundo tenemur eam sequi, quando eam non sequendo adest periculum aut spirituale, aut temporale, vel sui ipsius, vel alterius: quia opinio contraria licet probabilior, si sit falsa, non auferet periculum damni. Hinc, si quis dubitat, an id quod videt in silva, sit fera, vel homo, non potest ferire, licet probabilius judicet, esse feram. Et sic medicus licet probabilius judicet, remedium aliquod posse prodesse, si habet tutum, hoc debet infirmo ministrare; et sic quando medicamentum certum, et tutum non apparet, debet illo uti, quod probabilius judicet profuturum: quia meliori modo, quo potest, infirmi sanitati debet providere.

71. Q. Quid dicendum, si medicus non habeat, nisi dubium medicamentum?

℟. Si probabiliter judicet, posse prodesse, et non obesse infirmo, ob rationes allatas, potest, et debet remedium illud applicare. Si ignoret, an prosit, vel noceat, etiamsi infirmi salus sit desperata, non potest, quia illicitum est cum periculo, vel acceleratione mortis infirmi experimentum quærere. Si autem mors sit certa, nisi remedium illud applicetur, et speret, posse prodesse, tunc potest, præsertim si infirmus, aut ejus defectu, conjuncti consentiant: hoc enim conformius est prudentiæ, et voluntati infirmi.

72. Q. Quando opinio est tantum probabilis, quid agendum?

℟. Aliqui Theologi innixi illo, uti vocant, principio: *Qui probabiliter agit, prudenter agit*; sentiebant, quamlibet opinionem probabilem licet non tutam posse sequi. Sed hoc principium falsum videtur: quia juxta Apostolum (*Rom.* 14. 23.) *Omne quod non est ex fide*, idest ex certo dictamine conscientiæ, ut explicant SS. Chrysostomus, Ambrosius, et alii cum S. Thoma, quos refert B. Ligorio (*Tract.* 1. *n.* 53. *in system. mor. dico* 11.) *peccatum est.* Hinc, ut prudenter quis agere dicatur, in sua conscientia persuasum habere debet, quod agendo, recte agat, et non probabiliter tantum.

73. Q. Quid agendum, quando duæ opiniones oppositæ sunt æque probabiles?

℟. Quando adest periculum damni vel suimet, vel alterius, ut supra (*num.* 67. *et seq.*) tunc amplectenda est opinio tuta. In aliis autem materiis, ut quando agitur, an aliquid sit licitum, aut illicitum; peccatum grave, vel leve; tunc si opiniones rationibus *intrinsecis*, aut *extrinsecis* (62. 63.) sint reapse æque, vel fere æque probabiles, tunc sequi licet etiam minus tutam, quæ *favet libertati* (64.) *non quia, qui probabiliter agit, prudenter agat*; sed quia hoc casu ex principio reflexo potest quis sibi efformare conscientiam moraliter certam de honestate actionis tam necessariam ad recte operandum.

74. Q. Quænam sunt hæc principia reflexa, quibus conscientia moraliter certa potest efformari?

℟. Sunt duo principia. Primum est: *Lex dubia non obligat.* Secundum: *Lex incerta non potest certam inducere obligationem.* Cum enim opi-

nio, quæ favet libertati, est æque probabilis, ac illa, quæ favet Legi, grave surgit dubium, an Lex existat, aut sit promulgata; et Lex est incerta. Cum *autem Lex* debeat *esse manifesta*, ut habetur in Can. *Erit autem*, dist. 4. et sicut *nisi de mandato certus extiteris*, *exequi non cogeris*, *quod mandatur*, ut habetur in *cap.* 13. *Cum in jure* de Offic. et potest. Jud. deleg. sequitur Legem dubiam non obligare, et Legem incertam, certam non posse inducere obligationem. Videatur B. Ligorio *lib.* 1. *n.* 53. *cum seq.* morali Systemate, et Corollar.

75. Q. Quid de his principiis reflexis dicunt Doctores?

℟. Omissis tot aliis, videamus, quid dicant Sancti, ceterique Doctores omni exceptione majores. S. Augustinus (*Serm.* 294. *Cap. II.* dicit: *Quod enim nec contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter esse habendum etc.* Ergo juxta S. Doctorem quælibet actio nobis permissa est, modo *convicti*, aut moraliter certi non simus, illam esse contra fidem, aut contra bonos mores. S. Bernardus ad Hugonem S. Victoris scribens, ait, (*vol.* 1. *Oper. Cap.* 5. *n.* 18.): *Sane ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati, quod sentitur, non obviat.*

76. Q. Quid dicunt alii Doctores?

℟. S. Bonaventura (*in* 4. *dist.* 38. *art.* 2. *q.* 3.) loquens de votis, quæ Papa potest dispensare, tres in medium adducit opiniones, et deinde concludit: *Quæ istarum trium opinionum verior* sit, fateor, *me nescire*, *et satis potest quælibet sustineri.* Ubi nota, S. Doctorem non dicere sustinendam esse opinionem, quæ favet Legi, sive

tutam, sed *quamlibet*. Et idem sentiunt S. Basilius, S. Ambrosius, S. Antoninus, S. Raymundus, aliique, quos citat, et sequitur B. Ligorio (*lib.* 1. *tr.* 1. *Corollar.* 4. *post n.* 53.), et etiam doctissimus Cardinalis Lambertini, postea Benedictus XIV. Notific. 80 n. 19. de die 20. octobr. 1736. clare dicit: *Non debbono imporsi legami, quando non vi è una manifesta Legge, che gl' imponga.*

77. Q. Quid de his principiis sentit S. Thomas?

℟. Pariter sentit, legem debere esse manifestam, ut vim habeat obligandi. Ita (*in opusc. de ver. q.* 17. *a* 3.) ait: *Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante* SCIENTIA *illius præcepti.* Ubi nota, *scientiam* idem esse ac *cognitionem*, *manifestationem*. alio loco (1. 2. *q.* 90. *a* 4.) dicit: *Promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod Lex habeat suam virtutem.* Item (quodlibet. 9. *art.* 10.) *Omnis quæstio, in qua de mortali peccato quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.* Et idipsum jam antea dixerat S. Raymundus (Lib. 3. de Pœnit. §. 21.) *Non sis pronus judicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per* CERTAM *Scripturam.*

78. Q. Cum Legis æternæ possessio antecedat possessionem humanæ libertatis, ex illo principio *melior est conditio possidentis*, nonne concludendum est, opinionem Legi faventem esse præferendam?

℟. Licet Lex in se, et in potentia sit æterna, respectu autem hominis, et in actu non est æterna, sed indiget promulgatione, ut supra cum S. Thoma: imo etiam in mente Dei Lex licet æterna, est posterior humanæ libertati ratione considerationis. Cum enim Deus ab æterno prohibuis-

set homicidium, debuit prius considerare homines, qui interfici potuissent. Deus ergo creavit hominem liberum, ex suo beneplacito libertatem ei donando, et postea illi dedit mandata, ut clare habetur ex Eccl. 15. 14: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui: Adjecit mandata*: etc. Ergo principium illud: *Melior est conditio possidentis* potius favet humanæ libertati.

79. Q. Quomodo ergo sunt intelligendi illi textus: *In dubiis tutior via est eligenda*, et consimiles, qui in sacris Canonibus leguntur?

℟. Præterquam quod hujusmodi textus loquantur de dubiis practicis, et facti circa aliquos casus particulares, præterquam quod juxta S. Antoninum (*Part.* 2. *Tit.* 1. *cap. II. n.* 31.) illa verba intelligenda sint *de honestate, et meriti majoritate, et non de salutis necessitate, quoad omnia dubia*, hi sacri Canones non faciunt contra nos. Dicunt enim: *In dubiis tutior via est eligenda.* In casu autem nostro, quando concurrunt duæ opiniones æqualis ponderis oppositæ, qui agit, non remanet dubius, sed innixus illi principio: *Lex dubia non obligat etc.* (74.); sibi format conscientiam moraliter certam de honestate actionis, etiamsi opinionem libertati faventem sequatur.

80. Q. Sed illæ decem Theses a CLEMENTE XIII. proscriptæ, nonne probant, damnatum esse Probabilismum?

℟. Hujusmodi theses proscriptæ fuerunt non uti singulæ, sed uti acervatim sumptæ, eo quod in illo folio Parochi Avisani variæ erant theses censura dignæ, sed prima, secunda, et tertia illarum thesium, quæ Probabilismum defendunt, non fuerunt proscriptæ a laudato Pontifice, ut

duo Consultores Inquisitionis Romanæ, scilicet P. Thomas Ricchini Sacri Palatii Magister, et P. Thomas Schiara S. C. Indicis Secretarius, B. Ligorio tunc Episcopus S. Agathæ scripserunt: et etiam sapientissimus Cardinalis Galli Pœnitentiarius major, verbo facto cum Pontifice, eidem Episcopo scripsit, in citato folio non intelligi proscriptas illas theses, quæ in Catholicis scholis controvertuntur, sed illas nimis laxas, quæ dignæ erant censura.

81. Q. Sed si *Lex dubia non obligat*, nonne sequitur, etiam opinionem minus probabilem in concursu probabilioris posse præferri?

℟. Jam supra (*n.* 66.) dictum est, hoc non licere ob rationes ibi allatas. Licet enim etiam in hoc concursu Lex possit dici dubia: at propter illam majorem probabilitatem opinio pro Lege videtur moraliter, ac sufficienter promulgata, et obligans. Cum autem opinio, quæ stat pro libertate, est æqualis ponderis, tunc adest dubium strictum de existentia Legis: ac propterea, ut diximus, non adest tunc obligatio amplectendi opinionem Legi faventem, nec observandi Legem, de qua omnino dubitatur, an existat.

82. Q. Quid dicendum, si Lex sit certa, et dubium sit, an aliquis casus particularis comprehendatur sub illa Lege?

℟. Item dicendum, ac dictum est de Lege. Cum enim dubium est, an Lex hunc, vel illum casum comprehendat, respectu illius casus Lex est incerta, et proinde, ut supra dictum est, non obligat. Hinc, licet Lex prohibens usuram sit certa, at dubium sit, an talis contractus sub Lege illa comprehendatur, expendantur rationes tum intrinsecæ, tum extrinsecæ, et ex cordatis Aucto-

ribus videatur, quænam ex opinionibus sit minus probabilis, quænam probabilior, vel æque probabilis, et juxta superius dicta casus resolvatur.

83. Q. Sed qui cum hujusmodi dubiis operatur, nonne se exponit periculo peccandi?

℟. Minime: quia quando duæ opiniones sunt æque probabiles, per illud principium reflexum, quod *Lex dubia non obligat*, conscientiam moraliter certam potest quis sibi efformare de honestate actus. Hinc, non se exponit periculo peccandi, sed ad summum exponit se periculo transgrediendi Legem *materialiter*, si nempe falsa sit sui opinio: sicut peccandi periculo non se exponit, qui sequitur opinionem probabilissimam, licet exponeret se periculo Legem *materialiter* transgrediendi in casu, quo opinio opposita probabilissimæ fuisset certa, quod posset dari, licet difficilius.

84. Q. Quid observandum in opinionum delectu?

℟. Licet regula certa dari non possit, dici autem potest cum B. Ligorio (*ibid. circa fin. Corollar.* 2.), quod quando agitur de removendo se, vel alium a periculo peccati formalis, Confessarius, et quivis alius, generaliter loquendo, et per quantum Christiana prudentia sugerit, benignis opinionibus potest uti. Quando autem opiniones benignæ facilius inducunt ad peccandum *formaliter*, prout sunt nonnullæ Auctorum opiniones de illis, qui se exponunt periculo, seu occasioni peccandi; tunc expedit, ut tam pro se quam pro aliis opiniones rigidæ, ac tutæ teneantur, quæ maxime conducant ad servandum et se, et alios in statu gratiæ. Vide etiam quod dicetur *Lib. IV. n.* 300. *et* 301.

TRACTATUS II.

De Legibus.

85. Quæ sit regula proxima, et formalis Actuum humanorum, et moralium, sive quid hic et nunc sit nobis agendum, vel omittendum, in primo Tractatu jam diximus, esse *Conscientiam.* Agendum nunc de regula remota eorumdem actuum, sive de legibus, ubi precipitur, quid nobis sit agendum, vel omittendum. Et sicut adsunt Leges communes, seu in genere, et adsunt etiam Leges particulares; et sicut potest quis esse aliquoties excusatus ab observantia Legum, nec teneatur agere, vel omittere quod Lex præcipit, vel vetat; hinc in hoc secundo Tractatu agemus de Legibus in genere, et quando ab earum observantia excusemur. De Legibus vero particularibus alibi agemus.

ARTICULUS I.

De Legibus in genere, de notione, et divisione Legum.

86. Q. Quid est Lex?

℟. Est quædam rationis ordinatio promulgata ab eo, qui jurisdictionem habet coactivam, pro societate, vel communitate sibi subjectà. Lex differt a consilio: quia Lex obligat, Consilium autem non obligat, sed consulit, quod est melius. Differt etiam a Præcepto: quia Lex afficit immediate locum, et potest ferri ab eo tantum, qui coactivam jurisdictionem habet, pro Communitate aliqua, et ad bonum commune; ac obligat e-

tiam post mortem Legislatoris. Præceptum autem afficit personas singulares, et etiam ab eo, qui jurisdictionem non habet, potest imponi, ex. gr. a patre pro domesticis, et etiam uni personæ, et etiam ob bonum privatum; et post mortem præcipientis non obligat.

87. Q. Quotuplex est Lex?

℞. Multiplex. Primo dividitur in *naturalem*, quæ a natura est indita; et in *positivam*, quæ ab alio est data: Lex positiva subdividitur in *divinam*, quæ data est a Deo; et in *humanam*, quæ data est ab homine. Lex humana iterum subdividitur in *canonicam*, quæ data est a potestate Ecclesiastica; et in *civilem*, quæ data est a potestate Laica. Secundo dividitur in *præceptivam*, aut *prohibitivam*, quæ aliquid præcipit, aut prohibet, absque pœnæ comminatione; alia *pœnalis*, quæ pœnam statuit in eos, qui Legem infringunt; et alia *mixta*, quæ præcipit, vel prohibet actum, et insimul pœnam pro transgressoribus statuit. Denique alia est *affirmativa*, quæ præcipit bonum; alia *negativa*, quæ prohibet malum. Datur alia Lex non scripta, quæ *Consuetudo* appellatur. Sed de hac in sequenti Articulo Cap. V. a n. 105. agetur.

Caput I.

De potestate ferendi Leges, et de earum obligatione.

88. Q. Quis potest ferre Leges?

℞. Omnes illi, qui jurisdictionem habent coactivam. Et idcirco præter Deum supremum Legislatorem, qui dominium habet in cœlo, et in ter-

ra, Summus Pontifex, et Concilia Generalia œcumenica pro tota Ecclesia possunt Leges ferre. Legati, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, cæterique Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, eorumque Concilia, seu Synodi, sicut et Capitula Cathedralium, sede Episcopali vacante, pro suis respective Legationibus, Nationibus, Provinciis, Diœcesibus. Superiores Generales, eorumque Capitula pro toto respective Ordine, et Congregatione. Superiores Provinciales, eorumque Capitula pro suis respective Provinciis. Hic autem nota, quod Superiores mere Ecclesiastici non possunt ferre Leges nisi de rebus spiritualibus, et in ordine ad Ecclesiasticum regimen.

89. Q. Qui sunt laici, qui Leges possunt condere?

℟. Sunt Imperatores, Reges, Duces, Respublicæ independentes, Civitates liberæ, cæterique Principes supremi, qui pro suis Imperiis, Regnis, Statibus, Ditionibus, etc. pariter Leges possunt condere. Cæteri autem Principes inferiores, qui jurisdictionem ab alio dependentem habent, Leges ferre non possunt, nisi vel cessio, vel confirmatio Principis, a quo dependent, accedat. Sicut nec Parochi pro suis Parochiis, nec Syndaci pro suis Communitatibus Leges possunt condere; quia hi coactivam jurisdictionem non habent. Vide Ferraris V. *Lex*, *art.* 1. *a num.* 31. *ad* 45.

90. Q. Leges obligant ne in conscientia?

℟. Quoad Leges naturales, cum pæcipiant quod in se est bonum, et vetent quod in se est malum, patet, obligare in conscientia. Quoad Leges vero divinas, quæ continentur in Sacris Scripturis tam

veteris, quam Novi Testamenti, et præsertim in Decalogo, ac etiam in Traditione, patet pariter, obligare in conscientia: quia qui Legem Dei servant, vitam æternam habebunt: qui vero non servant, pœnas vel æternas, vel temporaneas incurrent. Hic autem nota, Leges cæremoniales, et legales veteris Testamenti, cum morte Christi expirarint, non amplius esse observandas.

91. Q. Quid dicendum de Legibus humanis?

℟. Etiam istæ, si justæ sint, obligant in conscientia. Et quoad Leges Ecclesiasticas Christus loquens de suis ministris, ait: *Qui vos spernit, me spernit* (Lucæ 10. 16.); et quoad Leges civiles, ait Apostolus: *Admone illos, Principibus, et Potestatibus subditos esse, et dicto obedire* (ad Tit. 3. 1.). Et ad Rom. 13. 1. iniquit: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*

92. Q. Quare dictum est: *Si Leges sint justæ?*

℟. Quia si sint injustæ, vel quia Legislator non habet auctoritatem; vel quia præcipit quod est malum, vel prohibet quod est bonum; vel Lex non fertur propter bonum commune; vel si non aptetur viribus subditorum, non obligat. In dubio autem Lex censetur justa, quia possidet jus Legislatoris. Communis.

92. Q. Quid dicendum, si Lex civilis contraria sit Legi Ecclesiasticæ?

℟. Si Leges hujusmodi respiciant, an aliquid sit licitum, aut illicitum, cum hujusmodi decisiones ad potestatem Ecclesiasticam, et non Laicam spectent, Lex Ecclesiastica prævalere debet: quia hisce casibus Lex civilis correcta censetur per Canones. Hinc, licet Jus civile in *Leg.* 1. *ff.*

de Usuris etc. usuras permittat, est tamen correctum per Jus Canonicum, in *Cap. Super eo* 4. *etc.* ubi usuræ sub gravissimis pœnis prohibentur. Sic licet in *Leg. Marito ff. de eod.* permittatur marito occidere uxorem in adulterio deprehensam, hæc tamen occisio expresse prohibetur in *C. Si non licet* 9. et etiam Alexander VII. damnavit propositionem 19. quæ dicebat: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

93. Q. In quibus libris reperitur Jus canonicum?

℟. Reperitur in quinque voluminibus, quorum I. est *Decretum Gratiani*, quod citatur per Causas, Quæstiones, distinctiones, et Canones. II. *Decretales*, quæ citantur per capitula, et per Titulos. III. *Sextus Decretalium*, qui etiam per Capitula, et per Titulos citatur, sed additur *In Sexto*. IV. *Clementinæ*, *Extravagantes*. V. *Bullarium*. Et cum hæc quinque volumina constent Constitutionibus Pontificum, et Conciliorum generalium, idcirco vim Legis habent.

94. Q. Decreta Sacræ Congregationis Cardinalium habent ne vim Legis?

℟. Licet hujusmodi Decreta magni sint ponderis, generaliter loquendo non habent vim Legis, nisi pro illis personis, et locis, pro quibus fuerunt emanata, non autem pro similibus. Si vero hujusmodi Decreta adprobata sint a Summo Pontifice per *Urbem, et Orbem*, cum hoc casu Constitutiones Pontificiæ reputentur, vim Legis habent. Communis. Illæ autem Regulæ, quæ Cancellariæ vocantur, licet aliqui dicant, obligare tantum in Curia Romana, alii tamen Auctores dicunt obligare ubique. Et hæc est praxis, quæ observatur.

95. Q. Ut Lex obliget, requiritur ne ejus promulgatio?

℟. Maxime. Sic statuitur *C. In istis etc. dist. 4. Leges tunc constitui, cum promulgentur.* Et id expresse docet etiam S. Thomas (1 2. *q.* 90. *a.* 4.): *Promulgatio necessaria est, ut Lex habeat suam virtutem.* Hinc, etiamsi quis sciat, aliquam Legem esse conditam, non tenetur eam servare, nisi in locis solitis sit promulgata. Dixi in *locis solitis*: quia quoad Leges Pontificias, statim ac sunt illæ in solitis Basilicarum valvis affixæ, statim obligant etiam extra Romam post habitam notitiam, *ac si unicuique* (sunt verba Bullarum) *personaliter intimatæ fuissent.*

96 Q. Ut Lex obliget, requiritur ne, ut acceptetur.

℟. Minime: quia Legis obligatio non oritur ex acceptatione Populi, sed ex potestate, quam Princeps a Deo habet condendi Leges; dummodo sint justæ, ut supra (n. 91.) dictum est. Et revera Alexander VII. proscripsit propositionem 28. quæ dicebat: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat Legem a Principe promulgatam.* Limitant Salmaticenses cum aliis Doctoribus ap. B. Ligorio (*Lib. I. Tr. II. n.* 158.) si aliqua Lex sit adeo dura, et observatu difficilis, ut per Epichejam (n. 56.) posset judicio prudentum judicari, quod si Legislator illas circumstantias advertisset, vel Legem non emanasset, vel non obligaret.

97. Q. Quid dicendum, si Lex, aut ejus promulgatio sit dubia?

℟. Recole, quæ dicta sunt *Tractatu I. a n.* 74. *ad* 80. ubi tum ex Jure canonico, tum auctoritate Doctorum, et ratione intrinseca dictum est,

Legem dubiam non obligare; et idem dic, si dubia sit ejus promulgatio. Igitur si post adhibitam sufficientem diligentiam *de mandato certus non extiteris* (ut statuitur in *C. Cum jure* 31. *de Off. et potest. jud. del.*) *exequi non cogeris, quod mandatur*: quia hisce casibus possidet libertas. Si autem timeatur aliquod scandalum, aut inconveniens ob Legis illius dubiæ inobservantiam, tunc ob illud impediendum, teneris illam observare. Si autem possessio stet pro Lege, etiam Lex dubia obligat, ut dictum est *Tr.* 1. *n.* 59.

98. Q. Lex pœnalis obligat ne in Conscientia?

℟. Si Lex sit *mere pœnalis*, ut si Lex dicat: *Qui aleis ludit, solvat decem*: *Qui sine licentia venatur, carcere detineatur*, et similia: non obligaret in conscientia, seu ad culpam (nisi ex alio capite obligatio illa oriretur: ut si Superior sub pœna decem prohibeat opera servilia die festo). Sic Communis cum S. Thoma (1. 2. *q.* 189. *a* 9. *ad* 1.), qui id probat ex Regula Patrum Prædicatorum, in qua multa sunt, quæ non obligant ad ullam culpam, sed tantum ad subeundum pœnam. Et sic habet consuetudo. Si autem Lex *pœnalis* sit *mixta* (n. 87.), ut si Lex dicat: *Nemo fraudet gabellas sub pœna decem*, et similia; tunc ex dictis obligat, nisi aliunde constaret de mente Legislatoris, qui ad culpam non obligare vellet. Et hæc sententia est probabilior. Vide B. Ligorio *Lib.* 6. *Tr.* 2. *n.* 147.

99. Q. Hujusmodi pœnæ incurruntur ne ante judicis sententiam?

℟. Pœnæ spirituales, ut Censuræ, Irregularitas, etc. si sint *latæ sententiæ*, ut ajunt, posito delicto, statim incurruntur absque judicis senten-

tia. Communis. Hinc, si Lex diceret: *Qui absque veste talari celebrat, sit ipso jure suspensus*, si quis absque veste talari celebraret, statim, et absque ulla sententia, hæc suspensio incurretur. Si autem sint *ferendæ sententiæ*, quæ delinquentibus pœnam minentur, non incurruntur absque judicis sententia. Hinc, si Lex dicat: *Sub pœna Excommunicationis, vel sub pœna privationis vocis activæ, et passivæ nemo faciat* hoc, et hoc; hæ *pœnæ* non incurruntur, nisi post judicis sententiam. Communis.

100. Q. Quid dicendum de aliis pœnis?

℟. Si pœna executionem externam requirat, non incurritur absque judicis sententia, ut si pœna privaret aliquem jure acquisito, ex. gr. in Beneficio, in Electione, vel obligaret aliquem ad solvendum, patiendum, aut ad aliam sui corporis actionem. Imo ex *C. Secundum* de Hæretic. in 6. non incurrentur ante judicis sententiam hujusmodi pœnæ, etiamsi dicatur; *ipso facto incurrenda, vel nulla expectata declaratione*, et similia, nam hujusmodi verba intelligi debent, quod probato a judice crimine, absque ulla declaratione pœna incurratur.

101. Q. Quid notandum circa pœnas inhabilitantes?

℟. Hujusmodi pœnæ etiam ante judicis sententiam incurruntur, ut pœna non lucrandi fructus a Tridentino imposita Beneficiatis non residentibus, sicut et quædam aliæ, ut si Clericus beneficiatus non ferat habitum, est ipso jure privatus privilegio fori; si Parochus infra annum non ordinetur Sacerdos, privatus sit Beneficio. Et sic impedimentum criminis in matrimonio; privatio petendi debitum conjugale ratione incestus com-

missi ; privatio fructuum in Beneficiatis Horas canonicas non recitantibus , ante judicis sententiam incurruntur. Vide Lig. *supra a n.* 148. et Ferraris *V. Lex art.* 2. *a n.* 38.

102. Q. Quando Lex obligat sub gravi , et quando sub levi ?

℟. Si materia præcepta sit gravis , etiam transgressio erit gravis , nisi constet in contrarium de voluntate præcipientis. Item transgressio reputatur gravis , si verba Legis magnam vim exhibeant : *ut jubemus in virtute Sanctæ obedientiæ*; vel *graviter mandamus* ; vel *sub interminatione divini judicii* , *maledictionis æternæ* , *etc*. Item quando magna adjicitur pœna , ut excommunicationis , depositionis , exilii , mortis , etc. Item quando legitima consuetudo , quæ est optima Legum interpres , ita judicat.

103. Q. Quid dicendum , si materia præcepta sit levis ?

℟. Generaliter loquendo etiam transgressio erit levis : ut qui jocose mentitur , qui frangit silentium , et similia. Dixi *generaliter loquendo*: quia si quis ex contemptu Legis , vel Legislatoris uti talis , Legem etiamsi in materia levi transgrederetur , ex. gr. silentium frangeret , graviter peccaret. Sicut pariter erit gravis transgressio , si materia , etsi levis , gravis evaderet vel ratione scandali gravis , vel finis a Legislatore intenti. Hinc , filius licet in materia levi patri non obediat , si sciat , ipsum blasphematurum , ratione gravis scandali graviter peccabit. Et sic de similibus.

104. Q. Quid discriminis est inter Legem *affirmativam* , et Legem *negativam* ?

℟. Hoc intercedit discrimen , quod Lex *affirmativa* obligat semper , sed non pro semper , i-

dest omni temporis momento. Hinc, cum Lex, ex. gr. honorandi parentes sit affirmativa, filius semper eos debet honorare, sed non omni temporis momento. Lex autem *negativa* obligat semper, et pro semper, idest omni temporis momento. Hinc, cum Lex non pejerandi sit negativa, obligat semper, et pro semper, et nullo temporis momento licet pejerare. Et sic cum homicidium injustum, et furtum extra casum extremæ necessitatis, invito rationabiliter domino, sint præceptum negativum, numquam licent.

105. Q. Quis potest ferre Præcepta, et quæ eorum obligatio?

℟. Non solum, qui possunt ferre Leges (*n.* 58); sed etiam, qui dominativam habent potestatem, ut Pater pro sua familia, Rector pro suo Seminario, Superior localis pro suo Conventu, Familia, etc., Superiorissa pro suo Monasterio, etc. possunt ferre Præcepta. Quæ autem obligatio est pro Legibus observandis, eadem est pro Præceptis, cum hac differentia, quod cum Lex territorium afficiat Legislatoris, non obligat subditos a territorio absentes, nisi in fraudem recedant, ut communiter sentiunt Doctores. Præceptum autem cum afficiat personas singulares, obligat subditos quocumque ierint. Hinc, præceptum, quod Pater fecit filio, non ferendi arma, ex. gr. ubique eum obligat.

Caput II.

De Subjecto Legum, seu de iis, qui ad Leges observandas tenentur.

106. Q. Qui ad Leges observandas tenentur?

℟. Directe, et coactive tenentur omnes, et so-

li subditi, qui ad rationis usum pervenerunt. Cum ergo omnes homines sint Deo subditi, onmes sive fideles, sive infideles tenentur ad observandam Legem divinam, et etiam naturalem, quæ pariter a Deo emanat. Sic baptizati omnes sive sint catholici, sive sint hæretici, et schismatici, cum per Baptismum Ecclesiæ subditi evadant, tenentur ad Ecclesiæ Leges. Qui vero non sunt baptizati, ad Ecclesiæ Leges non tenentur, quia non sunt ejus subditi. Et sic omnes alii subditi tenentur ad observandas Leges suorum Superiorum.

107. Q. Quare dixisti: *directe, et coactive?*

℟. Quia Legislatores, licet directe, et quoad vim coactivam, et pœnam propriis legibus non teneantur; quia per alium cogi non possint, cum ipsi Superiorem humanum non habeant; tenentur tamen indirecte, et quoad vim directivam, scilicet in conscientia, si Lex sit communis, et versetur circa ea, quæ etiam ad ipsos spectare possunt, præsertim circa pretium rerum, valorem monetarum, Festa sanctificanda, jejunium servandum, et similia: quia ad bonum exemplum maxime decet, ut caput suis membris conformetur. Sic S. Thomas (1. 2. q. 96. a. 5.): *Unde quantum ad Dei judicium, Princeps non est solutus a Lege quantum ad vim directivam ejus.*

108. Q. Quare dixisti: *qui ad rationis usum pervenerunt?*

℟. Quia infantes, ante usum rationis, qui regulariter solet evenire post completum septennium, cum nec rationis, nec doli, nec obedientiæ sint capaces, nullis Legibus tenentur. Communis. Cum autem ad rationis usum pervenerint, iis Legibus tenentur, quarum observantiæ sunt capaces, ut confiteri semel in anno, Festis die-

bus Missam audire, ab operibus servilibus, et cibis vetitis abstinere, etc.; et peccarent eorum parentes, qui horum adimplementum non curarent in filiis, Eucharistia autem cum majorem requirat cognitionem, ad ejus perceptionem non tenentur, nisi post completum annum decimum, duodecimum, et etiam quartum decimum juxta majus, vel minus ingenii acumen, dummodo non versentur in periculo mortis, quia tunc si habeant sufficientem cognitionem etiam ante hanc ætatem ad Communionem tenentur.

109. Q. Quid ex his inferendum?

℟. Quod infantes, ante usum rationis, sicut etiam non baptizati, cum ad Ecclesiæ Leges non teneantur, licite possunt ipsis cibi vetiti ministrari, opera servilia diebus festis injungere, et similia. Non licet eos tamen absque peccato provocare ad blasphemias, et alia intrinsece mala.

110. Q. Potest ne idem dici de ebriis, amentibus, delirantibus?

℟. Minime: quia hi si ad rationis usum pervenerint, ad Legis observantiam jam tenentur, etiamsi in illis circumstantiis ab ejus observantia excusentur, sicut excusarentur invincibiliter (Tr. 1. n. 40.) ignorantes. Hinc, peccaret et qui cibos vetitos his omnibus ministraret, vel opera servilia diebus festis injungeret, vel ad aliquod malum Lege naturali prohibitum eos incitaret, ex. gr. ad blasphemandum, furandum, et similia, ut bene notat B. Ligorio Lib. I. Tract. II. n. 153.

111. Q. Peccat ne qui impedimentum ponit ad Legem servandam?

℟. Qui absque vera necessitate impedimentum advertenter ponit, peccat: qui autem ex vera ne-

cessitate, non peccat. Ita probabilior cum S. Thoma (*in* 4. *dist.* 15. *q.* 3. *art.* 2. *n.* 4. *ad* 3.). Hinc, qui absque vera necessitate pedestris iter agit, vel multum laborat, vel longæ venationi, aut pilæ ludo vacat, ut a jejunio eximatur, peccat. Non autem peccabunt pauperes operarii, qui ad quæritandum et sibi, et familiæ victum laborant, iter pedestres arripiunt, aut venationi vacant, etiamsi prævideant, non posse jejunare, præsertim si hujusmodi operibus vacare soleant. Et ratio est, quia quando Lex præcipit aliquem actum, præcipit etiam, ne absque vera necessitate fiant actiones, quæ Legis executionem impediant.

112. Q. Peregrini, advenæ, et vagi quas Leges observare tenentur?

℟. Ut clarius intelligatur, quod erit dicendum, horum nominum notiones sunt explicandæ. *Peregrinus*, qui etiam *viator* appellatur, seu *itinerans*, est ille, qui alicubi firmum habet domicilium, sed alio divertit per modum transitus, vel hospitii, cum animo ad suam patriam redeundi. *Advena* dicitur is, qui extra patriam domicilium fixit. *Vagus*, qui nullibi habet domicilium fixum, ut milites, et Zingari, qui hinc inde vagantur. His positis, dico: Isti dum a proprio absunt territorio, vel intra territorium, sed in loco exempto, Legibus patriis non tenentur, dummodo in fraudem non absint, aut fictione juris censeatur, ipsos in proprio territorio transgredi. Et ratio est, quia Leges extra proprium territorium non obligant. Et constat ex *Cap. Ut animarum* de Costit. 6.

113. Q. Quare dixisti: *dummodo in fraudem non absint?*

℟. Quia si quis e sua patria discederet, ut a Lege se eximeret, non excusaretur: quia fraus nemini debet prodesse, ut legitur *C.* 15. *et* 16. *de Rescript.* Hinc, qui e loco, ubi jejunatur, alio se transfert, ut carnibus vesci possit, peccat mortaliter; et censuras, si quæ contra transgressores latæ fuerint, incurrit. Et hoc constat etiam ex quadam responsione S. Congregationis Concilii, confirmata ab Urbano VIII. quæ nullum declaravit matrimonium ab illis contractum, qui solo animo illud clandestine contrahendi, recesserunt a loco, ubi Tridentinum viget; et in locum, ubi non viget, se contulerunt.

114. Q. Quare adjecisti: *aut fictione juris censeatur, ipsos in proprio territorio transgredi?*

℟. Quia si omissio rei præceptæ, vel commissio rei prohibitæ sequatur in proprio territorio, etiamsi aliquis extra illud adsit, et alibi reperiatur, transgressio censetur consumata in proprio territorio. Hinc Clerici, qui Beneficio residentiam exigente fruuntur; Canonici, qui ad Capitulum vocati, accedere recusant, et similes, licet extra territorium reperiantur physice, moraliter tamen præsentes censentur. Et proinde transgrediendo peccant mortaliter, et censuras incurrent. Communis.

115. Q. Quid dicendum de eo, qui e loco, ubi viget Lex Festi, vel jejunii, vadit in locum, ubi neutrum observatur?

℟. Debet ante discessum Missam audire, si commode possit, et prævideat, se alibi non posse audire; et abstinere a cibis vetitis; quia præceptum, quod actu obligat, meliori modo, quo potest, debet observari. Et hæc sententia juxta Cuniliati (*Tract. I. Cap.* 2. *n.* 13.) est pro-

babilior, et proinde in praxi sequenda (*Tr.* 1. *n.* 66. *et* 82.). Dixi *: si commode possit* : quia si Missa horis tardis celebraretur, vel ob alias rationes judicio viri prudentis, et cordati grave subiret incommodum, Missæ celebrationem expectando, non teneretur: quia Leges humanæ positivæ cum tanto gravamine obligare non solent.

116. Q. Peregrini, et vagi tenentur ne Legibus locorum per quæ transeunt?

℟. Si per tempus notabile, ex. gr. per integrum diem quis maneret, teneretur Missam audire, si est Festum; jejunare, si sit dies jejunii, et similia: quia Leges, ut ait S. Augustinus (Lib. 3. Conf. cap. 8.): *nulla civis, aut peregrini libidine violari debent.* Si autem obiter transiret, et per paucas horas ibi maneret, et ad sumendum cibum, et per sua negotia, non teneretur Missam audire, nec jejunare, nec alias Leges affirmativas observare. Teneretur tamen ad negativas, quæ aliquem actum vetant, ut esum carnium, opus servile, et similia: quia hæc etiam a transeuntibus servari possunt, nec statutum iter impediunt.

117. Q. Peregrini, etc. tenentur ne servare Leges particulares locorum, in quibus degunt?

℟. Si ibi contrahant *domicilium* (quod contrahitur, quando animo ibi semper permanendi quis aliquo accedit), tunc certum est apud omnes, teneri. Si autem contrahant *quasi domicilium* (quando quis majori, vel notabili anni parte aliquo accedit, sed animo redeundi ad propria, ut Judices, Studentes, Magistri, Famuli, etc.), licet aliqui Doctores sentiant, non teneri; verior tamen videtur sententia aliorum, qui dicunt, teneri, etiamsi per paucos dies ibi de-

gant; quia cum per illud tempus a patriæ legibus eximantur, ut dictum est (112.); æquum est, teneri legibus locorum, ubi reperiuntur: aliter nullis legibus particularibus tenerentur, quod incongruum est.

118. Q. Quomodo id probatur?

℟. S. Ambrosius (in Cap. *Illa*, Dist. 10.) sic ait: *Cum Romam venio*, (en ejus verba) *jejuno Sabbato; cum Mediolani sum, non jejuno. Sic et tu ad quam Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo.* Ubi nota, verbum *Scandalo*, non indicare consilium, ut aliqui dicunt, sed peccatum in eo, qui aliter agit. Et hinc illud commune effatum: *Si fueris Romæ, romano vivito more: si fueris alibi, vivito ut ibi.* Est et alia ratio. Ad vitanda scandala, jure gentium firmatum est, ut unusquisque servet leges territorii, in quo est, et etiam hujusmodi peregrini a Superioribus compelluntur ad observandas suas leges; et delinquentes puniuntur.

Caput III.

De modo implendi Leges.

119. Q. Quomodo Leges sunt implendæ?

℟. Ut Leges, seu Præcepta *meritorie* impleantur, opera injuncta fieri debent in statu gratiæ, et cum intentione saltem implicita obediendi Deo, a quo omnes Leges emanant. Et propterea, ut preces, jejunia, etc. sint meritoria, taliter sunt facienda. Aliter nil cum his meretur. Communis. Et sic clare colligitur ex verbis S. Pauli (1. Cor. 13. 2.): *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

120. Q. Quare dixisti : *meritorie?*

℟. Quia ad hoc, ut Leges, seu Præcepta *satisfactorie* impleantur, sufficit, ut voluntarie, et libere ponatur actus, qui jubetur. Communis. Hinc, qui dormiens, aut ebrius, aut prorsus coactus Missam audiret die festo, præcepto non satisfaceret : quia nec voluntarie, nec libere ageret. Dixi : *prorsus coactus*; quia si metu domini, vel magistri quis Missam audit, dummodo devote audiat, præcepto satisfacit : quia metus non tollit voluntarium, et liberum, ut diximus *Tract.* 1. *n.* 4. *etc. n.* 20. *etc.* licet peccaret ob perversam intentionem Missam non audiendi.

121. Q. Requiritur ne aliqua intentio ad impletionem Legis, aut Præcepti?

℟. Licet requiratur intentio rite præstandi opus præceptum, non tamen requiritur intentio satisfaciendi præcepto : quia Lex humana præcipit solum voluntariam, et liberam actus positionem, ex. gr. audiendi Missam, etc. Hinc, qui ignorans, aut immemor, diem esse festum Missam ex devotione audit, præcepto satisfacit, nec alteram Missam audire tenetur. Communis. E contra, qui ad Ecclesiam vadit curiositatis gratia, vel visendi amicum; nec cogitat, nec advertit ad Missam, quæ interim celebratur, vel derisorie audit, præcepto non satisfacit: quia intentio rite præstandi opus præceptum ei defuit. Et idem dicendum de eo, qui solo legendi, vel discendi fine Horas Canonicas recitaret. *Vide Ferraris V.* Lex, *Art.* 4. *n.* 5.

122. Q. Satisfacit ne præcepto, qui ponit opus cum intentione non satisfaciendi?

℟. Maxime, dummodo ad alium finem illud non applicet : Ita Suarez cum aliis *ap. Lig. ibid. n.*

164. quia posito opere præcepto, operans non potest efficere, ut positum non sit. Hinc, qui Missam attente, et devote die festo audivit, jam satisfecit, etiamsi intentionem non satisfaciendi habuisset, et intenderet aliam Missam audire. Dixi: *dummodo ad alium finem opus illud non applicet*: quia si illam Missam ad voti, vel ad sacramentalis pœnitentiæ satisfactionem applicet, patet, illa sola Missæ auditione etiam præcepto satisfacere non posse.

123. Q. Obstat ne nostræ sententiæ oppositio Navarri?

℞. Minime. Si enim (ut hic doctor, cum aliis opponit) quis voveret Missam audire, vel juraret dare pauperi eleemosynam votum non impleret, si Missam ex devotione audiret; nec juramento satisfaceret, si non titulo eleemosynæ, sed benevolentiæ Titio pauperi aliquid daret; in his casibus ipse vovens, et jurans est sibi legislator; et obligationem, quam vult, potest sibi imponere. At in casu nostro non ipse sibi præceptum imponit Missam audiendi; sed est Lex Ecclesiastica, quæ præcipit, ut Missa attente, et devote audiatur. Cum ergo libere, et voluntarie Missam audiat, jam Legi satisfacit, et sua contraria voluntate non potest efficere, ut præceptum in effectu impletum non sit: dummodo, ut dixi, ad alium finem Missam illam non applicet.

124. Q. Finis Legis, et modus eas implendi cadunt ne sub præcepto?

℞. Minime, nisi sint imperati. Hinc, licet finis Legis jejunii sit mortificatio corporis, si quis substantiam jejunii observet, licet finem sui corporis mortificandi non habeat, et revera mortificationem non experiatur, Legem jejunii implevit.

Sic, licet finis Missæ audiendæ sit Dei cultus, et genibus flexis deceat audiri, si quis autem de Dei cultu non cogitans, et sedens Missam attente audiat, præcepto satisfacit. Communis.

125. Q. Quare dixisti : *Si non sint imperati?*

℟. Quia si finis, et modus sint imperati, cadunt sub præcepto. Hinc, si Superior Missam genibus flexis audiendam imperaret ad avertendam publicam calamitatem; si quis genibus flexis (extra casum legitimi impedimenti), et ad hunc finem Missam non audiret, peccaret, nec præcepto satisfaceret. Sic, si Confessor sacramentalem pœnitentiam injungeret brachiis extensis implendam, vel genibus flexis, et ad divinam misericordiam impetrandam, hoc fine, et modo pœnitens debet eam adimplere.

126. Q. Et si quis fine, et modo pravo rem imperatam faceret, satisfaceret ne præcepto?

℟. Maxime, dummodo ille finis, et modus pravus substantiam rei imperatæ non vitiet. Hinc, si quis ob vanam gloriam, vel ut amasiam videat, vel ut furetur, vel incomposite sedendo Missam attente audiret, etiamsi ob pravos illos fines, et modum improprium peccet, Missæ tamen audiendæ præceptum impleret. Sic, qui vane indutus confitetur, et communicat, annuæ Confessionis, et paschalis Communionis præcepto satisfacit, nisi aliud obstet; et vanitas non sit immodesta, etiamsi ob illam levem vanitatem leviter peccaret. Ferraris ibid. n. 14.

127. Q. Quare dixisti : *dummodo ille finis, et modus pravus substantiam rei imperatæ non vitiet?*

℟. Quia si vitiat, præcepto non satisfaceret. Hinc, si quis, ut amasiam videat, ad Missam va-

dit, et revera per tempus notabile cum ea obloquatur, rideat, etc. vel renibus ad altare versis ad aliud attendendo, dum Missa celebratur, in Ecclesia intersit, præter alia peccata Missæ præcepto non satisfacit, quia vitiat substantiam: Ecclesia enim attentam Missæ auditionem imperat. Sic, qui sacrilege confitetur, et communicat, annuæ Confessionis, et Paschalis Communionis præceptum non implet, ut constat ex Propositione 14. damnata ab Alexandro VII. et ex Prop. 55. ab Innocentio XI. quia Ecclesia Confessionem validam, et devotam Communionem præcipit, et non sacrilegia. *Vide* Ferraris *supra*.

128. Q. Per unum actum potest ne pluribus Legibus, seu Præceptis satisfieri?

℟. Maxime, nisi contraria sit mens præcipientis; extra tamen materiam justitiæ. Communis. Hinc, qui ratione Ordinis sacri, et Beneficii ad Horas Canonicas tenetur, satisfacit unica Officii recitatione. Sic in diem Dominicum, Festo incidente, per unicam Missæ auditionem satisfit. Pariter, qui vovit singulis Sabbatis jejunare, per unicum jejunium satisfacit duplici præcepto, quando in Sabbato Quatuor tempora occurrunt, vel Vigilia.

129. Q. Quare dixisti: *nisi contraria sit mens præcipientis?*

℟. Quia si expresse, vel ex circumstantiis colligatur, aliam esse mentem Legislatoris, vel præcipientis, aut sibi, aut alteri; tunc per unum actum pluribus præceptis non potest satisfieri. Hinc, si Confessarius injungat jejunium, aut Missam; aut voveat quis jejunium, et Missam, pœnitens, et vovens non satisfacit jejunando in Quatuor temporibus, vel unicam Missam die festo audiens. E contra, si Confessarius per mensem Missam in-

jungat, non est censendum, velle obligare pœnitentem ad duas Missas in Festo, nisi exprimat. *Vide* Ferraris *loc. cit. a n.* 24. Et Alexander VII. in Prop. 35. damnavit eos, qui dicebant, unico Officio posse satisfieri duplici præcepto, idest pro die præsenti, et crastina: mens enim Ecclesiæ præcipientis est, ut singulis diebus Officium recitetur.

130. Q. Quare dixisti: *extra tamen materiam justitiæ?*

℞. Quia obligationes, quæ ex justitia debentur, singulæ sunt satisfaciendæ. Hinc, si decem Titio debeas ex legato, ex. gr. et decem pro damno illato, justitiæ non satisfaceres, si decem tantum, et non viginti Titio tribuas. Sic Sacerdos pro pluribus stipendiis acceptis non potest unum tantum Sacrificium offerre, quia est contra justitiam: qui enim eleemosynam pro una Missa, ex. gr. tribuit; vult, juxta suam intentionem, tantum eam offerri. Et contrarium dicentes fuerunt pariter proscripti *Prop.* 10. ab Alexandro VII.

131. Q. Potest ne eodem tempore pluribus Legibus satisfieri per diversos actus?

℞. Maxime, si unus actus non impedit alium debite exercendum: quia semper verificatur, illum hominem facere id, quod Lege, vel Præcepto præscribitur. Hinc, qui die festo Missam audiens, recitat Horas canonicas, aut alias preces obligatorias, utrique præcepto satisfacit: quia recitatio Horarum, et aliarum precum non impedit attentionem requisitam ad Missam. Communis. Si autem aliqui actus impedirent debitam attentionem ad Missam, tunc eodem tempore utrique obligationi non satisfieret. Semper tamen consultius est, et pietati magis congruum, si diverso tempore hæ obligationes adimpleantur.

ARTICULUS II.

De iis, quæ excusant ab observatione Legis, seu Præcepti.

132. Multæ sunt circumstantiæ, quæ excusant ab observatione Legis, et Præcepti, in quibus Leges, et Præcepta non obligant, eorumque transgressio non erit peccaminosa. Et hoc accedit. 1. Per cessationem causæ finalis. 2. Per abrogationem. 3. Per interpretationem, seu epichejam. 4. Per dispensationem. 5. Per privilegium. 6. Per consuetudinem. 7. Per ignorantiam, impotentiam, coactionem, concupiscentiam, et metum, de quibus in sequentibus Capitibus.

Caput I.

De Cessatione causæ finalis, et Abrogatione.

133. Q. Quando Lex non obligat cessatione causæ finalis?

R/. Quando cessat universim totalis ejus causa finalis. Communis: nam *cessante causa, cessat effectus*, ut habetur Cap. *Cum cessante*, de appellat. Hinc, si superior jubeat Collectam, et Preces pro aeris serenitate, ex. gr. hac obtenta, cum cesset causa finalis, cessat etiam Lex. Sic in primitiva Ecclessia Apostoli (Actor. 15.) Legem constituerunt, ut omnes abstinerent ab immolatis, sanguine, et suffocatis, eo solo fine, ut judæi ab iis abhorrentes, tanto facilius in Fide cum gentilibus jungerentur. Cum tractu tempo-

ris hic finis cessarit, cessavit quoque obligatio illius Legis Apostolicæ, seu talis abstinentiæ, ut docet S. Augustinus (*Lib.* 33. contra Faustum *Cap.* 13.), et Nicolaus I. in responsione ad Bulgaros *cap.* 90. *etc.*

134. Q. Quare dictum est: *universim?*

℟. Quia si finis Legis non cesset pro toto Regno, ex. gr. vel pro tota Provincia, Diœcesi, Communitate, etc. pro quibus Lex lata est, etiamsi pro aliquibus in particulari cesset, Lex adhuc obligat omnes. Sic Ecclesia multos libros prohibuit propter subversionis periculum; Princeps armorum delationem ad vitandas rixas, et homicidia vetuit; etiamsi aliquis, imo multi, subversionis periculum non incurrant libros illos legendo, quia firmi sunt in fide, et pietate; et pariter etiam multi sint, qui vel ob senectutem, vel pacificam naturam, etc. rixarum pericula non incurrant, Legis finis, et periculum in communi, non cessat: et idcirco omnes observare tenentur. Communis.

135. Q. Quid circa dicta est præterea notandum?

℟. Notandum, quod si Lex non fundetur in præsumptione periculi, potest cessare etiam in aliquo casu particulari, quando Lex redderetur inutilis, et multo majus si redderetur perniciosa. Sic, etiamsi adsit Lex obligans ad correctionem fraternam, si hic, et nunc ex corretione facta in aliquo casu particulari non speretur fructus, et correctio redderetur inutilis; et multo majus si ex correctione hic, et nunc facienda, timeretur aliquod inconveniens, scandalum, etc. tunc cessante fine Legis, qui est resipiscentia correcti, Lex in hoc casu non obligaret; et correctio esset o-

mittenda, vel potius differenda, si alio tempore fructuosa judicetur.

136. Q. Quid est abrogatio, et in quo differt a Derogatione, et Irritatione?

R. *Abrogatio* est totius Legis abolitio, ita ut, Lex legitime abrogata amplius non obligat. *Derogatio* autem est partialis Legis abolitio; ita ut etiamsi non obliget in toto, obliget in parte. Sic expresse docetur in L. *Derogatur* 102. de verb. signif. *Irritatio* demum est annullatio Legis, ita ut Lex irritata non amplius obligat. Hæc autem *Irritatio* non potest fieri nisi a Superiore, qui potestatem dominativam, seu quasi dominativam habeat. Hinc, Papa potest irritare, seu annullare Leges Episcoporum, Synodorum, etc. Maritus, qui potestatem habet quasi dominativam super uxorem, potest annullare illa vota uxoris, quæ adversantur vitæ sociali, prolis educationi, et rectæ familiæ gubernationi. Communis.

137. Q. Quis potest Legem abrogare, vel derogare?

R. Potest 1. Legislator ipse, qui eam tulit. 2. Ejus æqualis successor in Officio. 3. Ejus Superior in Jurisdictione. Communis. Inferior autem nullam auctoritatem habet Legem sui Superioris derogandi, vel abrogandi ex Cap. *Inferior* 4. dist. 21. Et proinde cum Deus nullum habeat superiorem, vel æqualem; sequitur, nullum posse abrogare, derogare, vel irritare Leges divinas, et naturales. Hinc, si Legislator, vel ejus Successor vel Superior Legem aliquam abroget, vel etiam de illa Lege mentionem non faciens, aliam Legem contrariam ferat, prima Lex abrogata, derogata censetur. Sic in Cap. *Licet* de Const. in 6.

138. Q. Est ne aliud prӕterea notandum?

℟. Notandum, quod Leges speciales, vel consuetudines locorum non abrogantur, vel derogantur per Legem posteriorem generalem, nisi Legislator id exprimat, dicendo, ex. gr.: *Non obstantibus statutis particularibus locorum*, vel: *Non obstante quacumque consuetudine contraria, etiam immemorabili*, vel similibus verbis, ex cit. Cap. *Licet.* ap. Ferraris sup. Art. 5. n. 13. Si enim non exprimat, potest judicari, Legislatorem illa statuta, vel consuetudines forsan ignorare; et proinde censendum est, illis nolle eam derogare: voluntas enim non fertur in incognitum.

139. Q. Possunt ne licite Leges abrogari?

℟. Justa interveniente causa, *prӕsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcat*, ut legitur in Cap. *Non debet* 8. *de Consanguin.* possunt quidem abrogari, vel derogari pro locorum, et temporum circumstantiis. Et revera ipse Deus multa, quӕ in veteri Testamento statuerat, in novo mutavit; et etiam Ecclesia rationabili causa, multa, quӕ disciplinam prӕsertim respiciunt, abrogavit, in melius mutavit. Si autem justa non intervenerit causa, etiamsi valide, illicite tamen abrogarentur, vel derogarentur: quia cum Leges in bonum publicum tendant, sine justa causa hoc bono non debet Communitas privari.

140. Q. Potest ne Episcopus abrogare constitutiones in Synodo factas?

℟. Licet raro expediat, potest tamen, nisi Synodus sit confirmata a Papa, vel ab aliqua Congregatione ad hoc deputata: quia in Synodis Diœcesanis tota auctoritas, et vis legislativa stat

in Episcopo, non habentibus aliis Ecclesiasticis nisi vocem consultivam. Dixi: *nisi Synodus sit confirmata a Papa, etc.* quia si sit confirmata, evadit Lex papalis, et proinde ab Episcopo, utpote inferiori, non possent ejus constitutiones abrogari.

Caput II.

De Interpretatione, et Epicheja.

141. Q. Quid, et quotuplex est Interpretatio?

℟. Interpretatio generaliter sumpta, est Legis obscuræ explicatio, qua declaratur, an in tali casu obliget, vel non obliget. Et duplex est: una *verbalis*, quæ dicitur simpliciter Interpretatio, et est explicatio verborum conformiter ad mentem, quam Legislator habuit Legem condendo: alia *benigna*, quæ dicitur *Epicheja*, et est explicatio mentis, quam Legislator habuisset, si ad præsentem casum advertisset, et quam haberet, si hic, et nunc posset interrogari. Declarat proinde casum aliquem particularem ex mente Legislatoris sub Lege universaliter lata non comprehendi. Communis: ex. Leg. *Placuit*, Cod. de Judiciis. Loquamur prius de Interpretatione *Verbali.*

142. Q. Quotuplex est Interpretatio *Verbalis*?

℟. Triplex: authentica; usualis, et doctrinalis. Interpretatio *authentica* est illa, quæ fit ab ipso Legislatore, vel ejus Successore, aut Superiore, et hæc si promulgetur, obtinet eamdem auctoritatem, ac ipsa Lex, quam declarat. Interpretatio *usualis* est illa, quæ per usum, et consuetudinem introducitur; nam Consuetudo, ut dicitur in Cap. Cum dilectus 8. de Consuetu. est optima Legum

interpres. Sed de hac in Cap. V. Interpretatio *doctrinalis*, quæ dicitur etiam *scholastica*, et *magistralis*, est illa, quæ fit a Doctoribus, et Magistris. Et hæc interpretatio *doctrinalis*, licet per se loquendo non inducat obligationem, quando autem Doctores, vel omnes, vel sanior eorum pars conveniunt, magnam habent auctoritatem. Si autem disconveniunt, recole, quæ diximus in *Tractatu* 1. *de Opinione probabili*, *et probabiliori a n.* 66.

143. Q. Datur ne alia divisio Interpretationis?

℞. Maxime. Interpretatio *Doctrinalis* subdividitur in declarativam, extensivam, et restrictivam. *Declarativa* est congrua obscurorum, vel dubiorum verborum expositio. *Extensiva* est ampliatio Legis ad casum non expressum, sive sit ob paritatem rationis, sive quia judicetur, eum comprehensum esse in mente Legislatoris ob adæquatam rationis identitatem. *Restrictiva* est ea, quæ per verba Legis, seu Statuti, etc. in sua generali significatione coarctatur, et quasi restringitur, ob aliquod inconveniens, sic suadente æquitate.

144. Q. Quæ regulæ tenendæ sunt in Interpretatione *Declarativa* Legum?

℞. Multæ. 1. Quando mens Legislatoris potest resciri, hæc est attendenda. 2. Quando hæc resciri non potest, attendenda est ratio, vel finis Legis. 3. Nisi in contrarium constet de mente Legislatoris, verba accipienda sunt in sensu proprio, obvio, et naturali. 4. In dubio fiat interpretatio pro valore actus. 5. Lex pœnalis, et onerosa stricte interpretanda est, Lex autem favorabilis ampliandа juxta illam Regulam juris: *Odia restringi*, *et favores convenit ampliari*.

145. Q. Quænam regulæ tenendæ in interpretatione *extensiva*?

R/. Non semper, cum par est ratio, fieri potest ampliatio de uno ad alium casum, sed vel quando fertur ratio, ob quam Lex est lata. Sic cum S. Pius V. permisit monialibus egressum a Monasterio propter incendium, et epidemiam, ne perirent; ob eamdem rationem, ne pereant, egredi poterant ad ruinam domus, inundationem, hostium invasionem, et similia, ut communiter Doctores docere, dicit Mazzotta (Tr. 1. D. 2. q. 1. cap. 3. q. 5.). 2. Si non extenderetur Lex ad alium casum, Legislator argui possit de injustitia, imprudentia. 3. In correlativis. Sicut enim sponsa potest resilire a sponsalibus, si sponsus absque ejus licentia absit. ex Cap. *De illis* de sponsal. sic etiam sponsus. 4. In iis, quæ sub altero continentur, ut pars sub toto, imperfectum sub perfecto, et in aliqua circumstantia. Ut si Lex permittat esum carnium, etiam ovorum esum permittet.

146. Q. Quænam regulæ servandæ in Interpretatione *restrictiva*?

R. Solum in pœnalibus, et odiosis, si Lex sit dubia, licet eam stricte interpretari, et regulariter non extendi ultra casum, et personas ibi expressas. Communis per textum in Leg. 42. ff. de pœnis; *odia* enim, ut dictum est, *convenit restringi*. Sic etiamsi in favorabilibus sub nomine *filii* intelligantur etiam filiæ fœminæ, et nepotes, et filii legitimati, et adoptivi; in odiosis vero, et pœnalibus non comprehenduntur filiæ, nepotes, legitimati, adoptivi, nisi hi sint expressi.

147. Q. Quando *Epicheja* (n. 140.) locum habet?

R/. Quando datur casus aliquis, in quo observantia Legis litteralis esset nociva bono commu-

ni, vel afferat notabile damnum, vel ex aliqua circumstantia Lex illa evaderet injusta, aut nimis dura, et onerosa. Hisce casibus merito præsumi potest, si Legislator esset præsens, nolle ad observantiam obligare. Hinc, licet adsit Lex restituendi depositum ad libitum deponentis, nihilominus ensis depositus potest domino denegari in casu, quo sit gladio abusurus. Et sic infirmus in lecto recumbens non tenebitur die festo ad Missam audiendam ob notabile damnum, quod posset ei evenire. Ita Salmaticenses (Cap. 4. n. 44.) cum S. Thoma, et aliis.

148. Q. In Legibus divinis datur ne *Epicheja?*

℟. In Legibus divinis, et naturalibus, quæ respiciunt ea, quæ ideo sunt mala, et peccata, quia sunt prohibita, ut opera servilia, et forensia diebus festis; vel respiciunt ea, quæ non necessaria sunt ad æternam salutem; vel si sunt necessaria, necessaria sunt non ex sola Dei ordinatione, sed etiam ex electione humana, ut sunt vota, et juramenta, quæ fiunt ex voluntate hominis, in his dari potest Epicheja, et potest benigne mens Dei interpretari, quod in aliquibus circumstantiis Lex non obliget, et possit, ex. gr. diebus festis vacare servilibus, non implere vota, et juramenta emissa, dissolvere matrimonia rata, et non consumata, et similia, ut revera, Ecclesia permittente, factum est. Si autem Leges divinæ respiciunt ea, quæ ex sola Dei ordinatione necessaria sunt ad salutem, ut sunt Præcepta Decalogi, et Evangelii, hæc *Epichejam* non patiuntur; et revera ab Ecclesia non permittuntur transgressiones.

Caput III.

De Dispensatione.

149. Q. Quid, et quotuplex est Dispensatio?

℟. Dispensatio est Legis relaxatio ob justam causam facta ab eo, qui legitimam habet auctoritatem, ad differentiam Interpretationis, et Epichejæ, quæ non relaxant, sed in aliquibus circumstantiis declarant verba dubia Legis, et quæ sit mens Legislatoris. Dispensatio principaliter dividitur in *ordinariam*, quæ ratione sui officii alicui convenit; et in *delegatam*, quæ alicui conceditur ab eo, qui potestatem habet ordinariam. Hæc autem *delegata* Dispensatio vel conceditur a *jure*, et æquiparatur ordinariæ, vel conceditur ab aliquo Superiore, et vocatur *ab homine*. Quis autem, et in quibus, et quando possit dispensare, et quando facultas cesset dispensantibus, videbitur in Paragraphis sequentibus.

Paragraphus I.

De eo, qui potest dispensare.

150. Q. Quis in Legibus potest dispensare?

℟. Potestate ordinaria, potest dispensare ipse Legislator, ejus Successor, et Superior, cui Legislator, aut Successor est subordinatus. Inferior autem in Superioris Lege non potest dispensare, nisi potestate delegata, et quantum ipsi est concessum. Communis, et ex Clement. *Ne Romani* 2. de Elect. §. 1. ubi exprese habetur: *Lex superioris per inferiorem tolli non potest.* Hinc sequitur, in Legibus divinis proprie, et rigorose

loquendo, neminem, et nec Papam posse dispensare, quia inferior. Potest tamen Papa, et qui ab hoc potestatem delegatam habent, per Epichejam (140. 147. *et* 148.) declarare quod in aliquibus casibus propter aliquod inconveniens, quod sequeretur, aut majus bonum, quod impediretur, illa Lex non obliget, ut toties accidit in relaxatione votorum, juramenti, et operum servilium in Festo. Ferraris cum aliis, quos citat (V. *Dispensatio* n. 19.).

151. Q. Quas Leges potest Papa dispensare?

℟. Papa ex plenitudine suæ potestatis potest in quacumque Lege Ecclesiastica tam a seipso, quam a suis Prædecessoribus facta dispensare, sicut etiam in sacris Canonibus, Conciliis tam generalibus, quam particularibus, ut constat ex Cap. *Proposuit* 4. de Concession. Præbend. et multo magis in Legibus Episcopalibus. Imo potest dispensare etiam in Legibus sancitis ab Apostolis, tamquam Prælatis Ecclesiarum, ut S. Thomas cum Communi: et revera sæpe dispensatum est cum Neophitis, et Bigamis, quos S. Paulus ab Episcopatu arcet (1. Timoth. 3. 6. Tit. 1. 6.). Dixi: *tamquam Prælatis Ecclesiarum*: quia in Legibus, quas Apostoli a Christo Domino acceperunt, ut sunt Leges circa materiam, et formam Sacramentorum etc. Papa non potest dispensare. Vide B. Ligorio Lib. 1. Tr. 2. n. 188.

152. Q. Quas Leges dispensare possunt Episcopi, Prælati Regulares, et Parochi?

℟. Episcopi, sicut et Capitulum, Sede vacante, ejusque Vicarius Capitularis (non autem Vicarius Generalis Episcopi, nisi expressam habeat auctoritatem, ut Salmatic. c. 5. n. 31. et 35.) Potestate ordinaria dispensare possunt cum suis

Subditis ubique existentibus tam in Legibus propriis, quam in Legibus Prædecessorum, sicut etiam in iis, quæ statuta sunt in Synodis suæ Diœcesis, nisi roborata sint auctoritate Papæ, et etiam in iis, quæ statuta sunt a Synodo Provinciali in sua Diœcesi, nisi a Synodo ipsa sint aliqua reservata, vel nisi, ut dixi, a Papa sint confirmata. Communis.

153. Q. Quare dixisti: *Potestate ordinaria?*

R. Quia licet Episcopi etc. potestate Ordinaria non possint dispensare circa Leges Pontificias, Sacros Canones, et Decreta Conciliorum generalium; quia, ut dictum est n. 65. inferiores non possunt dispensare in Lege Superioris; nihilominus vel potestate a jure delegata, vel per tacitam Papæ concessionem, vel per consuetudinem, vel per Epichejam possunt in aliquo casu particulari in iis dispensare. Hinc ex delegatione Tridentini (sess. 24. c. 6.) possunt dispensare in Irregularitatibus occultis (excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario), in censuris etc. ut alibi dicemus.

154. Q. Quando dispensare possunt ex consuetudine?

R. Quando consuetudo est legitime præscripta in aliquo casu particulari, dispensare possunt in Festorum, et jejunii observatione, in recitatione divini Officii, in juramentis, et votis non reservatis. Imo etiam in votis reservatis, in impedimentis matrimonii, in irregularitatibus, et similibus, quando non est facilis accessus ad Papam, et periculum est in mora, ut alibi dicetur: quia hoc exigit bonum commune, et si Papa requireretur, concederet. Et cum hæ facultates competant Episcopis ratione officii, cui perpetuo sunt annexæ, hanc dispensandi facultatem etiam aliis

possunt delegare. Ita Salmaticenses cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio ibid. n. 190.

155. Q. Quid præterea est notandum?

℟. Notandum, quod quando sacri Canones dicunt, aliquam Legem posse dispensari, nihil dicendo, a quo dispensari queat, tunc saltem Episcopis hanc dispensandi concessionem factam esse censendum est. Sic expresse dicit Glossa in Cap. *Quisquis* 43. de elect. et in Cap. *In quibusdam* 12. de Pœnis V. *Dispensatum: Cum non determinatur, a quo possit dispensari, dixit Joannes, quod Episcopus potest dispensare, ex quo Papa non retinuit sibi dispensationem.* Et sic Abbas, Felinus, et alii, quos refert, et sequitur Ferr. V. *Dispensatio n.* 26. Quod autem possunt Episcopi cum suis diœcesanis, possunt etiam Prælati Regulares cum suis subditis. Billuart Tr. de Legib. Art. 3. §. 1. Non possunt vero dispensare in votis essentialibus ex Can. *Cum ad Mon.* de stat. Monac. Parochi autem ex consuetudine possunt in jejunio, et Festorum obligatione, præsertim quando facilis accessus non est ad Episcopum (B. Ligorio ibid.); et in aliquo casu extraordinario etiam in impedimentis Matrimonii, ut dicetur.

156. Q. Potestas dispensandi potest ne aliis delegari?

℟. Qui potestatem habent ordinariam, possunt quidem eam aliis inferioribus dare. Qui autem a Superioribus facultatem habent dispensandi, si facultas subdelegandi non sit concessa, generaliter loquendo non possunt eam aliis delegare: quia Delegatus est executor, et non Dominus, et proinde non potest subdelegare. Dixi: *generaliter loquendo*: quia quoad facultates, quas Episcopi

etc. habent in Leges Pontificias, ut supra (153. 154. et 155.); cum hæ annexæ sint officio pastorali, et æquiparentur potestati ordinariæ, possunt ab Episcopis etc. etiam aliis delegari. Sicut etiam potest subdelegare qui est delegatus a Principe supremo, a Papa. B. Ligorio sup. n. 193. ex Cap. fin. §. 1. de Offic. et Potest. deleg.

157. Q. Quomodo accipienda est facultas delegata dispensandi, late, an stricte?

℟. Si hæc facultas absolute data sit ab homine per modum gratiæ in favorem delegati, ut si Episcopus daret alicui facultatem dispensandi in votis, juramentis; tunc hæc facultas late est accipienda, nec expirat morte concedentis. ex Cap. *Si is, cui* de Præbend. in 6. Si autem facultas detur per modum commissionis pro aliquo casu particulari, ut si Episcopus daret alicui facultatem dispensandi Titium a juramento, hæc facultas est stricte accipienda, et expirat morte concedentis, si res sit integra, idest, si ejus executio non sit incepta; quia si sit incepta, ut si Titius ex. gr. ante mortem delegantis, jam se præsentavit in confessione, non expirat. Cap. *Si is, cui*, et Cap. *Relatum* de Offic. Deleg. Ipsa autem dispensatio, cum juxta S. Augustinum (ap. Habert de Legib. Cap. 10. q. 4. prob. 3.) sit vulnus, quod Legi infligitur, est odiosa, et propterea stricte accipienda, nisi dispensatio sit debita, vel procedat ex motu proprio Superioris *C.* 1. §. 1. de Fil. Presbyt. in 6. Ligorio ibid. n. 187 193. 195.

158. Q. Qui potestatem habet dispensandi alios, potest dispensare etiam seipsum?

℟. Maxime, si habeat potestatem ordinariam.

Si autem habeat potestatem delegatam, non potest. Hinc Episcopus aut alicui committere potest, ut secum dispenset in jejunio, voto etc. ut vellet Suarez cum aliis; aut directe, et immediate ex semetipso, ut docet Communis: quia etiamsi dispensatio, cum sit jurisdictionis actus, nonnisi in subditos possit exerceri; et nemo sui ipsius possit esse subditus; nihilominus cum hæc jurisdictio sit pure voluntaria, etiam in seipsum potest exerceri. B. Ligorio ibid. n. 183. cum aliis.

159. Q. Quid dicendum in dubio, an casus aliquis indigeat dispensatione?

℟. Etiamsi casus sit Papalis, Episcopus consideratis considerandis, vel potest declarare, casum illum dispensatione non indigere, vel ad cautelam dispensare. Ita Barbosa Par. 2. de Offic. et potest. Episcop. et alii ex Cap. *Cum desideres* 15. de Sentent. Excommun. Et ratio, quia cum reservatio dispensationis sit odiosa, utpote quæ coarctet potestatem ordinariam Episcoporum, restringenda est ad casus certos juxta Regulam 15. juris in 6. *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* Et idem dicendum in dubio, an votum sit reservatum, in dubio, an adsit causa sufficiens ad dispensandum. B. Ligorio ibid. n. 192. cum aliis, quos ibi citat.

Paragraphus II.

De Causa Dispensationis.

160. Q. Licita est ne dispensatio facta absque causa?

℟. Minime; et constat ex definitione (n. 149).

Id clare habetur ex Tridentino (Sess. 25. Cap. 18. de Reform.), ubi postquam commendavit exactam sacrorum Canonum observantiam, subjungit, quod si aliquando dispensare contigerit, id non fiat nisi *causa cognita*, *et si urgens*, *justaque ratio*, *et major utilitas postulaverit*; *aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur*. (Quando autem censeatur *subreptitia*, dicetur infra 168. et 169.). Etiam S. Bernardus scribens ad Eugenium Papam (Lib. 3. de Consid. c. 4.) sic inquit: *Ubi necessitas urgeat*, *excusabilis dispensatio est*; *ubi utilitas provocat* (*utilitas communis*, *non propria* dispensantis) *dispensatio laudabilis est*; *nam cum nihil horum est*, *non plane fidelis dispensatio*, *sed crudelis dissipatio est*.

161. Q. Quomodo peccat qui dispensat sine causa?

℟. Ex relatis Tridentini, et S. Bernardi verbis videtur peccare lethaliter; nisi parvitas materiæ excuset: etenim Sanctus Abbas hujusmodi dispensationem *crudelem dissipationem* appellat, præsertim vero cum grave adest scandalum. Et ejusdem culpæ reus est, qui conscius carentiæ causæ petit, vel ultro acceptat dispensationem; jus enim naturale dictat, partem debere conformari cum suo toto. Vide Ferraris (V. *Dispensatio* a n. 14. ad 18. et notam in litt. *a*). Imo peccat etiam peccato scandali, quia vult inducere Superiorem ad dandam illicitam dispensationem. Si autem bona fide petit, et acceptat, remittendo se judicio Superioris, tunc nec leviter peccabit. Vid. B. Ligorio supra n. 178.

162. Q. Quid præterea notandum circa dispensationes factas a Papa?

℟. Notandum, quod licet videatur Papa in Legibus Ecclesiasticis absque causa aliquando dispensare præsertim in matrimonialibus, hoc tamen verum non est, justæ enim causæ, quæ *ejus animum moveant*, ut legitur in hujusmodi dispensationibus, possunt inesse, etiamsi hæc causa ab aliis ignoretur; et etiam elargitio illarum eleemosynarum, quæ a dispensatis erogantur, et a Papa impenduntur ad sustentandos tot sacros Missionarios, qui in partibus Infidelium Fidem extendunt, et in alios pios usus Christianæ Reipublicæ maxime utiles, et necessarios, quos nos nescimus, potest in partem intrare illius justæ causæ, quæ Summi Pontificis animum moveat ad dispensandum: eo magis quod hæc est consuetudo plurium sæculorum.

163. Q. Quænam sunt justæ causæ ad dispensandum?

℟. Justæ causæ eruuntur ex citatis verbis Tridentini, et S. Bernardi (n. 160.): *utilitas* nempe præsertim boni communis, aut quæ redundet in bonum commune, et *necessitas*; et ut legitur in Cap. *Innotuit* de Elect. etiam *litterarum scientia*, *morum honestas*, et fama personæ, quæ petit dispensationem (et juxta B. Lig. ibid. n. 195. etiam *dignitas*). *Necessitas* autem, quæ requiritur ad dispensandum, non debet esse tanta, ut de se tollat obligationem Legis: hoc enim casu non dispensatione, sed epicheja (n. 140.) opus esset, benigne interpretando, ex mente Superioris Legem illam tunc non obligare, ut accidit in graviter infirmo, qui non tenetur ad jejunium, ad Missam, ad Horas Canonicas, etiamsi non dispensetur.

164. Q. Quando adest justa causa, tenetur ne Superior ad dispensandum?

℟. Quando jus præcipit, ex ea causa dispensari; vel dispensatio necessaria est ad bonum commune (et etiam privatum, si sit notabile, et præsertim spirituale), vel ad evertendum grave damnum, vel publicum scandalum; vel juxta S. Thomam (1. 2. q. 97. *a*. 4.) si alias majus bonum etiam privati impediretur, tunc sub gravi, vel sub levi juxta gravitatem materiæ tenetur Superior ad dispensandum in iis, quæ sui juris sunt. Si vero causa sit tantum sufficiens, et non necessaria, nec debita, tunc Superior prout melius expedire judicaverit, concedat, vel deneget dispensationem: bono enim subditi expedit dispensatio: bono vero communi expedit Legis observantia. Hic autem nota, quod etiamsi dispensatio injuste denegetur, nequit subditus agere contra Legem, nisi talis causa urgeat, ut eum liberet, et deobliget a Lege ipsa.

165. Q. Quid dicendum in dubio, an causa sit justa?

℟. Quoad petentem dispensationem, exponat candide causam suo Superiori, ac ab eo dependeat. Quoad Superiorem vero, non acquiescat carni, et sanguini, sed absque passione factum examinet; ac si adhuc manet dubius, an causa dispensandi sit sufficiens, dicunt Salmaticenses cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (supra n. 192.) posse judicari, dispensationem esse licitam: quia juxta dicta n. 157. potestas dispensandi est late interpretanda, dummodo dispensandi potestas data non sit per modum commissionis, ut ibi dicitur.

166. Q. Est ne saltem valida dispensatio sine causa?

℟. Si dispensatio detur ab ipso Legislatore,

vel ab ejus Successore, aut Superiore, est valida, licet illicita; et dispensatus solutus esset ab obligatione Legis: si autem dispensatus mala fide petat, vel acceptet dispensationem, peccabit. Si autem dispensatio detur ab inferiore absque causa, dispensatio non solum erit illicita, sed etiam invalida, quia non est præsumendum, Superiorem velle permittere, ut inferior det dispensationem peccaminosam. Hinc absque justa causa nec Papa in Lege divina, nec Episcopi, aliique Prælati in Lege Ecclesiastica valide dispensare possunt, et proinde dispensatio in voto, et juramento etiam a Summo Pontifice data absque causa rationabili erit et invalida, et illicita: quia Lex voti, et juramenti est juris divini, cui Papa subest.

167. Q. Qui putat, non subesse causam, quæ tamen subsistit, dispensat ne valide?

℟. Maxime. Qui autem sic dispensaret, ob conscientiam erroneam peccaret. Et sic dispensatus licite utitur hujusmodi dispensatione: quia valor dispensationis non pendet a cognitione causæ, sed ab illius existentia. Ita Salmaticenses cum aliis apud B. Lig. ibid. n. 181. Secus autem dicendum de inferiore, qui dispenset bona fide sine causa, quam ipse credit adesse. Non peccabit ob bonam fidem, sed invalide dispensaret, ut numero præcedenti dictum est.

168. Q. Est ne valida illa dispensatio, in qua vel exponitur causa falsa, aut veritas tacetur?

℟. Quando veritas reticetur, petitio, et dispensatio dicitur *subreptitia*: si exponitur falsa, petitio, et dispensatio dicitur *obreptitia*. His declaratis, Innocentius Papa III. in Cap. *Super litteris* de Rescript. sua auctoritate casum decidit. *Qui per fraudem, et malitiam* (en ejus verba)

supprimunt veritatem, *vel falsitatem exprimunt*, *in suæ perversitatis pœnam* dispensatio est nulla. *Si per simplicitatem*, *et ignorantiam* id egerint, *distinguendum* : *Si falsitas expressa*, *aut veritas occultata fuit talis*, ut etiamsi innotescerent, nihilominus dispensatio daretur, tunc dispensatio est valida. Si autem cognita *falsitate expressa*, *aut veritate occultata*, dispensatio non daretur, tunc dispensatio erit invalida.

169. Q. Quid hic præterea notandum ?

℟. Notandum, quod si præter illam falsitatem expressam, aut veritatem occultatam alia sit causa, quæ per se foret sufficiens ad dispensationem obtinendam (et in dubio censetur sufficiens), juxta Salmaticenses, et alios, quos citat, et sequitur B. Lig. (ibid. n. 185.), dispensatio erit valida : dummodo *per fraudem*, *et malitiam*, ut declaravit Innoc. III. falsitas illa non fuerit expressa, aut dummodo ex jure, vel ex stylo Curiæ falsitatis expressio, vel veritatis occultatio non invalidet dispensationem, ut accidit præsertim in matrimonialibus. Sed de his iterum, cum agetur de Impedimentis matrimonii.

PARAGRAPHUS III.

De Cessatione dispensationis.

170. Q. Quomodo potest cessare dispensatio ?

℟. Multipliciter. 1. *per revocationem*, quando scilicet Superior revocat datam dispensationem (quod tamen sine justa causa fieri non debet). 2. cessat, si conditio requisita non verificetur, non solum quando fit petitio, sed etiam quando dispensatio executioni est mandanda. Hinc etiamsi

impedimentum matrimonii, ex. gr. fuerit occultum recurrendo ad sacram Pœnitentiariam, si detegatur in capienda informatione, dispensatio cessat: quia conditio occulti requiritur in dispensationibus Pœnitentiariæ. 3. Transacto tempore concessionis, ex. gr. si dispensatio concessa sit ad mensem.

171. Q. Est ne alia occasio, qua cesset dispensatio?

℟. 4. Cessat dispensatio, quando cessat causa finalis, ob quam dispensatio est concessa, dummodo dispensatio non sit jam executioni mandata: quia hæc præsumi debet esse mens rationalis Dispensantis. Hinc, si dispensatio matrimonialis concessa sit vel ob paupertatem supplicantis, vel ob legitimandam prolem, et antequam dispensatio exeutioni mandetur, supplicans ob advenientem hæreditatem a paupertate sublevetur, vel proles moriatur, dispensatio cessat. Et hic est stylus Curiæ juxta Pyrrum Corradum infra citandum. Si autem dictæ causæ cessarent post datam executionem dispensationi; tunc dispensatio non cessat: quia per dispensationem executioni mandatam impedimentum jam est ablatum, nec redit absque nova Lege, ut clare colligitur ex Regula 73. Juris in 6. Et hoc docet Pyrrhus Corradus (Lib. 7. c. 2. n. 28. 31. etc. 6. n. 25.) unus ex peritioribus Ministris Curiæ Romanæ. Et sic, si quis ob infirmitatem, convalescentiam, gracilitatem dispensatus sit ad carnes in Quadragesima, cessante causa, cessat etiam dispensatio.

172. Q. Si quis dispensatus sit a voto ad ducendam uxorem, mortua uxore, reviviscit ne votum?

℟. Si hujusmodi dispensatio concessa sit relative ad aliquem casum specialem, ex. gr. ad despon-

sandam Bertam a dispensato defloratam, tunc mortua Berta, votum reviviscit; et absque nova dispensatione ad novas nuptias nequit transire. Si autem dispensatio concessa fuit absolute ad contrahendum matrimonium, etiam mortua uxore, perdurat dispensatio, et ad alias nuptias posset ipse transire: quia dispensatio absoluta non cessat per unum actum. Ita Salmaticenses cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio Lib. 1. Tr. 2. n. 196. in fine.

173. Q. Dispensatio cessat ne morte Dispensantis?

℟. Si dispensatio data sit absolute non cessat morte Dispensantis: dispensatio enim adnumeratur inter gratias, quæ non expirant morte concedentis ex Cap. *Si super* de Offic. Deleg. in 6. Et hæc est praxis, et dispensationes revera executioni mandantur etiam post mortem Pontificis, aut alterius Superioris dispensantis. Et idem dicendum, si dispensatio detur *ad arbitrium Episcopi*, ex. gr. *ad arbitrium Sedis Apostolicæ*, *usquedum revocetur*, et similibus formolis. Si autem dispensatio daretur ad *beneplacitum nostrum*, ex. gr. *donec voluero etc.* tunc mortuo Dispensante, expiraret dispensatio: quia mortuus non potest amplius velle, nec ei amplius placere.

174. Q. Dispensatus potest ne dispensationi renunciare?

℟. Maxime, nisi renunciatio redundet in damnum Communitatis, aut alterius, in cujus favorem concessa sit dispensatio; vel nisi Superior præcipiat subdito ex justa causa, ut ea utatur. Ac si renunciatio acceptata sit a Superiore, dispensatus non amplius potest ea uti. Hic autem nota, quod dispensatus, ex. gr. ad contrahen-

dum cum Berta, etiamsi contrahat cum Livia, mortua Livia, potest uti dispensatione, et Bertam ducere. Item dispensatus a jejunio, vel Officio divino, potest uti dispensatione, etiamsi post obtentam dispensationem per aliquod tempus et Officium recitaverit, et jejunium servaverit. Salmaticenses cum aliis ap. Lig. ib. n. 198.

PARAGRAPHUS IV.

De Dispensationibus, et aliis Facultatibus sacræ Pœnitentiariæ.

175. Q. Quæ dispensationes, et facultates obtinentur a S. Pœnitentiaria?

℟. De jure ordinario obtinentur dispensationes super Irregularitate, Votis, Juramentis, commutatione Officii divini, super Impedimentis occultis matrimonii tam contracti, quam contrahendi; revalidationes dispensationum matrimonialium male obtentarum; absolutiones a peccatis, et censuris; condonationes, et compositiones, quoad fructus Beneficii male perceptos, et habilitationes ad percipiendos; habilitationes Regularium, et Monialium, et eorum transitus de una ad alteram Religionem, quæ omnes facultates gratis conceduntur, et non expirant nec morte Pontificis, nec morte Pœnitentiarii Majoris, vel eo cessante ab officio, ex Const. Bened. XIV. *Pastor bonus* 95. Dixi: *de jure ordinario:* quia per gratiam Major Pœnitentiarius obtinet a Papa dispensationes etiam in impedimentis publicis, et alias facultates.

176. Q. Quid notandum circa eos, qui ad sacram Pœnitentiariam recurrunt?

℟. Primo factum exponi debet in sua veritate:

nam si petitio sit obreptitia, vel subreptitia, ut supra explicatum est *n.* 168, *et* 169. dispensatio foret nulla. Supplicatio scribatur idiomate vulgari, vel latino; et sigillata dirigatur ad Eminentissimum, ac Reverendissimum D. Cardinalem Pœnitentiarium Majorem Romam. Si factum sit occultum, in Supplicatione non apponitur nomen proprium supplicantis, sed fictitium, ex. gr. *Titius*, *Berta*, vel *N. N.* et quando per Procuratorem Romæ existentem hæc non præsentetur, apponatur in ipsa, ad quem locum, et cui dirigenda sit responsio, quæ si retardaret, renovetur Supplicatio.

177. Q. Cui inscribuntur Literæ responsivæ, quæ a Sacra Pœnitentiaria veniunt?

℟. Ordinarie inscribuntur ad Confessarium ab ipso pœnitente electum, qui tamen approbatus sit in loco, ubi hujusmodi Literæ sunt aperiendæ, et executioni mandandæ; et si his Literis requiratur, quod hujusmodi Confessarius sit Doctor, Magister etc. dictas debet habere qualitates. Apertis Literis, Confessarius diligenter examinet, quid in eis contineatur. Quod si illis exequendis se imparem cognoscat, pœnitenti eas restituat, qui ad alium peritiorem Confessarium deferat: illæ etenim Literæ licet ab alio quacumque ex causa apertæ inveniantur, non ideo carent effectu.

178. Q. Quid agere debet Confessarius ad has Literas exequendas electus?

℟. Debet præcipue investigare ab ipso pœnitente, an preces in Supplicatione expositæ veritate fulciantur, præsertim illo tempore, quo Litteræ sunt executioni mandandæ; nam in iis hæ, et consimiles clausulæ semper apponuntur: *Si ita res se habeat*: *Quatenus ita sit. etc.* Et si in Litte-

ris dicatur : *Si parti satisfecerit*, *si delictum*, *vel impedimentum sit occultum*, inquirat etiam, si ita sit reapse. Examinet etiam, quid pœnitenti injungendum præscribant Literæ ; et cognita veritate, ipsius sacramentalem audiat confessionem ; et injunctis injungendis, pro qualitate facultatis, absolvat, dispenset, rehabilitet, etc. ; ac sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ dictas Literas comburat, vel laceret, ut ibi præscribitur.

179. Q. Quid intelligitur illis verbis : *Si parti satisfecerit*, *si delictum* etc. *sit occultum?*

℟. Illa clausula ; *Si parti satisfecerit* apponitur in facultate absolvendi ab excommunicatione, ob Clerici percussionem etc. Importat ergo, ut ante absolutionem accipiendam percussor debeat Clerico satisfacere, idest, veniam petere, compensare injuriam, expensas, et omnia damna, si quæ extiterint, Confessarii judicio taxanda, resarcire etc. Et si percussor in præsenti ob aliquam rationabilem causam non possit satisfacere, potest absolvi, dummodo juret, se quamprimum poterit, satisfacturum. Illa clausula autem : *Si delictum*, *vel impedimentum sit occultum*, indicat, illud delictum etc. non esse deductum ad forum contentiosum, vel a nullo, aut paucis resciri, ex. gr. quinque, aut sex personis, et etiam ab octo, aut decem, præsertim in oppidis magnis. B. Ligorio *Lib.* 6. *Tr.* 6. *n. IIII*.

180. Q. Quæ formula adhibenda est in hujusmodi absolutionibus, et dispensationibus?

℟. Quoad absolutionem a censuris, hæc exponitur jam in Rituali Romano de Sacram. Pœnit. in fine. Sed ad majorem claritatem hanc subjungo : *Dominus noster J. C. te absolvat*, *et ego auctoritate ipsius*, *et auctoritate Apostolica* (si

auctoritate Episcopi absolvat, dicat: *Auctoritate Episcopi* etc.) *mihi specialiter delegata, te absolvo a vinculo Excommunicationis, vel Suspensionis, vel Interdicti, quam, vel quod incurristi propter* etc. (et hic exprimitur delictum, ex. gr. *percussionem Clerici* etc. et si sit excommunicatus addat), *et restituo te Sacramentis Ecclesiæ* (et si sit suspensus, dicat): *Et restituo te executioni tuorum Ordinum, vel Officiorum. In nomine Patris etc.*

181. Q. Quænam est forma dispensationis?

℟. Forma pro dispensationibus etiam in Rituali assignatur, et dicto: *Ego te absolvo a peccatis tuis*, subjungat: *Et auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata tecum dispenso super* ex. gr. *irregularitate, quam ex violatione censurarum contraxisti, ut illa non obstante in sacris Ordinibus, et Altaris ministerio ministrare possis, et valeas. In nomine Patris etc.* Si dispensatio sit pro condonatione fructuum Beneficialium male perceptorum ob Horas non recitatas, imposita jam eleemosyna juxta qualitatem pœnitentis arbitrio prudentis Confessarii, post verba *Auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata*, addat: *fructus, quos ex tuo Beneficio male percepisti ob non recitatas Horas Canonicas, mediante eleemosyna tibi imposita, gratiose tibi remitto, et condono. In nomine Patris etc.*

Et mutatis mutandis hæ formulæ deservire possunt pro aliis absolutionibus, et dispensationibus.

Caput. IV.

De Privilegiis.

182. Q. Quid est Privilegium?

℟. Est favorabilis concessio a Legislatore alicui facta, vel contra Legem, vel præter Legem. Dicitur 1.° *a Legislatore*: quia ille solus, qui Leges condere potest, potest Privilegia conferre. Dicitur 2.° *contra Legem*, quando concessio eximit ab observantia Legis, quæ aliquid præcipit, vel prohibet: ut qui eximitur a solvendis vectigalibus, qui eximitur a Lege prohibitiva venandi, ferendi arma, et similia. Dicitur *præter Legem*, quando concessio non eximit ab observantia Legis, sed dat aliquam gratiosam facultatem, ex. gr. absolvendi, dispensandi, commutandi, etc.

183. Q. Quotuplex est Privilegium?

℟. Dividitur præcipue in *personale*, et *reale*. Privilegium *personale* est illud, quod directe confertur in favorem personæ ob ejus excellentiam, doctrinam, sanctitatem, etc. et hoc privilegium expirat morte personæ privilegiatæ, nisi prius revocetur, aut nisi datum sit cum limitatione temporis. Privilegium *reale* autem est illud, quod etiamsi ultimate personas respiciat, directe tamen confertur rei, loco, muneri, dignitati, cœtui, statui, etc; ut sunt privilegia concessa alicui prædio, Ecclesiæ, Monasterio, Episcopis, Clericis, Regularibus, Militibus, Pupillis, etc. de quibus alibi agemus. Et hæc privilegia, nisi data sint ad tempus, vel nisi sint revocata, semper durant: quia adhærent rei, loco, dignitati, etc. quæ non finiunt.

184. Q. Datur ne alia divisio Privilegii?

℟. Maxime. Aliud dicitur *scriptum*, quod per Principis rescriptum conceditur, vel in corpore Juris Canonici, vel Civilis reperitur, ut plerumque sunt Privilegia *realia*. Aliud *non scriptum*, quod vel Princeps oretenus concedit (et dicitur Privilegium *vivæ vocis oraculo concessum*), vel consuetudine est acquisitum. Aliud est *favorabile*, quod ita uni prodest, ut alteri non noceat; et hoc licet large interpretari (ex cap. *Olim* 6. de verb. signi.): ut privilegium celebrandi ante auroram, vel post meridiem. Aliud denique, ut alias divisiones minus necessarias taceamus, est *odiosum*, quod ita uni favet, ut alteri noceat: ut sunt multa privilegia Regularium, quibus ab Episcopi jurisdictione eximuntur; et hoc *odiosum* privilegium stricte est interpretandum (vide B. Lig. Lib. 1. Tr. 2. Append. n. VII.).

185. Q. Privilegiatus tenetur ne Privilegio uti?

℟. Generaliter loquendo non tenetur: quia ex Cap. 6. de privileg. *liberum est unicuique suo juri renuntiare*. Dixi: *generaliter loquendo*: quia si non utendo, grave damnum sibi, vel aliis eveniret, ut si quis morti damnaretur, nisi privilegium manifestaret, vel privilegium cedat in bonum commune, ut est privilegium immunitatis, fori, canonis, etc.; vel si privilegium necesse sit ad observandum aliquod præceptum, ut si quis domo exire non possit, et in Oratorio domestico possit licite Missam audire, hisce, et similibus casibus tenetur uti privilegio.

186. Q. Privilegiatus potest ne uti suo privilegio ubique?

℟. Si privilegium sit *locale*, seu affixum alicui loco, extra illum locum privilegiatus uti non potest. Hinc privilegium Cruciatæ vescendi ova, et

lacticinia cum sit locale, extra hoc Regnum Neapolitanum uti non potest. Aliis autem privilegiis, quæ non sunt localia, potest quis uti intra territorium concedentis. Hinc privilegia, quæ sunt data vel directe a Papa, ut alia Privilegia dictæ Cruciatæ, vel indirecte ab inferiore, sed nomine Papæ, ut sunt privilegia, quæ ab Episcopis, vel Parochis dantur, ut supra n. 153. 154. et 155. ubique potest quis uti, nisi scandalum adsit.

187. Q. Privilegium habet ne aliquid commune cum Interpretatione, et Dispensatione?

℟. Hoc habet commune cum Interpretatione, quod in dubio de aliquo privilegio illæ regulæ sunt adhibendæ, quas supra Capite 11. diximus adhibendas esse in interpretatione Legum. Habet autem commune cum Dispensatione 1.° quod sicut dispensatio est illicita absque juxta causa (vide supra n. 160. etc.); ita etiam privilegium præsertim contra Legem. 2.° Quod in iis casibus, quibus cessat dispensatio (n. 170. etc.), cessat etiam privilegium: cum hac differentia, quod si privilegium datum sit alicui ob remunerationem alicujus præstiti servitii, non potest revocari, nisi aliter compensetur: dummodo privilegiatus privilegio non abutatur.

188. Q. Intercedit ne alia differentia?

℟. Maxime: quia si Privilegium in corpore juris non sit insertum, non intilligitur revocatum per Legem subsequentem, nisi de eo privilegio mentio fiat: quia conjici potest, hujusmodi privilegium a Legislatore ignorari. Si autem privilegium in corpore juris sit insertum, cum præsumi non debeat, a Legislatore ignorari, per Legem subsequentem revocatum censetur, nisi aliquod privilegium cum hac clausula sit concessum,

quód numquam revocatum censeatur, si de ipso expressa mentio non fiat.

Caput V.

De Consuetudine.

189. Q. Quid est Consuetudo?

℟. Est jus quoddam ortum ex frequentia eorumdem actuum, qui sint voluntarie, et libere eliciti saltem a majori, et saniori parte Communitatis. Dicitur ex *frequentia:* quia si iidem actus non sint frequenter eliciti, consuetudinem non introducunt. Dicitur etiam *voluntarie*, *et libere eliciti*: quia si populus ex. gr. aliquid licet frequentissime agat, si agat per vim, errorem, metum ignoranter (vidè Tract. 1. a n. 9. ad 22.), nulla inde nascitur consuetudo. Dicitur item a *majori*, *et saniori parte*, etc. quia si a paucis, et a minori parte Communitatis actus illi eliciantur, vel a sapientibus, et timoratis reprobentur, consuetudo nec introducitur.

190. Q. Quotuplex est consuetudo?

℟. Triplex. *Secundum Legem*, *Præter Legem*, *et Contra Legem.* Consuetudo *secundum Legem* aliud non est, quam executio Legis jam existentis, vel ejus interpretatio, si est dubia: *Consuetudo enim est optima Legum interpres*, ut legitur in Leg. *Si de interpretatione* 57. ff. de Legibus. Consuetudo *præter Legem* est illa, quæ in defectu Legis novam Legem inducit. Et huic Consuetudini præter legem convenit definitio relata in Cap. *Consuetudo* 5. dist. 1. ubi Isidorus sic ait; Consuetudo est *jus quoddam moribus institutum*, *quod pro Lege suscipitur*, *cum deficit Lex.*

191. Q. Quid est Consuetudo *contra Legem?*

℟. Est illa, quæ Legem humanam jam existentem, sive aliquandiu, sive nunquam fuerit illa observata, vel totaliter abrogat (n. 136.), vel derogat, limitatque in parte. Et hæc est Consuetudo, quæ, cum debitæ adsunt conditiones, excusat a transgressione Legis, ut supra dictum est (n. 132.), facitque licitum quod ante illicitum erat; et de hac principaliter in hoc capite agetur. Dixi: contra *Legem humanam*: quia contra Legem divinam, et naturalem non valet Consuetudo, quæ potius *corruptela* diceretur. Communis. Hinc licet totus mundus blasphemaret, pejeraret, fornicaretur, etc. nullo casu licita evaderet blasphemia, perjurium, fornicatio.

192. Q. Consuetudo obligat ne in Conscientia?

℟. Si consuetudo sit *secundum Legem*, cum sit executio Legis jam existentis, obligat æque ac Lex (n. 90. etc.), ut patet. Si autem sit *præter Legem*, tunc obligat quando illi actus, qui voluntarie, et libere fiunt a populo, sint per se boni, et exerceantur cum animo se obligandi, et per decem annos saltem continuate sint exerciti: Consuetudo enim tunc habet vim Legis; ut S. Augustinus Epist. 36. clare dicit: *Mos populi Dei, et instituta majorum pro Lege sunt tenenda*. Dixi: *cum animo se obligandi*: quia si ex sola devotione, aut alia causa licet diutissime frequententur, obligationem non inducunt; ut sunt quædam jejunia, quorundam Festorum observantia, quotidiana Missæ auditio, et alia bona opera, precesque, quæ passim a Populis frequentantur. Communis.

193. Q. Quomodo cognoscitur, illos actus cum animo se obligandi exercitos esse?

℟. Quando ob omissionem illorum actuum velut transgressores redarguantur, vel puniantur a Superioribus, vel scandalo sit timoratis; vel a majori parte uniformiter, et semper actus illi frequententur: quæ enim ex sola fiunt devotione, non tam stricte, et communiter exercentur, præsertim si grave afferant incommodum. In dubio autem, an actus illi exerciti sint cum animo se obligandi, vel ex devotione, etc. cum animo graviviter, vel leviter obligandi, benignior pars est semper tenenda: quia nemo præsumitur velle sibi onus imponere præsertim si sit grave, et sub gravi, nisi manifeste constet. Vide B. Lig. Lib. 1. Tr. 2. n. 107. §. IV.

194. Q. Consuetudo *contra Legem* obligat ne in Conscientia?

℟. Minime, nisi Lex per consuetudinem abrogata evaserit inutilis, aut perniciosa. Etsi autem non obliget, si hæc consuetudo contra Legem humanam requisitas habeat conditiones, idest, quod a majori, et saniori parte Communitatis, ut supra dictum est, introducta fuerit, et per actus frequentes liberos, et voluntarios saltem per decennium non interruptum continuata, Superiore non contradicente, cum faciliter posset contradicere, et hujusmodi Consuetudo generaliter loquendo potest Legem abrogare, vel derogare, et a peccato excusare. Introducentes autem consuetudinem contra Legem ordinarie peccabunt. Communis ex Cap. *Cum tanto* 11. de consuetud.

195. Q. Quare dixisti: *generaliter loquendo?*

℟. Quia illæ consuetudines, quæ licentiam, vel occasionem præbeant peccandi, aut bonis moribus aversantur, aut alia ratione communi utilitati sunt perniciosæ, uti sunt consuetudines contra

libertatem, seu immunitatem Ecclesiasticam, vel contra Decreta Concilii Tridentini ex Bulla Pii IV. *Benedictus Deus*, quæ legitur in fine ejusdem Concilii, hæ, et consimiles consuetudines, cum *corruptelæ* potius sint appellandæ, et *irrationabiles*, nec intruduci, nec continuari possunt absque peccato. Sicut quæcumque alia consuetudo non posset continuari, si Superior contradicat.

196. Q. Istud decennium semper ne sufficit ad statuendam Consuetudinem contra Legem?

℟. Licet aliqui Doctores innixi Cap. *De quarta* 4. Cap. *Ad aures* 6. Cap. *Auditis* 15. de Præscript. requirant spatium annorum quadraginta ad statuendam consuetudinem contra Leges Ecclesiasticas, cum autem hæc, et similia jura loquantur de Consuetudine, seu de Præscriptione non contra Leges Ecclesiasticas, sed contra bona, aut jura Ecclesiæ, Reinfestuel cum aliis, quos citat Ferraris (V. *Consuetudo* n. 23.), probabilius judicat, sufficere tempus solitum decem annorum. Et revera etiamsi contra Romanam Ecclesiam centenaria præscriptio requiratur ex. Cap. *Ad audientiam* 13. nemo tamen ex Doctoribus dicit, centum annos necessarios esse ad statuendam consuetudinem contra Leges Pontificias.

197. Q. Istud decennium est ne semper necessarium ad statuendam Consuetudinem?

℟. Si Princeps, aut alius Superior sciat, Legem suam non observari; et ipse vel expresse consentiat; vel cum facile possit obsistere introductioni hujusmodi consuetudinis, et ad observantiam suæ Legis subditos cogere; nihilominus tacet, toleratque; censeri potest, saltem connivere tali consuetudini contra suam Legem; et hoc casu juxta probabiliorem sententiam non est ne-

cessarium decennium, sed cognito expresso, vel tacito consensu Superioris, potest Consuetudo servari absque culpa. Communis.

198. Q. Quid dicendum, si a Lege prohibeatur Consuetudo contraria?

℟. Si in Lege apponatur hæc clausula: *Non obstante quacumque oonsuetudine*, tunc reprobatur consuetudo præterita, non futura; nec reprobatur consuetudo immemorabilis, nisi exprimatur, apponendo hanc, vel similem clausulam: *Non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili.* Si autem in Lege reprobetur consuetudo etiam futura, utpote irrationabilis, et injusta, tunc nisi superveniat nova causa, quæ irrationabilitatem, et injustitiam tollat, quæ ab initio consuetudini inerat, contra illam Legem nec introduci, nec continuari potest consuetudo. Vide B. Lig. ibid. n. 108. et Ferrar. supra n. 33. 34. et 35. aliosque Auctores ibi citatos.

199. Q. Potest ne Consuetudo per contrariam Legem a Snperiore revocari?

℟. Maxime: quia sicut per Consuetudinem revocatur Lex, sic per Legem revocari potest Consuetudo. Imo si qua consuetudo noxia evaderet, et abusibus, et scandalis viam aperiret, non solum posset, sed deberet revocari. Hic autem nota, quod per generalem revocationem Consuetudinum non censetur revocata consuetudo specialis alicujus loci, nisi de illa fiat mentio expressa, vel in Lege contraria non revocetur quæcumque Consuetudo: quia hoc casu *Princeps*, ut habetur in C. 1. de Consuetud. in 6. *præsumitur ignarus talis consuetudinis*. Vide B. Lig. ibid. n. 109.

Caput VI.

De Ignorantia, *Impotentia*, *Coactione*, *Concupiscentia*, *et Metu.*

200. Q. *Ignorantia* excusat ne a transgressione Legis?

℟. Si ignorantia sit invincibilis, et absque culpa quis Legem aliquam ignorat, excusatur. Si autem ignorantia sit vincibilis, et quis negligit scire Legem, et multo majus si affectet nescire Legem, ne ad eam observandam teneatur, tunc a Legis transgressione, et a peccato non excusatur. Hinc si quis invincibiliter nesciat, hodie esse jejunium, Legem non transgreditur, nec peccat, carnes manducando. Si autem scire non curet, aut affectet nescire, manducando carnes Legem transgrederetur, et peccaret. Communis. Quando autem Ignorantia sit invincibilis, vincibilis, affectata etc. et quando excuset, vide Tr. I. n. 17. 18. 19. 40. 41. et 42.

201. Q. Quando *Impotentia* excusat a transgressione Legis?

℟. Impotentia vel est physica, vel moralis. Si impotentia sit *physica*, ita ut nullo modo Lex possit observari, tunc semper excusat. Hinc qui in carcere detinetur, vel in partibus infidelium versatur, ab auditione Missæ in die Festo excusatur: quia ad impossibile nemo tenetur. Et sic de aliis similibus. Si impotentia sit *moralis*, ita ut possit Lex in rigore observari, sed non absque gravis damni periculo vel proprii, vel alieni, tunc distinguendum. Si Lex sit naturalis, hujusmodi *moralis* impotentia nunquam excusat. Hinc licet periculum incurratur cujuscumque gravis damni,

et etiam mortis, numquam licet pejerare, blasphemare, fornicari, aliaque præcepta naturalia transgredi.

202. Q. Quid dicendum, si Lex sit positiva (n. 87.)?

℟. Si Lex sit positiva, tunc impotentia *moralis*, dummodo sit vera, a Legis transgressione excusat, dummodo bonum commune non expostulet, ut Lex observetur etiam cum periculo vitæ. Hinc ob periculum gravis damni propriæ salutis excusatur infirmus ab auditione Missæ, a jejunio etc. E contra etiam cum vitæ periculo debet quis vel ex justitia, ut Parochus, et Medicus conductus; vel præcepto obedientiæ, ut jussus a Superiore, Sacramenta ministrare, opemque ferre peste infectis: quia hoc expostulat bonum commune, ne absque spiritualibus, ac corporalibus subsidiis infeliciter ii pereant. Communis.

203. Q. Qui cum aliquo, sed non gravi incommodo potest Legem observare, excusatur ne ab ejus transgressione?

℟. Minime: Quia tunc non esset vere impotentia *moralis*. Hinc qui leve patitur incommodum jejunando, Missam audiendo, Horas Canonicas recitando etc. non excusatur a transgressione. Pariter convalescens, qui absque gravi incommodo potest Missam domi audire, cum socio Horas Canonicas recitare, aliasque adimplere obligationes, tenetur, nec a Legis transgressione excusatur. Sicut tenetur quis graviter egeno succurrere, licet cum aliquo suo incommodo.

204. Q. Qui non potest totam Legem implere, tenetur ne ad ejus partem?

℟. Si cum aliqua parte notabili finis Præcepti, vel Legis aliquo modo servetur; aut si Lex divi-

datur in partes, tenetur. Hinc qui totam Missam in Festo nequit audire, et potest partem notabilem, tenetur. Qui non potest jejunare, sed potest a carnibus abstinere, tenetur. Qui a carnibus non potest abstinere, potest autem jejunare, tenetur. Qui totum Officium non potest recitare, potest autem aliquas Horas, tenetur. Et contrarium proscriptum fuit ab Innocentio XI. Graviter ægrotantem excusarem, qui cum totum nequeat officium recitare, excusarem etiam a parte, ne gravibus subjiciatur scrupulis, nesciens quas, et quot Horas possit, et teneatur recitare. Sic probabiliter tenent Layman, et alii, quos citat et sequitur B. Ligorio Lib. IV. n. 154. Not. 4.

205. Q. Quando *Coactio*, et *Concupiscentia* a præcepti, et Legis transgressione excusant?

℟. Si Coactio, seu vis, violentia, et Concupiscentia voluntarium tollant, ut explicatum est Tract. 1. n. 9. et 15. tunc excusant. Si autem voluntarium non tollant, sed tantum minuant, tunc non excusant a transgressione, et peccato. Hinc si mulier invita, et totis viribus interne, et externe reluctans violetur, excusatur a transgressione, et peccato. Si autem totis viribus non resistat, non excusatur. Pariter qui ex motu primo primo in verba imprecatoria, vel blasphemias prorumpit absque ulla rationis advertentia, et consensu voluntatis, excusatur a transgressione, et peccato. Si autem aliquo modo advertat ad verba, non excusatur. Sicut non excusaretur qui licet inadvertenter, ex habitu tamen, quem retractare non curat, verba illa proferat. Communis.

206. Q. *Metus* excusat ne a transgressione Legis?

℟. Metus quantumvis gravis (Tract. 1. n. 10. et 11.), et etiam mortis numquam excusat in iis,

quæ sunt intrinsece mala, seu prohibita Lege naturali. Communis. Hinc nec ad tuendam propriam vitam, mortemque vitandam potest quis blasphemare, pejerare, mentiri, fornicari, injuste occidere, dare sacramentalem absolutionem indigno, revelare sigillum sacramentale, celebrare sacrilege; quia hæc omnia sunt intrinsece mala, Legeque naturali prohibita: Et qui ob quemcumque metum aliquid ex dictis faceret, peccaret: nisi forte ille gravis metus imminens ita mentem perturbaret, ut advertentiam, usumque rationis tolleret.

207. Q. Metus gravis excusat ne a transgressione Legis positivæ?

℟. Si Lex illa positiva sit *affirmativa* (n. 87.), tunc metus gravis excusat, si præjudicium non afferat bono communi. Si Lex sit *negativa*, tunc excusat, quando non agitur de re intrinsece mala, sed de illis, quæ ideo sunt mala, quia sunt prohibita: dummodo in utroque casu jus fortius non occurrat, quod ad Legis observantiam obliget. Hinc qui gravi metu Missam die festo non audiret, votum peregrinationis ex. gr. non impleret, a transgressione Legis, et a peccato excusaretur: quia hujusmodi Leges cum tanto periculo ob Epichejam (n. 140.) non obligant.

208. Q. Quare dixisti: *Si præjudicium non afferat bono communi, et non agatur de re intrinsece mala?*

℟. Quia si hoc præjudicium afferret, metus non excusaret. Et propterea si miles positus sit in statione ad patriam defendendam, nec ob metum mortis ab aliis incussum potest suam stationem deserere: quia bonum commune prævalere debet bono privato. Sic qui ob metum mortis carnes

diebus vetitis manducaret, etiamsi Lex vetans sit negativa, cum carnes comedere non sit intrinsece malum, sed malum, quia prohibitum, excusaretur a transgressione Legis, et peccato.

209. Q. Quare addidisti: *Dummodo jus fortius non occurrat?*

℟. Quia si jus fortius ad Legis observantiam obliget, nec ob metum mortis lex illa potest infringi. Hinc si metus mortis ab hæreticis infligeretur ob contemptum nostræ Religionis, tunc etiam cum periculo vitæ deberet quis Missam die festo audire, carnes diebus vetitis non manducare, etc. quia his casibus præceptum fortius occurrit Catholicam Religionem profitendi, et Fidem non negandi. Sic se gessit Sanctus senex Eleazarus, qui maluit mori, quam in contemptum Religionis prohibitas carnes edere; et sic egerunt tot sancti Martyres, qui quæcumque tormenta, et mortem ipsam potius incurrerunt, quam in Religionis contemptum Divinas, Ecclesiasticas Leges infringere.

TRACTATUS III.

De Peccatis.

210. Cum a Legum transgressione peccata oriantur; hinc ut nostri tyrones citius resciant, quid hæc sint, et magis illa horrescant, antequam de Legibus in particulari agamus, de Peccato prius in hoc tertio Tractatu loquemur, quem in duos Articulos dividemus. In primo agetur de Peccatis in genere, et in secundo de Peccatis in specie, seu de Peccatis capitalibus.

ARTICULUS I.

De Peccatis in genere.

211. Multa sunt, de quibus in hoc Articulo tractabimus. 1. De Notione, et Divisione peccati. 2. De Conditionibus ad peccatum requisitis. 3. De Occasione, et Periculo peccandi. 4. De Distinctione specifica, et numerica peccati. 5. Denique de Remissione peccati. Sit igitur

CAPUT I.

De Notione, et divisione Peccati.

212. Q. Quid est Peccatum?

℟. Peccatum in genere morum, ut post S. Augustinum (Lib. 22. contra Faustum Cap. 27.) communiter a Scholis definitur, *est dictum, vel factum, vel concupitum contra Legem Dei æternam.* Vel ut clarius ab eodem S. Doctore definitur (Lib. 2. de Consensu Evangel.); *Peccatum est transgressio Legis.* Et cum Leges humanæ a Deo emanent, quia juxta Apostolum ad Rom. 43. 2. *Omnis potestas a Deo est*, sequitur, etiam Leges humanas comprehendi *sub Lege Dei æterna.*

213. Q. Quotuplex est peccatum?

℟. Duplex, Originale, et Personale. *Originale* est illud, quod contrahitur voluntate Adami nostri primi Progenitoris, seu ob transgressionem divinæ Legis ab ipso factam, et nobis transfusam per generationem. Sed de hoc peccato nihil in hoc loco. Peccatum autem *persanale* est illud, quod committitur propria voluntate peccantis. Et

de hoc solo personali Peccato a nobis hic agetur.

214. Q. Quotuplex est Peccatum *personale* ?

℟. Multiplex, sed de præcipuis disseremus. Dividitur ergò 1. In peccatum commissionis, et omissionis. 2. In externum, et internum. 3. In actuale, et habituale. 4. In mortale, et veniale. 5. In materiale, et formale. 6. In certum, et dubium. Peccatum *commissionis* est illud, quod committitur contra præceptum negativum, agendo id, quod Lex vetat; ut qui blasphemat, furatur, etc. Peccatum *omissionis* est illud, quod committitur contra præceptum affirmativum, non agendo id, quod jubetur; ut qui non amat Deum; non audit Missam, etc.

215. Q. Quodnam est peccatum externum, et internum?

℟. Peccatum *Externum* est illud, quod verbo, vel facto exteriori committitur, ut qui pejerat, mæchatur, etc. *Internum* est illud, quod corde, et mente patratur, et multipliciter hoc evenit, vel sistendo dumtaxat in delectatione voluntaria objecti pravi; ut qui delectatur in cogitando de rebus inhonestis, et dicitur *delectatio morosa*: vel insuper optando patrare aliquod malum, et dicitur *desiderium pravum*; ut qui optat furari, fornicari, etc. Et insuper intendendo committere illud malum; et vocatur *intentio prava*: Et denique de mediis cogitando, ut ad illud malum perpatrandum possit pervenire; quod gravius reddit peccatum.

216. Q. Quodnam est peccatum actuale, et habituale?

℟. Peccatum *actuale* est actualis transgressio Legis, vel eliciendo actum ab ipsa vetitum, sive omittendo actum ab ipsa imperatum; ut qui actua-

liter blasphemat, odit, furatur, etc. vel qui parentes non honorat, Missam die festo non audit, etc. Peccatum *habituale* est macula relicta in anima a peccato actuali patrato, ex. gr. blasphemia, furto, etc. quod perseverat usquedum per veram pœnitentiam expietur.

217. Q. Quodnam est peccatum mortale, et veniale?

℟. Peccatum *mortale*, quod etiam *grave*, et *lethale* dicitur, est gravis transgressio Legis, et privat animam sua vita supernaturali, quæ est Gratia sanctificans, Deo inimicam reddit, et æternis pœnis puniendam tradit, ut qui jurat falsum, non diligit inimicum, etc. Peccatum *veniale*, quod etiam *leve* appellatur, est levis transgressio Legis, et licet animam gratia santificante non privet, nec Deo inimicam reddat; nihilominus charitatis fervorem minuit, animam Deo minus gratam reddit, pœnisque temporalibus addicit: ut qui jocose mentitur, parvum furtum committit, etc.

218. Q. Quodnam est peccatum materiale, et formale?

℟. Peccatum *materiale* est ipse actus malus in se consideratus independenter ab ejus malitia. Peccatum *formale* est ipse actus malus, qui fit cum cognitione malitiæ. Peccatum *certum* est illud, quod quis recordatur, certo commisisse. *Dubium* est illud, de quo quis dubitat, commiserit nec ne. Quæstiones, quæ possunt fieri de Peccato mortali, et veniali; de Peccatis internis, etc. in sequentibus Paragraphis disceptabuntur.

Paragraphus I.

De Peccato mortali, et veniali.

219. Q. Quomodo cognoscitur, an Peccatum sit *mortale*, aut *veniale*?

℟. S. Augustinus (Lib. 21. de Civit. Dei Cap. ult.) dicit, *difficillimum esse hoc invenire, definire periculosum.* S. Thomas (Quodlibet. 9. 7. a. 15.) ait : *Omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.* Idem dicit S. Antoninus (Part. 1. Tit. 2. c. 11. §. 28.) : *Nisi habeatur auctoritas expressa sacræ Scripturæ, aut Canonis, seu determinationis Ecclesiæ, vel evidens ratio, nonnisi periculosissime determinatur.* Nihilominus aliquæ regulæ dari possunt.

220. Q. Quenam sunt istæ regulæ?

℟. Diversæ sunt regulæ, quæ dantur a Doctoribus. Prima est : Quando sacra Scriptura dicit, aliquod peccatum excludere a regno Dei, esse abominabile, detestabile, execrandum, exosum, morte dignum, aut adjunctam habeat aliquam gravem maledictionem, aut *væ*, aut quidpiam consimile, generaliter loquendo, judicandum est mortale. Secunda regula est : quando sacri Canones, vel alia Lex Ecclesiastica aliquid statuit, ut grave; vel Lex sub gravi, vel sub gravibus pœnis præcipiat, aut vetet aliquid, id pariter, ut grave peccatum erit reputandum. Hic autem nota, quod quando sub pœna Censuræ aliquid præcipitur, vel prohibetur, non semper est peccatum mortale, ut suo loco dicetur.

221. Q. Quænam est tertia Regula?

℟. Tertia Regula est : Quando Traditio, Patres, consensus unanimis Theologorum, vel evidens ratio aliquid judicat, ut grave, generaliter loquendo, ut peccatum mortale erit pariter reputandum. Alia autem peccata, quæ dicta requisita non habeant, ut peccata levia, et venialia possunt, generaliter loquendo, judicari. Etsi Theologi inter se dissentiant, id erit resolvendum, quod ad verum magis appropinquare putetur.

222. Q. Quare dixisti : *generaliter loquendo?*

℟. Quia aliquoties peccatum, quod per se esset mortale, ex imperfectione advertentiæ, et consensus, ut infra explicabitur (257. etc. 267. etc.), vel ex parvitate materiæ, si peccatum illud parvitatem admittat ; et grave sit *non in toto genere suo*, ut inquiunt Scholæ, eveniet veniale. Hinc licet transgressio jejunii, furtum, detractio, et similia, per se sint peccata mortalia, si quis autem modicum quid in die jejunii edat, si granum unum furetur, et in levi quis proximo detrahat, peccatum, generaliter loquendo, erit leve.

223. Q. Quare dixisti : *si peccatum illud parvitatem admittat?*

℟. Quia sunt aliqua peccata, quæ ex se ob rationem offentionis, quæ Deo fit materiæ parvitatem non admittunt, et dicuntur peccata gravia *in toto genere suo*, ut sunt peccata contra Fidem, et Spem, odium in Deum, blasphemia, simonia, perjurium assertorium ; fractio sacramentalis sigilli, fractio jejunii ad sacram Eucharistiam recipiendam, luxuria, homicidium, et similia. Communis.

224. Q. Peccatum veniale potest ne evadere mortale?

℟. Maxime, et hoc pluribus in circumstantiis 1. ob conscientiam erroneam (n. 39.), quando

quis, ex. gr. committit peccatum veniale, aut rem etiam indifferentem faciat, putans, esse mortale. 2. ob finem adjunctum; ut qui leviter mentitur ob committendum aliquod grave peccatum: ex. gr. ad fœminam seducendam; qui parvum cultrum furatur ob homicidium committendum, et similia: quia hæc media induunt malitiam finis, ad quem referuntur.

225. 3.° Ob finem ultimum constitutum; ut qui peccato veniali, ex. gr. mendacio jocoso ita est affectus, ut illud committeret, etiamsi esset mortale: 4.° ob contemptum, quando quis Legem in materia levi transgreditur, quia auctoritati Legis, Regulæ, vel Superioris non vult se subjicere.

226. 5.° Ob grave scandalum adjunctum; ut si furando paucos fructus Titio, prævideas, illum in blasphemias, imprecationes, etc. juxta solitum erumpere: 6.° ob periculum peccandi mortaliter; ut si ob meram curiositatem, quæ est venialis, fœminam aspiciendo, scias pravis cogitationibus, desideriis, delectationibus te consensurum, et similia.

227. Q. Multa peccata venialia constituunt ne unum peccatum mortale?

℟. Etsi multa venialia disponant ad mortale; quia, *qui spernit modica paulatim decidit* (Eccl. 19. v. 1.); nihilominus, generaliter loquendo, non possunt constituere nec unum mortale: quia juxta S. Thomam (1. 2. q. 88. a. 1.), *omnia venialia de mundo non possunt habere tantum de reatu, quantum unum mortale.*

228. Q. Quare dixisti: *generaliter loquendo?*

℟. Quia si multa peccata venialia coalescunt in unum, et eorum materiæ, vel effectus uniantur,

cum illa multa venialia ad materiam gravem perveniant, constituunt mortale. Unde, qui sæpius in die jejunii pauca comedit; qui sæpe in die festo per modica temporis spatia laborat; qui infra unum, aut duos menses multa pauca furatur etiam diversis personis, aut in multis paucis proximum damnificat, graviter peccabit.

Paragraphus II.

De Peccatis internis.

229. Q. Pravæ cogitationes semper ne sunt peccata?

℟. Quoadusque intellectus ad illam pravam cogitationem non advertat, non erunt peccata saltem mortalia. Si autem advertit, distinguendum: si desiderat malum illud quis perpatrare, ex. gr. furari, fornicari, ulcisci, etc. tunc peccabit mortaliter, si opus, quod desiderat, est mortale, ut fornicari; venialiter, si opus, quod desiderat, est veniale, ut furari unum granum, et similia. Communis.

230. Q. Quid dicendum, si quis malum illud nolit perpatrare?

℟. Rursus distinguendum. Si postquam illam pravam cogitationem quis adverterit, illam statim expellit; non peccat, etiamsi motus aliquis inordinatus eveniat, qui displiceat. Si autem non expellat, subdistinguendum: vel quis se complacet de illa mala cogitatione, vel negative se habet, idest, illam nec amplectendo, nec rejiciendo.

231. Q. Quid dicendum si se complaceat?

℟. Ista complacentia, seu delectatio vel esse potest de re mala, utpote mala ex. gr. de ultione,

fornicatione, etc. et tunc ista complacentia, seu delectatio erit peccaminosa, gravis vel levis, prout res cogitata, seu objectum erit grave, vel leve. Communis cum S. Thoma 1. 2. q. 74. a. 8. et alii. Ratio, quia tunc amat illam rem malam: nemo enim juxta S. Doctorem (ibid. a. 6. ad 3.) delectatur, nisi in hoc, quod ei placet, et amat.

232. Q. Quid dicendum, si delectatur tantum de cogitatione?

℟. Si quis delectetur non de re mala, sed de cogitatione, vel cognitione rei malæ, tunc si ob honestum finem hoc faciat, ut accidit in Confessariis, Concionatoribus, Medicis, etc. qui de hujusmodi materiis loqui, ac concionari debent, juxta S. Doctorem (loc. cit.), non peccabit, si delectetur in ea cogitatione, et cognitione, dummodo non soleat assentiri alicui pravo motui, qui forsan ex ea cogitatione excitaretur.

233. Q. Quare dixisti: *ob honestum finem*?

℟. Quia, qui ob simplicem curiositatem in hujusmodi cogitationibus sistit, præsertim circa venerea, quorum cogitatio, et cognitio pravos motus solet excitare, non omni culpa judicandum est carere eum, qui ob solam curiositatem, absque fine honesto in his cogitationibus sistit, præsertim si aliquem lapsum fuerit aliquoties expertus: hoc enim casu a gravi culpa non excusaretur, in hujusmodi cogitationibus sistendo.

234. Q. Qui delectatur de modo artificioso, quo res mala commissa est, peccabit ne?

℟. Minime: quia hic non delectatur, ut suppono, de malo commisso, ex. gr. de furto, de homicidio, de fraude, etc. sed de modo artificioso, subtili, astuto, quo furtum, homicidium, et fraus commissa est. Sicut non peccat, qui videns ali-

quem cadentem ex equo, in lutum, etc, ridet: quia non ridet, nec gaudet de lapsu, qui imo displicet; sed ridet de modo illo ridiculo, curioso, etc., quo is cecidit.

235. Q. Quid dicendum de illo, qui in hujusmodi cogitationibus negative se habet?

℟. Qui in hujusmodi cogitationibus, vel pravis motibus, qui insurgunt, negative se habet nec consentiendo, nec dissentiendo, si expertum habeat, se tandem saltem aliquoties præstitisse consensum, vel se delectando, vel opus malum exequendo, certum est apud omnes peccare mortaliter (posito, quod objectum illud sit mortale); nisi positive resistat, rejiciendo illas malas cogitationes, reprimendo, vel saltem detestando illos pravos motus, Deum invocando: quia unusquisque tenetur a se arcere grave, et proximum periculum peccandi.

236. Q. Quid dicendum si quis lapsum numquam sit expertus?

℟. Etiam hoc casu adhuc probabilius est, ut ait Cuniliati (Tom. 1. Tract. 2. Cap. 1. §. 7. n. 3.), peccare mortaliter, negative se habendo, præsertim si motus illi vindictæ, odii, libidinis, et similes, sint valde vehementes: quia in his casibus versatur in gravi periculo labendi, quod tenetur a se avertere, divinum auxilium implorando, resistendo, etc. aliter amaret periculum; et *qui amat periculum peribit in illo* (Eccl. 3. 27.). Ita etiam sentit B. Ligorio (Lib. V. n. 7.), qui diversos Doctores pro sua sententia citat.

237. Q. Quid addendum circa motus inordinatos?

℟. Si hi sint penitus involuntarii et in se, et

in causa, et voluntas eisdem resistat, et displiceant, nullo modo sunt peccaminosi. Si autem sunt causati a quibusdam lectionibus, cantilenis, aspectibus, tactibus, etc. qui absque fine honesto, et ob explendam curiositatem fiunt, sunt peccaminosi, etiamsi displiceant, et eis resistatur. Communis.

238. Q. Quare dixisti: *absque fine honesto* etc.?

℟. Quia, si adsit aliquod motivum necessarium, honestum, et licitum, ex. gr. audiendi confessiones, studendi in rebus necessariis ad propriam professionem, equitandi, assistendi personæ infirmæ, medendi, etc. tunc præfati motus, etsi quandoque præter voluntatem pollutio sequatur, non erunt peccaminosi nec motus, nec pollutio: dummodo non adsit consensus voluntatis, imo hæc omnia voluntas detestetur, et vere displiceant. Communis.

Paragraphus III.

De aliis circumstantiis circa delectationem morosam, et desideria prava.

239. Q. Licet ne conjugibus delectari de actu conjugali?

℟. Maxime, dummodo absit periculum pollutionis: quia sicut iis licet opus conjugale; ita et delectatio de illo. Ita S. Thomas (q. 15. de malo a. 2. ad 17.), S. Antoninus, et alii, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 5. n. 25.). Si autem quis fuerit expertus in iis delectationibus sequi pollutionem, tunc hujusmodi delectationes erunt graviter illicitæ, ut patet.

240. Q. Hoc idem licet ne Viduis, et Sponsis?

R. Minime, et ob eandem rationem supra allatam: quia sicut iis opus conjugale hic, et nunc non est licitus, sic nec delectatio, quæ reddit objectum præsens, erit illis permissa. Ita B. Ligorio cum aliis, quos citat (ibid. n. 24.). Juxta aliquos liceret iis delectari appetitu rationali. Sed sicut in praxi appetitus carnalis raro sejungitur a rationali, ideo numquam licet.

241. Q. Licet ne delectari de malo proximi ob aliquod bonum, quod inde evenit?

R. Generaliter loquendo non licet. Et illi, qui dicebant, *licitum esse cupere mortem patris, non ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum obventura erat pinquis hæreditas*; et alii, qui sentiebant, licitum esse *tristari de vita alicujus, et gaudere de morte, illamque desiderare non ex displicentia personæ*, sed *ob aliquod temporale emolumentum*, damnati fuerunt ab Innocentio XI. (Prop. 13. et 14.).

242. Q. Quare dixisti: *generaliter loquendo?*

R. Quia, ut ait S. Thomas (3. Sentent. dist. 30. q. 1. a. 1. ad 4.): *potest aliquis, salva charitate, optare malum temporale alicui, et gaudere, si contingat, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel Communitatis, vel Ecclesiæ*. Hinc licitum est gaudere, et etiam desiderare infirmitatem, mortem, aut aliud malum proximi, vel ob majus bonum ipsius, vel innocentis, vel ob bonum publicum, ut sic desistat a malis, et scandalis; gaudere de supplicio malefactoris ad exemplum aliorum, et similia. Vide B. Ligorio ibid. n. 21.

243. Q. Licet ne gaudere de bono effectu sequuto ex opere malo?

℟. Dummodo detestetur malum, per se loquendo, licet: quia hoc casu delectatio, et gaudium, non respicit objectum malum, seu peccatum, quod detestatur; sed respicit effectum bonum. Hinc non est peccatum gaudere de exoneratione naturæ causata ex pollutione, dummodo pollutio, si sit voluntaria, detestetur. Sicut non est peccatum gaudere, quod ex homicidio secuto sopitæ sint lites, pax conciliata, hæreditas consecuta (Ligorio ibid. n. 20.). Dixi: *per se loquendo*: quia hujusmodi delectationes non carent periculo, ut placeat malum, seu peccatum.

244. Q. Licet ne sibi mortem optare?

℟. Si quis serio, ac deliberate mortem sibi, aut aliis desiderat ex ira, impatientia, ob paupertatem, infirmitatem, aut alio irrationabili motivo, peccat, et lethaliter: quia sicut ob hæc motiva non potest quis nec sibi, nec aliis vitam eripere, sic nec potest mortem optare. Communis. Si autem ad evitandum aliquod gravissimum malum, cum submissione ad Divinam voluntatem sibi, vel aliis mortem desiderat, Cuniliati (Tract. 2. Cap. 1. §. 7. n. 15.) putat, non esse peccatum saltem lethale.

245. Q. Quomodo probatur hæc sententia?

℟. Probatur ex diversis factis Divinæ Scripturæ. Moyses pertæsus pervicaciæ Populi Israelitici, ait (Num. 11. 15.): *Obsecro, ut interficias me . . . . ne tantis malis afficiar*. Elias assiduis Jezabel persecutionibus vexatus, ajebat (3. Regum 19. 4.): *Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam*. Et similia leguntur de Matathia, et Juda ejus filio (1. Machab. 2. 13. et 3. 59.); et in Eccl. 30. 17. Has autem inutiles cogitationes putarem non esse consulendas. Consulerem

utique, unumquemque posse optare, potius mori, quam peccare.

246. Q. Licet ne malum sub aliqua conditione desiderare?

℟. Si malum illud, seu peccatum sit intrinsece malum, ut infidelitas, blasphemia, odium Dei; privata ultio, mollities, fornicatio, et similia, cum impossibile sit, non esse mala, sub nulla conditione licet desiderare; quia nulla conditio potest auferre malitiam ab illo objecto. Hinc, si quis diceret: *blasphemarem, si non esset peccatum*; *fornicarer, si liceret*, etc. hujusmodi desideria essent semper peccaminosa. Sic Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur Ferraris (V. *Delectatio morosa* n. 13.).

247. Q. Quid dicendum, si peccatum illud non sit intrinsece malum?

℟. Si peccatum illud non sit intrinsece malum, sed sit malum, quia prohibitum, tunc distinguendum. Si illa conditio aufert malitiam ab objecto concupito, ex. gr. ederem carnes in quadragesima, si non esset prohibitum, si edesset dispensatio; ducerem te in uxorem, nisi essem voto adstrictus, conjugatus, etc. tale conditionatum desiderium non esset graviter peccaminosum. Communis. Vide Ferraris ibid. n. 12. Abstinendum tamen ab hujusmodi desideriis, et quia vanis, et leviter peccaminosis, et quia adnexum habent periculum præsertim in lubricis.

248. Q. Quid dicendum, si conditio non auferat malitiam ab objecto?

℟. Tunc hujusmodi conditionata desideria erunt semper peccaminosa graviter, vel leviter, prout est objectum. Hinc qui diceret: Frangerem jejunium, si carnes haberem; frangerem si-

lentium, nisi punitionem timerem; Similiter si religiosus diceret: Nuberem, si non esset infernus, si commode possem vivere, etc. peccaret: quia etiamsi hujusmodi conditiones verificarentur, semper illæ actiones sunt malæ, ut patet.

249. Q. Quid explicandum in confessione circa prava desideria, et delectationem morosam?

℟. Qui cum persona aliqua malum patrare desiderat, debet in confessione personæ circumstantiam explicare. Hinc qui cupit occidere, debet explicare, quem intendat occidere, propinquum ne, an alium, unum ne, an plures, etc. In materia lubrica explicare, an persona, cum qua peccare desiderat, sit virgo, libera, conjugata, consanguinea, sacra, etc. Communis. Hæc autem explicatio non est necessaria in simplici delectatione morasa. Ita contra alios docet Ferraris (supra n. 9.) cum multis, quos citat.

250. Q. Quænam est ratio diversitatis?

℟. Hæc: quia desiderium fertur in objectum cum omnibus circumstantiis consideratum, et tendit ad actionem perficiendam, ideoque ejus malitiam induit. Delectatio vero sistit præcise in interna complacentia sine ordine ad actionem illam cum persona exercendam, et propterea personæ malitiam non induit. Qui autem delectatur, vel cupit patrare aliquid inhonestum, semper debet explicare circumstantiam suæ personæ, an scilicet sit sacra, conjugata, etc. Communis.

Paragraphus IV.

De Peccatis omissionis.

251. Q. Quando omissiones sunt peccaminosæ?

℟. Quando sunt voluntariæ vel in se, vel in causa. *In se*, quando quis, ex. gr. non audit Missam, non jejunat, etc. quia absolute non vult. *In causa*; quando voluntarie ponit impedimentum ad implendum præceptum; ut qui die festivo venatum it, vel se inebriat; prævidens Missam non auditurum; qui proximum damnificat, prævidens ob paupertatem non posse restituere; omissio Missæ, et restitutionis, utpote voluntaria in causa, erit peccaminosa. Communis.

252. Q. Quando omissiones non erunt peccaminosæ?

℟. Quando non sunt voluntariæ nec in se, nec in causa. Hinc qui non jejunat, quia gravi infirmitate detentus, qui Missam die festo non audit, quia excommunicatus, in carcere detentus, in mari, etc. non peccat, non jejunando, et Missam non audiendo. Si autem absolutionem ab excommunicatione, et liberationem a carcere non curaret, tunc omissio Missæ, utpote voluntaria in causa, foret peccaminosa.

253. Q. Peccat ne qui voluntarie ponit impedimentum ad servandam legem?

℟. Maxime, etiamsi actus, qui impedit, sit indifferens, et etiam per se bonus, si sit causa, aut occasio transgressionis Legis: quia Lex, quæ obligat ad ponendum aliquem actum, ex. gr. ad audiendam Missam, prohibet virtualiter omnia impedimenta ad Missæ auditionem. Hinc qui die festo ob visitandos infirmos prævidet, Missam non auditurum, peccat, etiamsi opus per se tam sanctum operetur: quia hoc opus impedit Missæ auditionem.

254. Q. Est ne reus duplicis peccati, qui ponit hujusmodi impedimenta?

℟. Minime, nisi actus, qui impedit, sit per se peccaminosus: quia ubi unum non est malum, nisi propter aliud, ibi unicum est malum; aliter qui ob visitandos infirmos, ut supra, Missam non audit, magis esset reus, quam qui eamdem omitteret, nihil faciendo, quod ridiculum est. Si autem actus, qui impedit, sit per se peccaminosus, tunc reus erit duplicis peccati; ut qui Missam non audit, quia occupatus ad furandum, ad detrahendum, ad laborandum, et similia.

255. Q. Qui ponit impedimentum ad præceptum servandum, peccat ne, si postea servat?

℟. Maxime, quia ponendo impedimentum, eo ipso omissionis malitiam contraxit, quam confiteri tenetur. Hinc qui venationi se dedit, prævidens, Missam non posse audire, jam peccavit, etiamsi reversus in se, vel alia de causa Missam audiat. Et ob eamdem rationem qui ad confessionem accedit animo tacendi peccatum grave, jam peccat, et de hoc animo pravo confiteri tenetur, licet a Confessario interrogatus, vel alia de causa de tali peccato se accuset.

Caput II.

De conditionibus ad Peccatum requisitis.

256. Q. Quænam conditiones requiruntur ad constituendum Peccatum?

℟. Cum peccatum sit actus moralis, sequitur, duo ad ipsum constituendum requiri, idest *advertentiam* ex parte intellectus, et *consensum* ex parte voluntatis; et deficiente advertentia, vel consensu, non datur peccatum. Quomodo autem

hæc debeat esse advertentia, et consensus ad peccatum requisiti, in sequentibus Paragraphis videbimus.

Paragraphus I.

De Notione, et divisione advertentiæ.

257. Q. Quid, et quotuplex est advertentia?

℟. Advertentia, quæ requiritur ad constituendum peccatum, est consideratio, et reflexio ad id, quod agitur, vel omittitur; et hæc multiplex est. 1. Dividitur in materialem et formalem. 2. In actualem et virtualem. 3. In plenam et semiplenam. Advertentia *materialis* datur, quando quis advertit ad actum, quem ponit, ex. gr. se carnes manducare, sed non advertit ad malitiam, idest, quod sit dies jejunii. *Formalis* est, quando advertitur ad actum, et malitiam; ut cum quis reflectit, esse diem jejunii, et se carnes manducare.

258. Q. Quænam est advertentia actualis, et virtualis?

℟. Advertentia *actualis*, quæ etiam *expressa* vocatur, est, quando quis actu advertit malitiam, ut supra de advertentia *formali*. Advertentia *virtualis*, quæ etiam *interpretativa* dicitur, est quando actu non advertit malitiam, sed vel directe aliquam causam ponit, ex. gr. se inebriat, prævidens blasphematurum, vel negligit reflectere, quod poterat, et debebat facere; ut qui in die jejunii carnibus vescitur, quia negligit reflectere ad diem, qui currit.

259. Q. Quænam est advertentia *plena*, et *semiplena?*

℟. Advertentia *plena*, quæ etiam *perfecta* di-

citur, est, quando quis clare discernit malitiam actus saltem confuse in genere; ut qui sciens clare malitiam furti, vel in confuso sciens, verba obscæna esse peccatum, plena advertentia furatur, et verba obscæna profert. Advertentia *semiplena*, quæ etiam *imperfecta* vocatur, est, quando quis non clare, sed obscure, et mente non plene expedita cognoscit aliquid, ut accidit in motibus *secundo primis*, in semidormientibus, semiebriis, vel alio distractis, qui ob imperfectionem advertentiæ non peccabunt, nisi venialiter.

260. Q. Quænam ex his advertentia requiritur ad constituendum peccatum?

℞. Omnes conveniunt, non adesse peccatum, ubi nulla est advertentia, quia deest voluntarium; et idcirco motus *primo primi*, in quibus nulla est advertentia, non sunt peccaminosi. Non autem conveniunt, quænam advertentia requiratur. Aliqui dicunt, sufficere advertentiam *virtualem*. Alii asserunt, requiri *actualem* advertentiam malitiæ, aut periculi illius, aut saltem obligationis illam advertendi. Vide B. Ligorio (Lib. 5. n. 4.), qui utramque refert sententiam.

261. Q. Quænam ex his sententiis est præferenda?

℞. Utraque conciliari potest. Quia si dicatur, ad omnia paccata requiri *actualem* advertentiam, peccata quæ fiunt ex culpabili ignorantia, errore, inadvertentia, aut inconsideratione orta ex culpabili omissione diligentiæ debitæ; sicut et peccata, quæ committuntur per passionem, pravum habitum, etc. non essent peccata, quod nemo dicet; et tot scelesti homines, qui a suis passionibus, aut pravis consuetudinibus excæcati, immer-

guntur in vitia, nihil advertentes, essent immunes a culpa; quod nemo dicet.

262. Q. Quid præterea addendum?

R. Addendum, quod ipsimet Judæi Christum crucifigentes, Saulus Christum persequendo, Pagani Apostolos, cæterosque Martyres occidendo, et Hæretici tot crimina perpatrantes essent pariter a peccato excusati, quia non solum ad malitiam actu non advertebant, sed obsequium præstare Deo putabant; et Saulus de se ipso confitetur, quod Ecclesiam persequendo, paternarum traditionum æmulatorem, se esse credebat. Et tamen isti graviter peccarunt, ut omnes confitentur.

263. Q. Quid sequeretur, si *actualis* advertentia excludatur?

R. Sequeretur, quod si quis absque aliqua actuali advertentia ad malitiam, aut ad obligationem illam advertendi saltem in confuso operanti contra Legem, imputandi essent errores, quos committit, multi homines gravibus culpis se gravatos invenirent, ut infert idem B. Ligorio (ibid.) quin circa illas ullam cognitionem umquam habuerint, quod absurdum videtur: quia ubi non est cognitio, ibi non est libertas; et ubi non est libertas, ibi nec est peccatum.

264. Q. Quomodo conciliari possunt prædictæ sententiæ?

R. Hoc modo conciliantur, quod quando adest advertentia *virtualis*, ut a nobis est explicatum (258.), etiamsi advertentia *actualis* non adsit actu, quo quis operatur, adfuit tamen in causa, quando scilicet advertenter posuit causam vel ignorantiæ, erroris, et inadvertentiæ vincibilis, vel negligentiæ, passionis, habitus pravi voluntariæ inconsiderationis, vel aliam. Et hæc advertentia

sufficit ad constituendum peccatum. Econtra, si homo nullam habuerit advertentiam malitiæ, nec in actu, nec in virtute; sive nec in se, nec in causa, ut dictum est, non peccabit.

265. Q. Quando inadvertentia reputatur vincibilis?

℟. Inadvertentia, seu inconsideratio, tunc reputatur vincibilis, et culpabilis, quando homo debitam diligentiam omittit ad inquirendam veritatem; vel agit præcipitanter, etiamsi advertat, rem majori consideratione indigere; vel actu positivo, passionem vult sequi, quæ advertentiam impediat. Ut qui non curans, an contractus, quem vult inire, sit usurarius nec ne, si reapse sit usurarius, non excusatur a culpa; etiamsi usuram non advertat. Econtra, si debitam diligentiam ponat, considerate procedat, et a passione non sit excæcatus, errores, qui forsan committantur, non erunt culpabiles. Vide B. Ligorio supra.

266. Q. Ad peccatum requiritur ne advertentia plena? (n. 259.).

℟. Ad peccatum veniale sufficit quæcumque advertentia, etiam *imperfecta*, sicut sufficit qualiscumque consensus. Ad peccatum autem mortale, quod constituit hominem reum perpetui odii divini, et damnationis æternæ, juxta omnes requiritur advertentia *plena*, sicut et plenus consensus, vel in se, vel in causa. Dixi: *in causa*: quia si quis blasphemaret etc. ex habitu non retractato, licet hoc faciat ex motibus *secundo primis* (n. 259.), non excusaretur a gravi, quia advertentia foret *plena*, et *perfecta* in causa.

PARAGRAPHUS II.

De Notione, et divisione consensus.

267. Q. Quid est consensus?

℟. Consensus ad peccatum requisitus, est voluntaria, et libera approbatio ejus, quod ab intellectu voluntati proponitur, ut peccatum. Dixi: *voluntaria, et libera:* quia si aliquid non sit *voluntarium*, et fiat voluntate renuente; vel non sit *liberum*, ita ut non sit in libertate hominis facere, vel non facere, non erit peccatum. Communis. Quando autem quod voluntas approbat, sit voluntarium, et liberum, vide supra a num. 4. ad 23. et a 38. ad 42.

268. Q. Quotuplex est Consensus?

℟. Multiplex. 1. Dividitur in perfectum, et imperfectum. Si voluntas approbat malum cum advertentia perfecta, consensus erit *perfectus*; si cum advertentia imperfecta, consensus erit *imperfectus*. Et hic nota, quod sicut si advertentia sit imperfecta, peccatum non erit nisi veniale (n. 266.): sic etiam si consensus sit imperfectus vel in se, vel in causa, peccatum licet ex se sit grave, evadet veniale. Communis.

269. Q. Quænam est secunda divisio?

℟. Dividitur. 2. In directum, et indirectum. *Directus*, si voluntas directe velit illud malum, ex. gr. pollutionem. *Indirectus*, si ponat aliquam causam, ex qua malum illud proveniat. Ut qui ex curiositate vult legere, audire, aspicere, etc. id, quod ex experientia causat turpes cogitationes, motus, et etiam pollutionem. Et nota, quod etiamsi consensus sit indirectus, si malum, quod voluntas approbat in causa, sit grave, peccatum

pariter erit grave : quia qui directe ponit causam, indirecte vult etiam effectum.

270. Q. Datur ne alia divisio ?

℟. Maxime. 3. Dividitur *in absolutum*, si voluntas absolute velit illud malum, ex. gr. furari, *conditionatum*, si voluntas velit, posito, quod non sit malum. Quando autem conditio auferat malitiam peccati, vide supra n. 246. 247. et 248. Tandem consensus dividitur in *efficacem*, quando voluntas malum vult exequi, et *inefficacem*, quando voluntas delectatur circa opus malum, sed absque intentione illud exequendi. De quibus vide quæ supra dicta sunt a num. 229. ad 238.

271. Q. Quid dicendum in dubio, an quis consenserit nec ne ?

℟. Variæ regulæ, quæ etiam advertentiæ intellectus convenire possunt, dantur a Doctoribus. Prima est. Si quis quasi semidormiens, aut distractus rei malitiam apprehendens, rem illam graviter malam fecerit, judicans, si sui fuisset compos, et plene vigilasset, non utique facturum fuisse, non leve indicium est, se esse operatum absque plena advertentia, et pleno consensu, et proinde graviter non peccasse.

272. Q. Quænam est secunda regula ?

℟. Secunda regula est. Si qui dubitat, an plene consenserit, sit timoratæ conscientiæ, solitus abhorrere peccatum mortale, eique non consentire, præsumendum pariter est, non plene consensisse, licet aliquam in tentatione repellenda negligentiam admiserit. Si autem solitus sit consentire, et tentationi succumbere, censeri potest, consensisse. Ratio utriusque, quia in dubio valida præsumptio, et probabilitas a similiter contingentibus desumitur.

173. Q. Datur ne alia regula ?

℟. Maxime. Si qui dubitat, an pravæ cogita-

tioni plene consenserit, in iis fuerit circumstantiis, ut si voluisset, facile opus malum exequi potuisset, et non fecit, potius censetur, non consensisse: quia affectus deliberatus non ita faciliter mutatur. Hæc autem præsumptio non currit pro eo, qui malum, quod cogitat, non potest faciliter exequi. Vide Collet Tract. de Peccatis. Par. 1. Cap. 4. in fine, et Ferraris V. *Peccatum* num. 22.

Caput III.

De Occasione, et Periculo peccati.

274. Q. Quid est Occasio, et Periculum peccandi?

℟. *Occasio* est omne illud, quod vel ex se, vel ex hominis fragilitate, vel ex aliis circumstantiis inducit ad peccandum. *Periculum* est omne illud, quod vel ex se, vel ex circumstantiis ob objecti præsentiam incitat ad peccandum. Hinc accedere ad domum meretricis est *occasio* peccandi, quia ex se, vel ex circumstantiis inducit ad peccandum. Solus esse cum illa est *periculum*, quia ex se, vel ex circumstantiis ex illius præsentia incitatur quis ad peccandum. Sicut in periculo peccandi versaretur qui a concupiscibili, irascibili, aliisve tentationibus aggressus, eas statim non expelleret; aut aliter ad peccandum incitatus, viriliter non resisteret, præsertim, si in iis circumstantiis quis positus, lapsum fuerit expertus. Ut autem debitus servetur ordo, prius de Occasione, et deinde de Periculo loquemur.

Paragraphus I.

De Occasione peccandi.

275. Q. Quotuplex est Occasio peccandi?

℟. Duplex remota, et proxima. *Remota* est illa, quæ raro inducit ad peccandum. *Proxima* est illa, quæ vel ex se est inductiva ad peccatum, vel frequenter ad peccandum inducit; vel in qua positus homo, difficulter gravi tentationi resistit, et faciliter peccat. Occasio autem proxima subdividitur 1.° in proximam ex se, et proximam per accidens. 2.° In proximam voluntariam, et proximam necessariam. Et necessaria subdividitur in necessariam physice, et in necessariam moraliter.

276. Q. Quænam est occasio proxima *ex se*, et *per accidens*?

℟. Occasio proxima *ex se*, seu *absoluta*, est illa, quæ, attenta communi hominum fragilitate, faciliter inducit ad peccandum; ut qui ad domum meretricis accedit, qui concubinam domi retinet, etc. Proxima per *accidens*, sive *respectiva*, est illa, quæ attenta fragilitate alicujus, faciliter illum inducit ad peccatum, etiamsi alios non adducat. Ut qui tabernam accedens, solitus est inebriari; qui amasiam invisens, frequenter solet gravis cogitationibus consentire; qui domum cognatæ etiamsi semel in anno, petens, semper peccat; et sic de cæteris.

277. Q. Quænam est occasio proxima voluntaria, et qualis necessaria?

℟. Occasio proxima *voluntaria* est illa, in quam voluntarie quis se immittit, aut quam voluntarie retinet, ut qui domum amasiæ, vel tabernam accedit; qui concubinam domi retinet, etc. Occa-

sio proxima *necessaria* est illa, quam quis vel physice, vel moraliter non potest dimittere. *Physice*, ut qui occasionem habet in carcere, a quo non potest exire; mulier, quæ tentatur a cognato, cum quo debet convivere; vel ut filius familias, qui quotidianam habet tentationem domi ex ancilla, quam non potest ipse ejicere. Necessaria *moraliter* est illa, quam posset quis dimittere, sed non sine gravi incomodo, scandalo, damno, infamia; ut Chirurgus, qui fœminam medendo tentationes habet.

278. Q. Sunt ne fugiendæ occasiones peccandi?

℟. Si occasio sit *remota*, licet teneatur unusquisque magnam adhibere cautelam, non tenetur tamen eam deserere: hujusmodi enim occasiones in omnibus fere locis, artibus, professionibus, et in ipsa solitudine possunt reperiri; et ob eas vitandas deberemus de hoc mundo exire, ut ait Apostolus (1. Cor. 5. 10.). Communis. Qui autem absque gravi incommodo potest eas evitare, præsertim in materia luxuriæ, si vere horret peccatum, etiam has remotas occasiones fugiet.

279. Q. Quid dicendum, si occasio sit *proxima*?

℟. Occasio *proxima*, si sit *voluntaria* vel *ex se*, vel per *accidens*, non solum est fugienda, sed qui hujusmodi occasioni voluntarie se exponit, jam peccat etiamsi in occasione positus, solita peccata non committat. Communis: quia probabili periculo peccandi voluntarie se exponit; quod juxta omnes peccatum est. Hinc si quis domum amici petens, sit solitus graviter detrahere, etiamsi aliquoties non detrahat, detractionis peccatum jam commisit, quia detrahendi occasioni, et pe-

riculo voluntarie se exponit. Idipsum dicendum de amasiis, vel tabernam petentibus, etiamsi quandoque solita peccata non committantur.

280. Q. Quid vero dicendum, si qua utilis, aut honesta causa non fugiendi occurrat?

℟. Generaliter loquendo, pariter est fugienda. Et qui dicebant, ob hujusmodi causam, vel pro bono spirituali, vel temporali tam proprio, quam proximi hujusmodi occasiones non esse fugiendas, damnati fuerunt ab Innocentio XI. (Prop. 62. et 63.); sicut ab Alexandro VII. (Prop. 41.) proscripti fuerunt qui opinabantur, concubinarium non esse obligandum ad concubinam ejiciendam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii: et absque illa vitam nimis ægre is ageret.

281. Q. Quid dicendum de eo, qui versatur in occasione proxima necessaria?

℟. Si illa occasio ex *proxima* possit aliquo modo evadere *remota*, ita ut in illa positus, etiamsi ante hac sæpe cecidisset, nunc autem vel numquam, vel raro quis labatur, tunc non tenetur eam relinquere: quia, ut communiter dicunt Auctores (vide Ferraris. V. *Absolutio*. Art. 2. n. 9.) occasio peccandi non est in se peccatum, nisi sit voluntaria, nec affert necessitatem peccandi. Hinc filius familias, (ut supra 277.) qui versabatur in occasione proxima peccandi cum ancilla, quam non est ei liberum dimittere, si majori oratione, frequenti usu Sacramentorum, fugiendo ab ejus conspectu, vel numquam, vel raro labatur non tenetur domo exire, et si sit dispositus potest absolvi.

282. Q. Quid dicendum de eo, qui versatus in hujusmodi occasione eodem modo labitur?

℟. Hic homo etiam cum jactura suorum bonorum famæ, et etiam vitæ, debet occasionem illam deserere; alium locum petendo, ubi absque tali periculo possit vivere juxta monitum Redemptoris (Matth. 18. 9.): *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te.* Si autem nullo modo possit occasionem deserere, ut accidit in carcere detentis; vel nequeat dimittere absque peccato, ut mulier, quæ nequit separari a marito, cum quo aliquod grave committit peccatum; tunc hujusmodi occasionarius tractandus erit sicut consuetudinarii, et recidivi. Vide Lib. IV. n. 254. et seq.

PARAGRAPHUS II.

De Periculo peccandi.

283. Q. Quotuplex est periculum peccandi? (274.).

℟. Sicut duplex est occasio peccandi, ita duplex et periculum: remotum scilicet, et proximum. *Remotum* est illud, quod raro incitat ad peccandum, ut collocutio cum persona sexus diversi. *Proximum* est illud, quod faciliter, et frequenter incitat ad peccandum; et hoc subdividitur 1.° in periculum absolute proximum, et in periculum respective proximum; 2.° in periculum proximum formale, et materiale.

284. Q. In quo differunt hujusmodi pericula?

℟. Periculum *absolute proximum*, quod convenit etiam periculo *formali*, est illud, quod ex se quemcumque hominem ad peccatum solet incitare; ut esset cubare in eodem lecto cum persona sexus diversi, aspectus morosus partium pudendarum corporis alieni, præsertim sexus diversi, etc.

quæ pericula quemcumque hominem solent incitare ad pravas cogitationes, motus inordinatos, et etiam ad turpiora, ut evenit.

285. Q. Quodnam est periculum *respective proximum?*

℟. Est illud, quod licet generalitatem hominum ad peccatum non incitet, aliquos tamen fragiliores, vel minus probos incitat: ut est conversari cum persona sexus diversi, vel statuas, et picturas obscænas aspicere. Qui pronus est ad luxuriam, faciliter incitatur ad peccandum, non sic homo probus, et cautus. Et hujusmodi est exercere professionem advocati, judicis, medici, mercatoris, etc. Aliqui non solum ad peccandum non incitantur, imo sancte, et recte tales professiones exercent. Alii econtra ad diversa peccata incitantur.

286. Q. Quodnam est periculum *proximum materiale?*

℟. Est illud, quod ex se generalitatem hominum ad peccandum incitat, quamvis ob specialem conditionem hominis, qui se periculo exponit, hoc incitamentum non existat. Hinc licet aspectus, et tactus partium pudendarum alieni corporis, præsertim sexus diversi, sit periculum *absolute proximum*, et *formale*; respectu chirurgi tamen, qui ratione sui officii, et necessitatis debet aspicere, ac tangere, si ad peccatum non incitetur, aut non consensiat, quia necessarias adhibet cautelas, et preces, et pias cogitationes, periculum erit materiale.

287. Q. Peccat ne qui se exponit periculo peccandi?

℟. Si periculum sit remotum, dummodo debitas quis adhibeat cautelas, non peccat, ut supra (n. 278.) dixi de eo, qui se exponit occasioni

remotæ. Si autem periculum sit proximum, sive absolute, sive respective, et formale; tunc peccat graviter, vel leviter, prout gravis, vel levis est materia peccati: quia qui vult tale periculum, censetur velle etiam peccatum, quod cum illo periculo est conjunctum, quod numquam licet juxta illud Eccl. 3. 27. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Vide Croix Lib. V. n. 256.

288. Q. Licet ne periculo materiali peccandi se exponere?

℟. Si hoc fiat ex necessitate, et debitas quis adhibeat cautelas, ne peccato consentiat, tunc licet. Hinc chirurgus, qui ratione sui officii debet aspicere, et tangere partes pudendas sexus etiam diversi, ut supra (n. 286.), si adhibeat debitas cautelas, ut dixi, non peccat hujusmodi periculo se exponendo: B. Ligorio Lib. 6. n. 455. Hoc expresse docet S. Basilius (in Costit. mon. c. 4.): *Qui urgenti causa, et necessitate se periculo objicit . . . . . non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud subire; et ideo magis providebit Deus, ne in illo pereat.*

Caput IV.

De distinctione specifica Peccatorum.

289. Q. Unde desumitur distinctio specifica peccatorum in genere morum?

℟. Quoad peccata omissionis distinguntur ab objectis specie diversis. Hinc omissio Sacri distinguitur specie ab omissione jejunii, quia hæc duo respiciunt objecta diversa. Quoad peccata vero commissionis (n. 214.) licet Thomistæ desumant pariter ab objectis diversis, et Scotistæ ab

oppositione ad virtutes, sicut autem hæ duæ sententiæ coincidunt in idem, ut ait S. Thomas (1. 2. q. 72. a. 1.), *quia virtutes distinguntur specie secundum objecta :* hinc sententiam Scotistarum utpote clariorem amplectemur.

290. Q. Unde Scotistæ desumunt destinctionem specificam peccatorum ?

℟. 1.° Quando peccata opponuntur diversis virtutibus, ut blasphemia, quæ opponitur virtuti Religionis; odium, quod opponitur Charitati; detractio, quæ opponitur Justitiæ. Et hic nota, quod in una actione potest committi duplex, triplex, quadruplex, etc. specie peccatum, si illa actio diversis opponatur virtutibus. Hinc persona sacra si committeret (quod absit) adulterium cum consanguinea, quatuor specie peccata committeret : primum contra castitatem; secundum contra Religionem, utpote persona sacra; tertium contra Pietatem, quia consanguinea; quartum contra Justitiam, quia conjugata.

291. Q. Datur ne alia distinctio peccatorum ?

℟. Maxime : Secundo distinguntur specie peccacata, quando eidem virtuti opponuntur, sed diverso notabiliter modo; ut detractio, furtum, rapina, homicidium, hæc peccata, licet eidem virtuti Justitiæ opponantur, quia tamen diverso notabiliter modo opponuntur, sunt quatuor specie diversa peccata; Et sic desperatio, et præsumptio, licet opponantur uni virtuti Spei, quia modis notabiliter diversis opponuntur, duo specie diversa peccata constiuunt.

292. Q. Ex diversitate præceptorum oritur ne specifica peccatorum distinctio ?

℟. Si diversa præcepta uno, eodemque motivo rem aliquam præcipiant, vel prohibeant, unum

committitur preccatum; quia licet illa præcepta sint materialiter diversà, unum morale præceptum constituunt. Hinc licet simonia, et usura vetentur a Lege naturali, divina, et humana, ut omnes fatentur, qui illas committit, unius peccati se alligat. Sicut unum peccatum committit qui die Dominica, in qua occurrit Festum alicujus Sancti, Missam non audit. Et sic de similibus.

293. Q. Quid dicendum, si ex diversis motivis illa præcepta rem aliquam præcipiant, vel vetent?

℟. Tunc constituunt plura specie diversa peccata: quia illa præcepta forent non materialiter, sed formaliter diversa. Hinc Franciscanus, qui die veneris carnes comederet, duplicis peccati se alligaret, et contra præceptum Ecclesiasticum, et ratione voti contra Religionem. Et ob eamdem rationem tria peccata specie diversa admitteret pœnitens, qui et ratione pœnitentiæ sibi injunctæ, et ratione præcepti Ecclesiastici, et ratione voti obligatus ad jejunandum in vigilia Nativitatis Domini, non jejunaret.

294. Q. Ex circumstantiis (Vid. Tract. 1. n. 27. etc.) oritur ne specifica peccatorum distinctio?

℟. Si circumstantiæ tribuant peccato malitiam diversam ex oppositione, quam habent, ad diversas virtutes, tunc ex iis oritur specifica peccatorum distinctio: aliter, non. Hinc in occisione proprii patris, in furto rei sacræ, hæ circumstantiæ *rei sacræ*, *proprii patris*, mutant speciem, quia malitiæ furti, et homicidii addunt malitiam sacrilegii ob rem sacram contra Religionem, et malitiam perfidiæ contra Pietatem. Communis.

295. Q. Quid dicendum, si circumstantiæ malitiam diversam non addant?

℟. Si circumstantiæ non addant malitiam diversam peccato, tunc non mutant speciem, et non constituunt aliud peccatum specie diversum, sed tantum possunt vel minuere, vel aggravare idem peccatum; ut qui furatur unum, decem, aut centum ducata; qui committit homicidium ferro, vel veneno; qui per duos, aut decem dies durat in odio; et sic de similibus. Communis.

296. Q. Habitus pravus, et consuetudo peccandi constituit ne novum peccatum specie diversum?

℟. Generaliter loquendo, nequaquam. Potest tantum augere, vel minuere malitiam ejusdem peccati, non autem addere novam malitiam. Habitus autem est propensio ad peccata ejusdem speciei ex frequentatis actibus contracta; ut qui pluries blasphemavit, se inebriavit, detraxit, etc. Communis. Et si hic pravus habitus cito non abrumpatur, sed continuetur, nascitur consuetudo peccandi, quæ, ex S. Bernardo, parit quamdam necessitatem peccandi, et idcirco, oh quam timenda!

297. Q. Quare dixisti: *generaliter loquendo*?

℟. Quia qui negligit evellere habitum pravum, et multo magis pravam consuetudinem, novum peccatum committit, quia se exponit periculo relabendi in idem peccatum, ut evenit; et se exponere periculo peccandi, est peccatum, ut supra 287. Et idcirco Innocentius XI. (Prop. 58.) damnavit eos, qui opinabantur, non teneri consuetudinem peccati confessario interroganti fateri. Notent qui pravum habitum contraxerunt in blasphemando, pejerando, imprecando, se polluendo etc.

Caput V.

De distinctione numerica Peccatorum.

298. Q. Unde petitur distinctio numerica peccatorum?

℟. Si agatur de peccatis mere internis, quæ solent consummari in corde, ut desperatio, odium, invidia, delectationes morosæ, etc. distinctio numerica petitur a multiplicatione ipsorum actuum, ita ut tot sint numero peccata, quot sunt consensus voluntarie renovati post interruptionem; dummodo dicti actus interni invidiæ, odii, etc. non procedant ab uno, eodemque impetu passionis non retractatæ: quia hoc casu, licet per breve tempus interrumpantur, unum numero peccatum constituunt. Communis.

299. Q. Quare dixisti: *de peccatis mere internis?*

℟. Quia, si illi actus interni efficaciter tendant ad opus externum complendum, ex. gr. ad occidendum, ad fornicandum, ad furandum, etc., nisi sint interrupti, unum numero peccatum constituunt, etiamsi illa mala voluntas occidendi, fornicandi, furandi iteretur. Dixi: *nisi sint interrupti*: quia, si quis illam pravam voluntatem occidendi, fornicandi, furandi retractet, se pœniteat, et postea resumat; tunc novum numero peccatum committit, ut supra dictum est (n. 298.).

300. Q. Quando actus mali censentur interrupti?

℟. Ista interruptio potest esse vel formalis, vel interpretativa. *Formalis* habetur, quando per actum contrarium nolitionis, aut displicentiæ, aut aversionis, prior actus malus retractatur, ut di-

ctum est numero præcedenti. *Interpretativa* habetur per voluntariam, et liberam cessationem ab actu malo priori; ut qui viso inimico, ei malum exoptat, et deinde ad alia se sponte convertens, de inimico amplius non cogitat. Si autem iterum viso inimico, malum optat iterum peccat. Communis.

301. Q. Quare dixisti: *per voluntariam, et liberam cessationem?*

℟. Quia si illa cessatio ab actu malo sit involuntaria, puta per naturalem distractionem, comestionem, dormitionem, et similia, etiamsi alii dicant, illud malum propositum interrumpi, et alii non; probabilius tamen videtur dicendum cum Salmaticensibus, et aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 5. n. 39.), si breve tempus intercedat, novum peccatum non committi, si illa prava voluntas perseveret. Si autem perseveret per tempus diuturnum, ex. gr. per duos, vel tres dies, ut vult idem Beatus (ibid.), tunc numerus actuum internorum multiplicabitur, et nova peccata committuntur.

302. Q. Quid est hic præterea notandum?

℟. Hoc est notandum, quod si illa prava voluntas tendat ad consummandum peccatum externum, ex. gr. ad occidendum, ad fornicandum, ad furandum, etc. ut 299. per qualecumque tempus perseveret, et renovetur mala voluntas, unum solum peccatum committitur, dummodo, ut dixi, illa prava voluntas non interrumpatur: quia omnes hi actus, ut docet S. Thomas (in 2. dist. 42. q. 1. a. 1.): *non habent rationem peccati, nisi secundum quod per unam voluntatem in perversum finem ordinantur*. Ita communiter S. Bonaventura cum aliis, B. Ligorio ibid. n. 40.

303. Q. Unde desumitur distinctio numerica peccatorum externorum?

℟. Si quilibet actus habeat suam completam malitiam, et non subordinetur ad complendum alium actum principalem, ut si quis pluries blasphemet, imprecetur, se polluat, absolvat existens in peccato gravi, non jejunet; vel pluries percutiat sine animo occidendi, pluries furetur triticum ex cumulo absque intentione totum diripiendi, tot numero peccata committit, quot malos actus repetit; dummodo illi plures actus ex eodem impetu non procedant; ut qui ex eodem impetu pluries blasphemat, imprecatur, percutit; unum numero peccatum committit. Communis. Dixi: *absque intentione totum diripiendi*: quia habens intentionem totum cumulum furandi, etiamsi pluribus vicibus triticum exportet, unum peccatum committit.

304. Q. Quare dixisti: *Si quilibet actus habeat suam completam malitiam*, etc?

℟. Quia si aliquis actus non habeat suam completam malitiam, sed ordinetur ad complendum aliud peccatum, seu actum principalem, tunc omnes actus præcedentes constituunt unum numero peccatum cum peccato principali: dummodo actus præcedentes non habeant malitiam distinctam a malitia finis intenti. Hinc qui ad occidendum inimicum, emit arma, viam carpit, illum quæritat; et inventum pluries percutit, et occidit, unum peccatum committit; et sufficit, si in confessione dicat: *Occidi inimicum.* Et idem dic de eo, qui ad furandum scalam arripit, fenestram ascendit, clave falsa portam aperit, et furatur, unum committit peccatum. Communis.

305. Q. Quid præterea notandum?

℟. Notandum, quod si quis percussisset, sed absque animo occidendi; et inde ira incensus occidit, etiam percussiones essent peccaminosæ, et in confessione explicandæ, utpote malitiam completam habentes. Idem dic de eo, qui absque intentione fornicandi turpia tantum intendit, et habet colloquia. Si postea crescente passione, turpes tactus excercet; et hinc amplius crescente passione, ad copulam pervenit; tunc tam colloquia, quam tactus constituunt diversa numero peccata, præter copulam. Et idem dic de delectatione morosa, osculis, tactibus, verbis obscœnis, quæ copulam illam subsequuntur.

306. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Maxime: quia si ob aliquod impedimentum, aut quocumque alio fine peccatum principale non committatur, puta homicidium, furtum, etc. tunc omnes actus præcedentes, sive ex se sint peccaminosi, sive indifferentes, ut emere arma, scalam accipere, etc., cum a malitia pravi finis vitientur (Tract. 1. n. 26.), omnes mali deveniunt. Communis apud B. Ligorio (ibid. n. 42.).

307. Q. Quare n. 304. dixisti: *Dummodo actus præcedentes non habeant malitiam distinctam a malitia finis intenti?*

℟. Quia si habeant malitiam distinctam, utpote habentes completam malitiam, erunt numero diversa peccata. Hinc, si quis ad occidendum inimicum surriperet gladium; et Titius ob seducendam Amasiam media superstitiosa adhiberet; etiam furtum gladii, et superstitio adhibita essent numero diversa peccata: quia furtum, et superstitio diversam malitiam habent ab homicidio, et mulieris seductione. Billuart. Tract. de Peccatis art. 3. P. Goritia Tab. 10.

308. Q. Unico actu possunt ne plura numero peccata committi?

℟. Maxime, quando plures virtutes, vel plura jura læduntur; quia sicuti unico actu plura specie diversa peccata, ut dictum est supra (290.) possunt committit; sic et plura numero. Vide exemplum ibi allatum. Hinc qui uno actu de decem personis detrahit, decem malum desiderat, decem personas scandalizat, decem pila incendiaria occidit, etc., cum decem personarum lædat jura, decem peccata committit, vel unum decem æquivalens. Et idem dic de conjugato, qui alterius uxorem cognoscens, duo crimina committit, quiá duorum matrimoniorum jura violat.

309. Q. Qui unico actu detrahit alicui in materiis diversis, committit ne diversa peccata?

℟. Ut probabilius sentiunt Doctores (B. Ligorio ibid. n. 48.), diversa per se loquendo committit peccata, ob rationem numero præcedenti allatam, quia plura ejus lædit jura. Hinc qui eodem actu vocat aliquem adulterum, blasphemum injustum, usurarium, calumniatorem, etc. plura committit peccata ob diversa jura, quæ læduntur: quia unusquisque usquedum non sit diffamatus, habet jus, ut credatur honestus, religiosus, justus, etc. Dixi; *per se loquendo*, quia si ab astantibns illa convicia non reputentur ut vera, sed ex impetu iræ prolata, ut accidit persæpe in mulierculis., et plebejis rixantibus, tunc unum esset peccatum.

310. Q. Quot peccata committit qui unico actu diversa mala optat inimico?

℟. Diversi diversa dicunt. Sed Sylvius cum aliis., ap. Lig. ib. n. 50. recte distinguit. Si quis optet, ex. gr. infamiam, paupertatem, morbos;

mortem, damnationem, etc. cum illa prava intentione videndi inimico omnia illa diversa mala specifice considerata, cum ex dictis, tot essent specie peccata; sic etiam tot essent numero. Si autem omnia illa mala ei optaret sub uno genere mali, ut videat, ex. gr. suum inimicum exterminatum, unum specie, et unum numero peccatum committeret.

Caput VI.

De remissione Peccatorum.

311. Q. Quomodo peccata remittuntur?

℟. Peccata personalia, quæ ante Baptismum forsan sint commissa, una cum peccato originali (213. et 214.), remittuntur per Baptismum. Communis. Peccata autem personalia post Baptismum commissa, si sint *mortalia* (217.), remittuntur vel per sacramentum Pœnitentiæ vere, et realiter susceptum, vel per contritionem cum voto, seu desiderio tale Sacramentum suscipiendi. Ita post Concilium Tridentinum (sess. 14. Cap. 1. 2. 4. et Can. 1. 2. et 3.) omnes Doctores.

312. Q. Et peccata *venialia*, quomodo remittuntur? (217.)

℟. Duobus modis, ex *opere operato*, seu per merita Christi, et *ex opere operantis*, sive ex actionibus ipsius peccantis. Remittuntur *ex opere operato* non solum per Sacramentum Pœnitentiæ cum vero dolore, et proposito susceptum, sed etiam per susceptionem aliorum Sacramentorum cum debita dispositione, et per sacramentalia, dummodo ad ea nullus habeatur affectus, ut Ss. Patres, et Doctores communiter sentiunt (Ferraris V. *Peccatum* n. 51.); et dummodo verum

adsit propositum non committendi de cætero : nam si propositum requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, multo magis in aliis Sacramentis, et Sacramentalibus requireretur.

313. Q. Quid sunt hæc Sacramentalia, et actiones factæ ex *opere operantis*?

℟. Sunt quælibet sacramentalis unctio, benedictiones, quæ dantur cum SS. Sacramento, et sacris Reliquiis, benedictiones, quæ dantur a Papa, Episcopis, vel Abbatibus consecratis; sunt aspersio aquæ benedictæ, contritio, attritio, orationes præsertim Dominicales, et factæ in Ecclesiis, confessio generalis, seu *Confiteor*, pectoris tunsiones, elargitio eleemosynarum, et si quæ aliæ sunt, hæc omnia facta ad deletionem suorum peccatorum, cum aliqua detestatione peccatorum ipsorum, et cum aliqua reverentia in Deum, et res divinas, juxta S. Thomam, cum aliis, quos citat, et sequitur Ferraris (supra a n. 49. ad 60.), *operantur ad remissionem peccatorum venialium.*

314. Q. Potest ne unum peccatum sine alio remitti?

℟. Peccatum veniale maxime : quia minime hoc repugnat. Si autem agitur de peccato mortali, numquam potest dari, unum sine alio remitti : aliter homo esset eodem tempore justus, et injustus, Deo amicus, et inimicus, quod absurdum est, ut patet. Imo qui est in mortali, juxta doctrinam Catholicam, cum S. Thoma (3. par. q. 87. a. 4.), nec de peccatis venialibus potest recipere veniam, quæ sine gratiæ infusione remitti non possunt. Nihil autem repugnat, posse remitti peccatum mortale, quin remittatur veniale : quia potest haberi dolor de mortali, et non jam de veniali.

ARTICULUS II.

De Peccatis in specie, seu de Peccatis capitalibus.

315. Q. Quot sunt peccata capitalia?

℟. Septem: Superbia, Avaritia, Luxuria, Ira, Gula, Invidia, et Acedia; et juxta S. Thomam (1. 2. q. 84.) ideo dicuntur capitalia, quia ex his tamquam a radice multa alia vitia, et peccata proveniunt, ut in sequentibus Capitibus erit videndum.

CAPUT I.

De Superbia.

316. Q. Quid, et quotuplex est Superbia?

℟. Superbia, ut communiter definitur, est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ super alios; et duplex est, perfecta, et imperfecta. Superbia *perfecta*, seu *consummata*, et *completa* est, quando quis ita excellere appetit, ut non solum Superioribus humanis, sed nec ipsi Deo, eorumque Legibus subjici vellet. *Imperfecta* autem, seu late sumpta est, quando quis non renuit iis, quibus debet, subjici; sed tantum in suo corde se magnificat, intumescit, et aliis excellentiorem se reputat. Et hæc per se est peccatum leve. Valde tamen timenda: quia cum *Deus superbis resistat, humilibus autem det gratiam* (Jac. 4. 6.); deficiente hac gratia speciali, superbus faciliter labitur in grave.

317. Q. Quale peccatum est Superbia *perfecta*?

℟. Superbia *perfecta* ex genere suo est peccatum grave: quia ex vi suæ naturæ avertit homi-

nem a subjectione Dei, aliorumque Superiorum, quod est gravis læsio justitiæ, et charitatis. Dixi: *ex genere suo*: quia si in rebus parvi momenti quis nollet subjici Legibus divinis, vel humanis, ex. gr. pauca verba in Ecclesia proferendo; silentium aliquoties in refectorio rumpendo, et similia; si fiat citra contemptum, erit veniale. Si autem fiat ob contemptum Legis, Regulæ, seu Legislatoris, Superioris, etc. erit grave, ut supra num. 225.

318. Q. Dantur ne alii casus, in quibus superbia sit peccatum lethale?

℟. Maxime: 1.° quando bona seu gratiæ, seu naturæ, seu fortunæ, quæ quis habet, non a Deo repetit, sed ex proprio ingenio, industria, etc. 2.° quando bona prædicta repetit quidem a Deo, sed id adscribit suis meritis, et non ejus liberalitati: 3.° si extollendo se super alios, adsit gravis contemptus, vel damnum notabile proximi. Ut si quis se extollendo super alios medicos, concionatores, Advocatos, etc. injustum, et grave damnum aliis professoribus, etc. vel infirmis, clientibus, etc. inferret. Communis.

319. Q. Quæ peccata oriuntur a Superbia?

℟. Multa, sed præcipua, quæ tamquam filiæ ab illa proveniunt, tria sunt, *Præsumptio* scilicet, *Ambitio*, et *Vanagloria*.

320. Q. Quid, et quotuplex est *Præsumptio*?

℟. Præsumptio est appetitus inordinatus aliquod aggrediendi, vel faciendi, quod est supra suas vires, et capacitatem; ut si quis præsumeret stellas omnes numerare. Hæc per se est peccatum leve; sed si immineat grave periculum injuriæ Dei, aut damni notabilis vel sui, vel proximi, tunc esset grave; ut qui præsumeret quærere, et exercere

officium Confessarii, Medici, Judicis, Advocati, etc. absque sufficienti scientia. Communis. Item peccato gravi Præsumptionis peccat qui proclivis ad venerea, et conscius suæ fragilitatis, et lapsuum, vult frequentare quædam consortia, aspicere quasdam picturas, audire quasdam cantiones, quosdam libros legere; quibus occasionibus toties periclitatus est. Etsi hisce occasionibus peccare non intendat, peccat peccato gravi Præsumptionis; et si cadat, peccabit etiam contra castitatem.

321. Q. Quid, et quale peccatum est *Ambitio*?

℟. Est inordinatus appetitus dominandi, seu acquirendi honores, dignitates, etc. propria merita excedentes. Per se est peccatum leve. Potest evadere grave, vel ratione materiæ; ut si quis notabiliter indignus dignitatem ambiat; vel ratione circumstantiarum, ut si quis mediis graviter illicitis, ex. gr. per subornationem, simoniam, detractionem de competitore, aut alterius notabili damno, vel injuria, ambiat Beneficium, Prælaturam, etc., vel fine graviter illicito, ut si officium aliquod ambiat, ut de inimico possit ulcisci, etc. Communis.

322. Q. Quid, et quale peccatum est *Vanagloria*?

℟. Vanagloria est inordinatus appetitus manifestationis propriæ excellentiæ, operationis, etc. ad captandam humanam laudem, et gloriam; ut qui jejunat, ut videatur, et laudetur. Per se pariter est peccatum leve; sed erit mortale, si expectet laudem ex re graviter mala, puta ex stupro illato, ex vindicta patrata, ex duello, in quo fuit victor, etc., vel si in gloria humana ponat quis ultimum finem; ut si quis concionetur hoc solo fine, ut laudetur. Communis. Sed aliter dicendum, si quærat etiam glo-

riam Dei, licet principaliter quærat gloriam suam, ut Sylvius, et alii, quos citat, et sequitur B. Ligorio Lib. V. n. 66.

323. Q. Vanagloria habet ne suas filias?

℟. Etiamsi Vanagloria sit filia Superbiæ, habet tamen et ipsa suas filias, quæ juxta S. Gregorium sunt septem, idest Jactantia, Inobedientia, Hypocrisis, Contentio, Discordia, Pertinacia, et Novitatum inventio.

324. Q. Quid est *Jactantia*, et quale peccatum?

℟. Est inanis propriæ excellentiæ prædicatio verbis facta absque necessitate; ut qui se jactat de nobilitate, divitiis, talentis etc. Est per se peccatum veniale, sed erit mortale per accidens, ut si jactando se aspernetur alios, ut faciebat Pharisæus, dicens: *Non sum, sicut cæteri hominum raptores, injusti, adulteri ..... velut hic publicanus* (Luc. 18. 11.): vel si quis se jactet de gravi malo, quod fecit, puta de homicidio, de ebrietate, de furtis, de fornicatione, etc. Communis.

325. Q. Quid est Inobedientia, et quale peccatum?

℟. Est peccatum, quo præceptum Superioris deliberate violatur. Si violetur ex contemptu, et hic contempus formalis sit, et perfectus, idest, si quis ideo præceptum nolit implere, vel quia præceptum est, vel quia ab illo Superiore est factum, est semper peccatum grave, etiamsi materia sit levis, ut supra dictum est num. 15. et 107. Si autem violetur non ex contemptu, sed vel ob difficultatem, vel ob utilitatem, delectationem, etc., tunc peccatum erit grave, vel leve juxta qualitatem præcepti gravis, vel levis. Vide n. 214. et 256. etc.

326. Q. Quid est Hypocrisis, et quale peccatum?

℟. Est peccatum, quo quis fingit se esse bonum, cum non sit, vel plus bonum quam est. Unde est mendacium facti: Si hæc fictio fiat ob finem graviter malum, vel graviter *repugnet charitati Dei, vel proximi*, ut inquit S. Thomas (2. 2. q. 111. a. 4.) *puta cum simulat sanctitatem, ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur dignitetem ecclesiasticam*, ut pauperum eleemosynas ad se attrahat, ut virginem seducat, etc. est mortale.

327. Si autem hæc fictio fiat absque fine graviter malo, nec graviter repugnet charitati Dei, vel proximi, ut si quis simulet sanctitatem, quam non habet, vel ne alios scandalizet, vel ut eis bonum præbeat exemplum, *ordinarie solum est peccatum veniale*, quia ut ait S. Thomas (ibid. q. 37. et 38.) *eadem ratio est de mendacio, et simulatione.*

328. Q. Quid est Contentio, et quale peccatum?

℟. Est peccatum, quo quis animo contradicendi verbis impugnat id, quod est verum. Si hæc impugnatio graviter offendat charitatem Dei, vel proximi, erit mortale; aliter veniale. Hinc graviter peccat qui serio impugnat Fidei veritates, vel Propositiones ab Ecclesia damnatas defendit; Advocatus, qui causam, quam credit injustam, dolose vult patrocinari, et similia.

329. Q. Quid est Discordia, et quale peccatum?

℟. Est peccatum, quo quis ne videatur minus doctus, sapiens, etc. quam alter, illius voluntati non vult consentire. Si non vult consentire voluntati ejus, cui assentiri tenetur; et agatur

de re notabili ad Deum, vel proximum pertinente, inquit Cuniliati (Tract. 2. Cap. 2. §. 1. n. 3.) peccabit graviter : aliter peccabit venialiter.

330. Q. Quid est Pertinacia, et quale peccatum?

℟. Est peccatum, quo quis ad ostendendum suum ingenium vult sustinere, et defendere suam opinionem, quæ sapientioribus est contraria. Si hæc pertinacia vergat in gravem Dei injuriam, Superiorum contemptum, aut grave proximi damnum; ut si medicus cum periculo ægroti vult manere in sua sententia, erit peccatum grave: aliter leve. Communis.

331. Q. Quid est Novitatum inventio, et quale peccatum?

℟. Est peccatum, quo quis ad suam excellentiam ostendendam novos modos excogitat in docendo, conversando, in epulis, in vestibus, in ornamentis, etc. Si hujusmodi novitates sint contra Fidem, bonos mores, pudicitiam; vel si pariant grave scandalum, vel damnum in proximum, ut quædam mulieres, quæ in laqueum animarum quosdam ornatus inverecundos excogitant, et similia, tunc peccatum erit grave: aliter leve. Communis.

332. Q. Quænam remedia superbis præscribuntur?

℟. Varia: 1.° considerare seipsum: vix enim possibile est, ut sibi ipsi non vilescat qui suos defectus coram Deo considerat. 2.° considerare vilitatem eorum, quibus superbimus. 3.° frequens meditatio pœnarum, quæ superbis sunt paratæ, et præmiorum, quæ humilibus promittuntur: *Qui enim se exaltaverit, humiliabitur; et qui se humiliaverit, exaltabitur* (Mat. 23. 12.). 4.° libens cum humilibus conversatio. 5.° petere a Deo humilitatem

superbiæ oppositam, et in ipsa se exercere susceptione ministeriorum vilium, ut infimum locum seligere, hospitalia visitare, ægrotis ministrare, et similia.

Caput II.

De Avaritia.

333. Q. Quid est Avaritia?

℟. Juxta S. Thomam (2. 2. q. 118.), Avaritia *est inordinatus appetitus divitiarum*, sub quo nomine comprehenduntur omnia pretio æstimabilia, ut pecuniæ, possessiones, domus, etc. Hic vero divitiarum appetitus tribus modis inordinatus esse potest, immoderate appetendo, inordinate acquirendo, et injuste retinendo. Ex quibus colligitur, non avarum, sed providum esse judicandum qui divitias appetit, quantum satis est ad vitam honeste transigendam, prolem educandam, familiam sustentandam, etc., quia in hoc nihil est inordinatum.

334. Q. Quale peccatum est Avaritia?

℟. Si in materia gravi violet Charitatem Dei, suimet, proximi, vel Justitiam, est peccatum grave. Et de his avaris loquitur Apostolus (1. Cor. 6. 10.), dum ait: *Neque fures, neque avari regnum Dei possidebunt.* Si autem Avaritia opponatur Liberalitati, ita ut, licet inordinate quis amet divitias, nimis parce vivendo, familiam alendo, expensas necessarias, et decentes negligendo, non præfert tamen eas amori divino, nec propter eas aliquid faciat contra Deum, seipsum, et proximum, tunc juxta S. Thomam (2. 2. q. 118. a. 4.), est peccatum veniale,

et potius *Illiberalitas*, quam *Avaritia* censenda est.

335. Q. Quando Avaritia violat Charitatem?

℟. Quando homo adeo inordinate, et immoderate appetit, acquirit, ac retinet divitias, ut in eis ponat ultimum suum finem, parum, aut nihil curando amicitiam Dei, ejus Leges transgrediendo, suam æternam salutem negligendo, debitas eleemosynas omittendo, et similia. In his casibus peccatur graviter. Communis.

336. Q. Quando Avaritia violat Justitiam?

℟. Tunc violat Justitiam, et est peccatum pariter lethale (nisi materiæ parvitas excuset), quando homo ita avidum se præbet comparandi, augendi, et conservandi pecunias, et divitias, ut paratus sit ad faciendum, sicut reapse facit, fraudes, usuras, injustitias, perjuria, præpotentias, negando domesticis, creditoribus, pauperibus quod ipsis debetur; aut ita dispositus est, ut negaret, si posset, et similia. Communis.

337. Q. Quid opponitur Avaritiæ?

℟. Liberalitas, et Prodigalitas. *Liberalitas* est virtus inclinans voluntatem ad dispensanda bona in usus debitos tam pro se, quam pro aliis, juxta præscriptum rationis. *Prodigalitas* econtra est vitium inclinans voluntatem ad dispensanda sua bona plus æquo, et justo. Et licet Prodigalitas sit per se peccatum veniale, potest evadere mortale, si prodiga suorum bonorum dispensatio, seu potius dilapidatio, causa sit, ut prodigus impotentem se reddat ad solvenda debita, ad sustendandam familiam, etc.; et multo magis, si bona, quæ dilapidat, sint Ecclesiastica.

338. Q. Quænam peccata oriuntur ab Avaritia?

℟. Septem enumerat S. Gregorius (Lib. 31,

Mor. Cap. 17.): 1.° *Proditio*, quando ob pecuniam, etc. quis decipit proximum contra fidem datam. 2.° *Fraus*, quando ob pecuniam, etc. decipit proximum per facta injusta, ut qui vendit aurichalcum pro auro. 3.° *Fallacia*, quando quis ob pecuniam, etc. proximum decipit per verba dolosa. 4.° *Perjurium*, quando decipit per falsum juramentum. 5.° *Inquietitudo mentis*, quando quis vivit anxius, timens, ne divitiæ, etc. in futurum desint. 6.° *Violentia*, quando res aliena per vim injustam aufertur. 7.° *Obduratio cordis*, quando quis durum contra pauperes se præbet.

339. Q. Quænam remedia avaris præscribuntur?

℟. Præcipua sunt cogitare, in morte, quæ forsan citius, quam putetur, adveniet, omnia esse dimittenda, et relinquenda hæredibus sæpe ingratis, dissipatoribus, tempore, quo forsan avarus in inferis cruciat: quia ut ait Apostolus (Ephes. 5. 5. *avarus non habet hæreditatem in regno Christi, et Dei*. 2.° meditari paupertatem Christi, qui *cum dives esset, propter nos egenus factus est* (2. Cor. 8. 9.); 3.° facere eleemosynas, et similia.

Caput III.

De Luxuria.

340. Q. Quid est Luxuria?

℟. Luxuria, ut definitur a S. Thoma (2. 2. q. 153.), est appetitus, aut usus inordinatus, vel indebitus venereorum, sub quo nomine comprehenduntur omnia peccata, quæ committuntur con-

tra sanctam Puritatem. Hæc peccata cum advertenter, et deleberate (n. 256. etc.) committantur, sunt ex genere suo peccata lethalia, quæ materiæ parvitatem non admittunt. Communis.

341. Q. Peccata Luxuriæ sunt ne specie diversa?

℟. Maxime. Hinc qui hujusmodi peccata commisit, explicare debet in confessione tam qualitatem sui, quam qualitatem personæ concupitæ, vel cum qua peccavit; an scilicet sit virgo, libera, conjugata, consanguinea, affinis tam carnaliter, quam spiritualiter, sacra; an commissa a se solum, an cum personis ejusdem, vel diversi sexus, vel naturæ; an sola delectatione, vel etiam desiderio, et intentione; an commissa verbis, aut gestibus impudicis, tactibus, amplexibus, osculis, aspectibus, etc.

342. Q. Quæ peccata oriuntur a Luxuria?

℟. Octo numerantur a S. Gregorio (Lib. 31. Moral.), quatuor ex parte intellectus, et quatuor ex parte voluntatis. Ex parte intellectus sunt: 1.° *Cæcitas mentis*, cum quis adeo addictus est turpitudini, ut de cœlestibus non cogitet. 2.° *Præcipitatio*, cum quis ex eadem causa sine consilio præcipitanter agit. 3.° *Inconsideratio*, cum quis de suo honore, et statu non cogitans, luxuriis immergitur. 4.° *Incostantia*, cum quis voluptatum amore captus, faciliter proposita facta deserit, spernit consilia, etc.

343. Q. Quænam sunt peccata, quæ ex parte voluntatis proveniunt?

℟. Sunt ista quatuor, nempe: 1.° *Amor sui*, quo luxuriosus non in Deo, sed in suis voluptatibus suum ultimum finem ponit. 2.° *Odium Dei*; la-

scivus enim solet a divinis rebus abhorrere, imo ab ipso Deo, utpote prohibente, et puniente hujusmodi peccata. 3.° *Affectus præsentis sæculi*; quo luxoriosus ita allicitur ab hujusmodi voluptatibus, ut si posset, semper eis frui vellet. 4.° *Horror futuri sæculi*; quia post mortem lascivus non amplius suis voluptatibus potest perfrui, æternis pœnis cruciandus.

344. Q. Quænam remedia contra luxuriam solent præscribi?

℟. Quatuor præcipua. 1. preces, et meditatio. *Ut scivi, quoniam aliter non possum esse continens* (inquiebat Sapiens Cap. 8. v. 21.), *nisi Deus det . . . . . . adii Dominum, et deprecatus sum illum*. Hoc faciebat S. Paulus, quando carnis stimulos sentiebat (2. Cor. 12. 7.); ita tot alii, et erant victores. Meditatio Passionis D. N. J. C. meditatio novissimorum, et illius tam celebris effati; *momentaneum, quod delectat; æternum, quod cruciat*; et similia.

345. Q. Quodnam est secundum remedium?

℟. Est mortificatio proprii corporis. *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo*, ut faciebat Apostulus (1. Cor. 9. 27.), ad superandos carnis stimulos, *in fame, in siti, in jejuniis multis*, (2. Cor. 11. 27.). Mortificare proprios sensus; præsertim tactum, et visum: *Intueri non licet, quod non licet concupiscere*, ut docebat S. Gregorius. Mortificare gulam: *Luxuria enim, ut inquit S. Bonaventura (de prof. P. 2. c. 52.) a ventris ingluvie nutritur*; etc.

346. Q. Quodnam est tertium remedium?

℟. Est frequentatio Sacramentorum Pœnitentiæ, et Eucharistiæ cum debitis dispositionibus, præsertim si quis confiteatur apud eumdem probum,

et discretum Confessarium, ejusque consilia exequatur. Præter enim gratiam sanctificantem, conferunt hæc Sacramenta etiam gratiam sacramentalem ad resistendum tentationibus, et præsertim Eucharistia, quæ libidinis ignem potenter extinguit.

347. Q. Quodnam est quartum remedium?

℟. Quartum, et ultimum remedium, sine quo parum, aut nihil alia remedia prosunt, est fuga occasionum lubricarum præsertim sexus diversi. Et ad hoc multo magis tenentur Ecclesiastici: *Prima tentamenta clericorum*, inquiebat S. Hieronymus (epist. ad Ocean.) *sunt fœminarum frequentes accessus*. Et ratio legitur in Ecclesiastico (cap. 9. 9.); quia *propter speciem mulieris multi perierunt, et concupiscentia ab ea tamquam ignis exardescit*. Et sic de aliis occasionibus.

Caput IV.

De Ira.

348. Q. Quid est Ira?

℟. Est inordinatus appetitus vindictæ, aut quasi vindictæ. *Vindicta* exercetur, cum quis irascitur in Deum, vel creaturas intellectuales. *Quasi vindicta* exercetur in belluas, vel creaturas inanimatas, ut mulio in equum, scriptor in calamum, pictor in penicillum, etc. Et hæc *quasi vindicta* per se est peccatum veniale, nisi ob aliquam rationem non evadat mortale.

349. Q. Quare dicitur: *appetitus inordinatus*?

℟. Quia si vindicta, quam quis appetit, sit ordinata, et ultio delinquentis appetatur propter debitum finem, scilicet, ut justitia servetur, culpa

puniatur, reus emendetur, et alii non delinquant, tunc hujusmodi ira, et vindicta non est peccaminosa. Imo peccari posset, si hujusmodi vindicta non fiat, ut peccarent superiores, et parentes, qui peccata præsertim gravia subditorum, et filiorum non punirent; sicut peccavit, et punitus fuit Heli, qui delinquentes filios non punivit (1. Reg. Cap. 2.).

350. Q. Quomodo noscitur hic *inordinatus appetitus*?

℟. Ex duplici capite: 1.° *ex parte objecti*, cum quis appetit suo proximo vindictam injustam, vel justo majorem, vel inferendam non a judice, sed propria auctoritate; vel appetat non jam ob bonum finem, sed ob satiandum suum malevolum animum. Et hæc ira, seu vindicta per se est peccatum grave, nisi malum, quod appetitur, sit leve, vel appetatur motibus primo primis, qui rationis usum præveniant (n. 260.).

351. Secundo: appetitus vindictæ erit inordinatus *ratione modi*, quando quis nimis ardenter irascitur. Et hæc ira, seu vindicta *secundum se*, inquit S. Thomas (2. 2. q. 158. a. 3.), est peccatum veniale. Potest tamen esse mortale *per accidens*, nempe ratione gravis scandali, convitii, blasphemiæ, imprecationum; vel si irascens suæ valetudini graviter noceat; vel adeo excandescat, ut videatur rapi in delirium, spumando, vestes lacerando, projiciendo quod in manibus occurrit, et similia.

352. Q. Quænam peccata oriuntur ex Ira?

℟. Sex enumerantur a S. Gregorio (Lib. 31. moral. cap. 17.): Indignatio, Tumor mentis, Clamor, Contumelia, Blasphemia, Rixa. *Indignatio* est, quando quis credens ab altero esse in-

digne tractatum, eum torvis oculis aspicit, et similia: Per se est veniale. Sed si crescat usque ad deliberatum odium, et gravem personæ contemptum, vel denegentur communia signa benevolentiæ, erit mortale. *Tumor mentis* est, quando quis morose excogitat, quomodo possit ulcisci. Et est mortale, vel veniale pro ratione vindictæ, quam optat.

353. *Clamor* est, quando quis iratus extollit vocem, loquens inordinate, nesciens quid dicat, etc. et per se est veniale, nisi aliud addatur, ut blasphemia, etc. *Contumelia* est, quando quis proximo præsenti malum aliquod palam objicit, intentione illum inhonorandi. Per se est mortale, nisi levitas materiæ, aut actus imperfectio excuset.

354. *Blasphemia* est, quando quis iratus in Deum, B. Virginem, Angelos, vel Sanctos verba contumeliosa effundit; et est mortale, nisi inadvertentia, aut indeliberatio excuset. *Rixa* est, quando aliqui irati se invicem percutiunt, vulnerant, ad duellum provocant, et similia. Qui incipit rixam semper peccat, graviter, vel leviter, juxta modum offensæ. Qui se defendit, si faciat cum moderamine inculpatæ tutelæ, non peccat.

355. Q. Quænam sunt Iræ remedia?

℟. 1. Meditari mansuetudinem Christi, qui *cum malediceretur*, *non maledicebat* (1. Petri 21. 23.): 2. nascentem iræ motum statim compescere, et omnem irascendi occasionem, quantum fieri potest, fugere: 3. nil in motu iræ, nisi sedatus sit, operari, ut S. Ambrosius Imperatori Theodosio præscripsit: 4. considerare tristes effectus, qui ab ira procedunt, ut rixæ,

et clades, et duella, et inimicitiæ, et etiam propriæ salutis detrimentum: 5. assiduæ, et humiles preces, etc.

Caput V.

De Gula.

356. Q. Quid est Gula?

℟. Est inordinatus appetitus, et usus cibi, vel potus. Hæc autem inordinatio evenit, quando ob solam voluptatem manducatur, et bibitur, vel manducatur et bibitur *præpropere*, idest citius solito; vel *laute*, et *studiose*, idest quærendo cibos, et potus pretiosiores, aut exquisitius paratos, quam proprium statum, necessitatem, vel convenientiam deceat; vel *ardenter*, idest nimia aviditate manducando, et bibendo; vel *nimis*, idest excedendo in cibo, vel potu. Sic S. Gregor. Lib. 31. Mor. c. 17.

357. Q. Quale peccatum est Gula?

℟. Per se est veniale. Sic Communis cum S. Thoma (2. 2. q. 148. a. 2.). In multis casibus autem est mortale. 1.° ratione ultimi finis positi in satisfaciendo suo ventri: et de his loquitur Apostolus (Philip. 3.) *Quorum Deus venter est*. Et hic congruit Prepositio 8. damnata ab Innocentio XI. *Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

358. Est mortale 2.° loco, si ob solam voluptatem usque ad vomitum quis se ingurgitet cibis, et potibus; et multo magis si postquam se ingurgitaverit, ad vomitum se excitet, ut de novo se ingurgitet: 3.° si ob commessationes, et

crapulas grave nocumentum suæ saluti, vel familiæ afferat, vel impos reddatur ad solvenda debita: 4.° si quis prævideat, ex crapula, pollutionem, vel aliud grave peccatum secuturum: 5.° si quis extra casum extremæ necessitatis carne humana vesceretur: 6.° si quis prævideat, ex potus excessu perfectam ebrietatem provenire: 7.° ob scandalum.

259. Q. Quando ebrietas reputatur *perfecta*, et peccatum mortale?

℟. Quando privat usu rationis. In hoc enim consistit malitia ebrietatis juxta S. Thomam (2. 2. q. 150. a. 2.), quod homo *sciens*, *et volens privat se usu rationis*; ita ut nesciat distinguere bonum, et malum, impos ad negotium faciendum reddatnr; non recordetur eorum, quæ in ebrietate dixit; vel fecit, nec quomodo, vel quando domum fuerit deductus; præter morem turpia loquatur; turbet domum, uxorem verberet, et similia.

360. Et hic nota, quod si quis vel ob debilitatem stomachi, vel ex vini qualitate, vel ob aliam causam ex modica vini quantitate, præter morem inebrietur, usumque rationis perdat, ex sententia S. Thomæ (ibid.) non peccat; quia non *volens*, et *sciens* usu rationis privatur. Econtra, qui illam vini quantitatem sumpsit, quæ juxta solitum apta erat ad inebriandum, etsi reapse non privetur usu rationis, vel quia somno se dedit, vel ob aliam causam, a peccato non erit immunis. B. Ligorio Lib. 5. n. 78.

361. Q. Quid dicendum de iis, qui ad bibendum se invicem provocant.

℟. Si prævideant, aliquem eorum se perfecte inebriaturum, præsertim si ex experientia com-

pertum habeant, peccant mortaliter, etiamsi, ut supra dixi, ob aliquam causam rationis usu non priventur. Et idem dicendum de iis, qui prævidentes, aliquem se esse inebriaturum, potum ei ministrant, et a fortiori, si cogant. (S. Aug. Serm. 231. de Temp.). Et quo gravius esset hoc peccatum in clericis, qui, ut plorabat idem S. Doctor (ibid.), cum *deberent hoc prohibere, ipsi cogant aliquos plus bibere, quam expedit?*

362. Q. Numquam ne licet se inebriare.

℟. Directe se inebriare ad privandum se rationis usu, numquam licet, quia hoc est intrinsece malum. Si autem potatio vini ex medicorum præscripto præbeatur ad expellendos, vel corrigendos malos humores (si aliter expelli non possint), etsi indirecte privatio rationis eveniat, hoc probabilius, ut judicat B. Ligorio (ibid. n. 76.) cum tot aliis, quos citat, et sequitur Ferraris (V. *Gula* n. 14.), liceret; ut matri licet sumere pharmacum directe tendens ad servandam suam vitam, quamvis indirecte expulsio fœtus eveniat.

363. Q. Numquam ne licet alios inebriare?

℟. Si aliquod majus malum, ad quod perpatrandum est jam alter dispositus, aliter vitari non possit, dicunt Lessius, et alii apud La Croix. (Lib. 2. n. 224.) licere, præsertim si inebriatio sit *materialis*, videlicet facta sine culpa mortali, quia ex illa quantitate vini fortissimi, vel medicati, ebrietas non prævidebatur: ut si quis alium jam præparatum ad prodendam urbem, ad incendendum domum, ad deprædandum publicum ærarium, et similia, taliter inebriaret: quia hoc casu, suadens non quærit malum, sed bonum, scilicet electionem minoris mali.

364 Q. Mala patrata in ebrietate imputantur ad peccatum ?

℟. Si quis scit, in ebrietate solere blasphemare, rixas movere, percutere uxorem, aut alia damna inferre, voluntarie se inebriando, etiamsi ad illa mala in actu non advertat, imputantur autem ad peccatum, quia sunt voluntaria in causa; et proinde teneretur compensare damna in ebrietate aliis illata. Ita Gobat Tom. 1. Tr. 5. Cap. 19. sess. 1., et alii passim.

365. Q. Quænam peccata proveniunt a Gula ?

℟. Quinque enumerantur a S. Gregorio (Lib. 31. moral. Cap. 17.). 1.° *Stupiditas mentis*, quæ si hominem ineptum reddat ad implendas suas graves obligationes, est mortalis. 2.° *Inepta lætitia*, quæ si in turpes cantilenas, gestus, et similia erumpat, est mortalis. 3.° *Multiloquium*, quod si graviter lædat charitatem, vel justitiam, obloquendo de proximo, etc. est mortale. 4.° *Scurrilitas*, quæ si sit in materia indifferenti, in jocis, facetiis, etc. est venialis. 5.° *Immunditia*, quæ si causet vomitum, cum scandalo, vel pollutionem, est pariter mortalis.

366. Q. Quænam sunt Gulæ remedia ?

℟. Hæc præcipue assignantur. 1. Petere a Deo virtutem temperantiæ. 2. Meditari damna notabilia, quæ tam corpori, quam animæ affert gula; et quam sit verum, quod dicit Cardinalis Bona (in manud. ad coll. Can. 4. n. 1.), quod *Gula multo plures occidit, quam Gladius*. 3. Vitare consortium eorum, qui crapulis, et ebrietatibus sunt addicti. 4. Justam sibi, et potius parcam sibi mensuram præfigere, tam in cibo, quam in potu juxta id, quod in divino Officio quotidie recitamus : *Carnis terat superbiam potus, cibique parcitas* (Ad Hymn. Primæ.).

Caput VI.

De Invidia.

367. Q. Quid est Invidia ?

℟. Est inordinata tristitia de bono proximi in quantum apprehenditur diminutivum propriæ gloriæ; vel gaudium de proximi malo, quatenus apprhenditur utile sibi, quia invidus, nec superiorem, nec æqualem sibi eum vellet. Ut qui tristatur, quod alter Beneficium, hæreditatem, aliudve bonum temporale, vel spirituale obtinuerit, vel tristatur, quod alter excellens sit in aliqua arte, professione, officio, in concionando, et similia. Et ideo tristatur, quia videt, illum doctiorem, sanctiorem, ditiorem se ab aliis reputari. Et ob hanc rationem dicitur *invidus*, quia sine tristitia bona alterius videre non potest.

368. Q. Quale peccatum est Invidia ?

℟. Ex genere suo est peccatum lethale : quia opponitur Charitati, cujus proprium est gaudere de bono proximi, et Invidia tristatur. Et quod est contra Charitatem juxta S. Thomam (2. 2. q. 36. a. 3.), est ex genere suo peccatum lethale. Dixi : *ex genere* suo ; quia potest evadere veniale, vel ex parvitate materiæ, cum tristatur quis de bono parvi momenti ; vel defectu sufficientis advertentiæ, et consensus.

369. Q. Tristari de bono proximi semper ne est peccatum ?

℟. Si tristitia proveniat ex invidia, quia ei displicet videre proximum sibi æqualem, vel superiorem ; tunc semper est peccatum. Si autem quis tristetur, quia prævidet aliquod injustum damnum vel sibi, vel aliis obventurum, tunc

non est peccatum. Ut si quis doleret, Titium exaltatum esse ad illam dignitatem, officium, etc. non quia habet illud bonum, sed quia ob ejus imperitiam, pravitatem, etc. prævidet, Titium abusurum esse dignitate, officio, etc. in damnum sui, vel aliorum.

370. Nec est peccatum, si quis tristetur non tam, quod proximus suus habeat illud bonum, ex. gr. sanctitatem, talentum, habilitatem, aliudve bonum spirituale, vel temporale; sed tristatur, quod illud bonum, quod sibi credit necessarium, aut conveniens, ipse non habet. Et hoc non solum non est peccatum, sed si agatur de acquirendo bono spirituali, et honesto, quod in aliis conspicit, esset hoc laudabile, et vocatur *Æmulatio*: dummodo nollet videre proximum suum de illo bono spoliatum.

371. Q. Quænam peccata ab Invidia enascuntur?

℟. Quinque enumerat S. Gregorius (Lib. 31. Mor. cap. 17.). 1. *Odium proximi*, quo quis malum vult, cui bonum invidet; et si malum, quod optat, sit grave, etiam peccatum erit grave. 2. *Detractio*, denigrando famam ejus, cui invidet; et in materia gravi pariter erit peccatum grave. 3. *Sussuratio*, publicando vitia secreta ejus, cui invidet, ad dissolvendam concordiam inter amicos, discordiamque disseminando inter eos; quod est peccatum gravius detractione. 4. *Exultatio* in adversis; et 5. *afflictio* in prospesis ejus, cui invidet; quod in materia gravi erit pariter peccatum grave.

372. Q. Quænam remedia invidis præscribuntur?

℟. Hæc sunt præcipua: 1. attente meditari,

nullum esse vitium, quod nos similiores reddat diabolo, cujus *invidia mors intravit in orbem terrarum* (Sap. 2. 24.) : 2. considerare, invidiam soli invido nocere in anima ob peccatum, et in corpore propter afflictionem, quam experitur, quin invidus bonis invisi ditetur, etiamsi contingat, ut ipsis proximus spolietur.

373. Juvat 3. considerare, omnes nos esse fratres in Christo, et propterea omnium nostrum debet esse cor unum, et anima una, ut erant primi Christiani; ita ut gaudere deberemus de alterius bonis, et de adversis tristari. 4. denique contemnere honorem humanum, et nihili reputare, quod alii excellentiores, et superiores nobis sint.

Caput VII.

De Acedia.

374. Q. Quid est Acedia?

℟. Acedia, ut hic sumitur, est fastidium de rebus spiritualibus: ita ut acediosus, vel negligit in iis se exercere, vel cum tædio illas facit; vel illas contemnit; vel ei displicent, et de illis tristatur, non quia illæ res spirituales sint bona divina, sed quia pro illis obtinendis, vel conservandis, dura, et difficilia sunt peragenda, et delectabilia evitanda.

375. Q. Quale peccatum est Acedia?

℟. Si res spirituales, quas acediosus fastidit, sint res præceptæ sub gravi, ut auditio Missæ in die festo, jejunium in Quadragesima, et similia; vel non adimplet, vel implet. Si non implet, est peccatum grave: quia Acedia ad transgressionem præcepti gravis inducit. Si autem implet, sed cum

tædio, tunc est peccatum leve; quia ad præcepti trensgressionem non inducit. Communis.

376 Q. Quid dicendum, si res spiritualis præcepta sit sub levi?

℟. Si res spirituales, quas acediosus fastidit, sint res præceptæ sub levi, ut quædam spiritualia exercitia, quæ in Seminario, vel alia Communitate peraguntur, tunc si illa fastidit, et negligit tamquam sibi onerosa, et incommoda, peccatum erit leve. Si autem fastidiat tamquam inutilia, superflua, vel quia præscripta a Superiore, a Regula, etc. tunc peccatum erit grave, quia illa pia exercitia contemnit. Communis.

377. Q. Quid dicendum de eo, qui fastidit bona divina?

℟. Si bona divina sint de illis, quæ sunt nobis participata, ut creatio, redemptio, gratia, beatitudo, Sacramenta, etc. qui de his tristatur, vel ob difficultatem, et laborem in consequenda divina gratia, beatitudine, etc. vel quia *sicut equus, et mulus, quibus non est intellectus*, mallet frui voluptatibus, et delectabilibus hujus sæculi, quam divina amicitia, et gloria æterna, si hujusmodi tristitia sit voluntaira, semper erit peccatum grave: quia hæc omnia Charitati, quam Deo, et nobismetipsis debemus, repugnant. Communis.

378. Q. Quænam peccata ab Acedia oriuntur?

℟. S. Gregorius (Lib. 31. Mor. Cap. 17.) sex enumerat. 1. *Malitia*, qua quis odit bona spiritualia, Sacramenta, Religionem, etc. et vellet, ea non esse. Et hæc est semper mortalis, nisi indeliberatio excuset. 2. *Desperatio*, qua quis beatitudinis assecutionem sibi impossibilem existimans, de ea obtinenda diffidit; et pariter


est peccatum grave, imo gravissimum. 3. *Rancor*, quo quis indignatur contra eos, qui ad divina, et spiritualia hortantur, aut inducunt. Et est mortalis, si acediosus recuset obedire in iis, quæ sunt necessaria ad salutem; venialis in aliis materiis.

379. Q. Quænam alia peccata proveniunt ab Acedia?

℟. 4. *Pusillanimitas*, qua quis se retrahit a mediis æternæ salutis, quæ sunt de mero consilio, ob eorum difficultatem. 5. *Torpor*, quo quis omittit, vel negligenter facit, quæ sunt de præcepto. Et erit peccatum grave, vel leve, juxta qualitatem præcepti, vel negligentiæ. 6. *Evagatio*, qua quis pro tædio rerum spiritualium voluntarie se distrahit ad alia. Et hæc est mortalis, vel venialis, juxta qualitatem rei, quam facit, vel rei, circa quam evagatur.

380. Q. Quænam remedia acediosis præscribuntur?

℟. Hæc præcipue præscribuntur: 1. considerare, quod si filii hujus sæculi tot labores insumunt ad corruptibilem coronam adipiscendam; quanto magis laborandum est pro adipiscenda æterna gloria? 2. considerare illam maledictionem, quam Spiritus Sanctus fulminat in eos, qui opus Dei negligenter faciunt, vel omittunt: 3. considerare, quod qua hora non putamus, Filius hominis veniet. Quam ergo mercedem acediosi possunt sperare?



LIBER II.

De Præceptis Decalogi, et Ecclesiæ.

Postquam in I. Libro egimus de Legibus in genere, agemus in hoc II. de Legibus, quæ in Præceptis Decalogi, et Ecclesiæ continentur, videndo, quid Deus, et Ecclesia in unoquoque suorum præceptorum velint a nobis.

De I. Præcepto Decalogi.

1. Q. Quænam sunt verba primi præcepti, et quid in iis præcipitur?

℟. Hæc sunt verba: *Non habebis Deos alienos coram me*: Quibus verbis patet, ea præcipi, quæ ad divinum cultum pertinent; eaque vetari, quæ eidem cultui adversantur. Cum enim in citatis verbis cultus Deorum alienorum vetetur, sequitur, cultum veri Dei præcipi in iis. Cumque Deus, ut docet S. Augustinus (cap. 2. Enchir.), Virtutibus Theologalibus, idest *Fide*, *Spe*, *et Charitate* præcipue *colatur*, atque etiam *Religione*, de his omnibus in explanatione hujus primi Præcepti disseremus.

TRACTATUS I.

De Fide, Spe, et Charitate.

2. Q. Quare hæ virtutes dicuntur *Theologales?*

℟. Quia respiciunt Deum, et circa Deum immediate versantur.

ARTICULUS I.

De Fide Theologica.

CAPUT I.

De Fidei Natura, Objecto, et Divisione.

3. Q. Quid est Fides?

℟. Fides Divina, est virtus Theologica divinitus infusa, quæ nos inclinat ad firmiter assentiendum veritatibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis. Dicitur: *divinitus infusa*: quia non naturæ viribus comparatur, sed a Deo infunditur. Dicitur: *firmiter assentiendum*, etiamsi divina Mysteria nostram superent intelligentiam: quia Deus, qui has veritates revelavit, est infallibilis. Dicitur denique: ab *Ecclesia propositis*: quia ad Ecclesiam pertinet definire, quæ sint veritates a Deo revelatæ, et a nobis credendæ.

4. Q. Quodnam est Objectum Fidei?

℟. Est id, quod credendum proponitur, et motivum per quod creditur. Et duplex est: materiale, et formale. Objectum *materiale*, seu id, quod credendum proponitur, primario est ipse Deus, et secundario cætera revelata. Objectum *formale*, seu motivum, per quod creditur, pariter est ipse Deus, qui cum sit veritas infallibilis, nec decipere, nec decipi potest.

5. Q. Sunt ne alia motiva, et rationes, quæ reddunt credibilia mysteria Fidei?

℟. Maxime. Et 1. sunt Prophetiæ adamussim verificatæ. 2. Miracula omnes naturæ vires superantia, quæ ad Fidem confirmandam Deus ope-

ratus est. 3. Admirabilis modus, quo Christiana Fides fuit propagata. 4. Doctrinæ sanctitas, quam Fides nos edocet. 5. Doctorum consensus. 6. Fortitudo, qua pro hac Fide tuenda Martyres vitam dederunt.

6. Q. Quotuplex est Fides?

℟. Multiplex. Et primo dividitur in *habitualem*, et *actualem*. *Habitualis* est illa, quæ inclinat intellectum ad firmiter credendum omnibus a Deo utpote prima veritate revelatis. *Actualis* est assensus, qui firmiter præstatur mysteriis a Deo revelatis. Secundo, alia dicitur *explicita*, qua Articulus specialis creditur, ex. gr. *Trinitas Dei*. Alia *implicita*, qua non jam aliquis specialis articulus, sed quidquid Deus revelavit, et sancta tenet Ecclesia, creditur. Tertio, alia dicitur *formata*, seu *viva*, quæ conjuncta est cum charitate, et operibus bonis. Alia *informis*, seu *mortua*, quæ sejuncta est a charitate, et bonis operibus, de qua loquitur S. Jacobus (2. 20.) *Fides sine operibus mortua est.*

7. Q. Qui credit *Deum*, vel credit *Deo*, habet ne vivam, et veram *Fidem*?

℟. Minime. Qui enim credit *Deum*, credit, Deum existere. Qui credit *Deo*, credit, vera esse quæ Deus revelavit. Sed hanc Fidem juxta eumdem Apostolum (Jacobi 2. 19.) habent etiam dœmones, qui etiam *contremiscunt*. Ille ergo habet veram fidem, qui credit *in Deum* idest credendo, Deum esse, et vera esse quæ Deus revelavit, illum amet, illi serviat, ejusque servet præcepta.

CAPUT II.

De Fidei Necessitate.

PARAGRAPHUS I.

De necessisate credendi, et sciendi.

8. Q. Mysteria Fidei sunt ne necessario credenda, et scienda?

℟. Maxime. Et quamvis non omnia *explicite*, omnia tamen sunt *implicite* credenda, ac scienda. (Vid. n. 6.); et *qui non crediderit, condemnabitur*, ut ait Christus Marci (16. 16.); et *nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*, ut legitur in Symbolo, quod S. Athanasio adscribitur.

9. Q. Quænam sunt *explicite* credenda, et scienda?

℟. Alia credenda, et scienda sunt necessitate medii, alia necessitate præcepti. Necessarium *necessitate medii* hoc loco, dicitur illud, quod si non creditur ab adultis ratione præditis, salus abtineri nequit. Necessarium autem *necessitate præcepti*, dicitur illud, quod si absque culpa *explicite* non creditur, vel ignoratur, salus potest obstineri.

10. Q. Quæ ergo sunt *explicite* credenda, et scienda *necessitate medii*?

℟. Hæc tria. 1. Deum existere, juxta omnes: 2. Deum esse bonorum remuneratorem, et malorum vindicem, ex Prop. 22. damnata ab Innoc. XI. 3. juxta probabiliorem post sufficientem Evangelii promulgationem, Mysteria SS. Trinitatis, et Incarnationis: ita ut qui hæc tria my-

steria, etiamsi inculpabiliter ignoret, invalide absolvetur, ex prop. 64. damnata ab eodem Innoc. XI.

11. Q. Quid dicendum de adultis ratione expertibus?

℟. Hi sunt fatui, muti, ac surdi, qui nec per signa instrui possunt, homines rudes, qui adeo debilis sunt ingenii, ut quantumcumque nitantur, prædicta mysteria percipere nequeant omnino, vel nonnisi crasso modo, hi omnes excusantur ratione impotentiæ; et comparantur infantibus, qui etiam absque cognitione horum mysteriorum, salutem æternam consequi possunt.

12. Q. Et *de necessitate præcepti* quæ sunt et credenda, et scienda?

℟. *De necessitate præcepti divini* quivis fidelis, nisi impotentia, aut invincibilis ignorantia excuset, sub mortali credere, et scire debet saltem crasso modo, et quoad substantiam sequentia: 1. Symbolum Apostolorum lingua vulgari, ut saltem quoad substantiam, quæ in ejus articulis continentur, intelligat (Ex Can. *Ante viginti* 55. etc.): 2. Orationem Dominicam: 3. Præcepta Decalogi; 4. Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, ac alia Sacramenta, quæ suscipere intendit.

13. Q. Quare dictum est: *de necessitate præcepti divini?*

℟. Quia ex præcepto Ecclesiastico non solum credere, et scire, sed et memoriter retinere debemus tum prædicta, tum salutationem Angelicam, Præcepta Ecclesiæ, ac modum formandæ Crucis. Et qui sua culpa supradicta ignorat, ex Constit. *Et si minime* Bened. XIV. *non est absolvendus*,

nisi pro casu, quo de sua negligentia doleat, et serio ea addiscere promittat.

14. Q. Qui tenentur prædicta mysteria, et cætera Fidei rudimenta fideles edocere?

℟. Tenentur parentes, ac tutores, quoad suos filios, et pupillos; domini, quoad suos servos, et ancillas; Parochi, quoad oves sibi commissas. Et qui per se, vel per alios ea edocere negligat, graviter peccat, juxta communem.

Paragraphus II.

De Necessitate Fidei actus eliciendi.

15. Q. Est ne obligatio Fidei actus eliciendi?

℟. Maxime quidem, et non solum ex præcepto Ecclesiastico, sed etiam ex præcepto Divino, ut constat ex Prop. 1. damnata ab Alexandro VII. et ex Prop. 16. damnata ab Innoc. XI.

16. Q. Qui ad actus Fidei eliciendos tenentur?

℟. Tenentur non solum Christiani adulti rationis usum habentes, sed etiam pueri inter fideles educati, dum usum rationis assecuti, mysteria Fidei, tamquam a Deo revelata, perfecte apprehenderint. Et tenentur etiam Infideles adulti, cum Catholica Fides, ut vera est, eis sufficienter proposita, cum scilicet rationes, miracula, aliaque credibilitatis signa ii audiunt, ac vident.

17. Q. Quandonam urget hoc præceptum Fidei actus eliciendi?

℟. Dissentiunt inter se Doctores. Sed ex Prop. 17. damnata ab Innoc. XI. constat, non sufficere actus Fidei semel tantum elicere. Et cum *justus ex Fide vivat* (Hebr. 10. 38.); sequitur, pluries in vita hunc actum esse eliciendum, ut ve-

rificetur, christianum illum ex Fide vivere.

18. Q. An dentur casus, in quibus urgeat præceptum Fidei actus eliciendi?

℟. Maxime, et præcipue in quolibet probabili periculo mortis. Sicut enim justus ex Fide debet vivere, multo magis ex Fide debet mori. Urget pariter, cum gravis tentatio contra Fidem, vel alias virtutes venit, quæ tentatio nequeat superari, nisi actu Fidei. Item quando exterior Fidei professio est facienda.

19. Q. Quomodo hi Fidei actus eliciuntur?

℟. Eliciuntur non solum quando Actus Fidei, cum actu Spei, et Charitatis, cum suis formalibus motivis fiunt, et cum dicuntur verba illa, *Credo*, et similia; sed etiam Missam devote auscultando, Crucifixum adorando, signum Crucis efficiendo, Sacramenta recipiendo, Christi nativitatem, resurrectionem, ascensionem, etc. devote celebrando, quamvis hæc omnia non fiant reflexe ex motivo Fidei. Hi enim actus non fierent, nisi mysteriis crederetur.

Paragraphus III.

De Necessitate Fidem externe profitendi.

20. Q. Quid intelligitur pro externa Fidei professione?

℟. Intelligitur manifestatio Fidei internæ signo aliquo exteriori, ut sunt verba, nutus, gestus, aliæque actiones, quæ ex speciali institutione, aut communi acceptione Fidem exprimant.

21. Q. Adest ne præceptum Fidem externe confitendi?

℟. Utique. Et aliud est Divinum, aliud Eccle-

siasticum. Divinum colligitur ex Epist. ad Rom. Cap. X. v. 10. ubi Paulus ait: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; et duplici in casu*, juxta S. Thomam (2. 2. q. 3. art. 2.) obligat, idest, *quando honor Deo debitus, et utilitas proximo impendenda subtrahuntur.*

22. Q. Quando *honor Deo debitus subtraheretur?*

℟. Quando quis a publica potestate, seu judice de Fide interrogatus, tacet. 2. Quando interrogatus a persona privata, si taceat, silentium in Fidei detrimentum vergat. Hisce ergo casibus, Fides aperta fronte profitenda est. 3. Quando Fides catholica ab infidelibus, vel hæreticis despicitur, blasphematur, improbatur. Hisce casibus, catholicus tenetur, quoad fieri potest, injuriam Deo, et Religioni Catholicæ irrogatam propulsare; nisi prudenter judicet, suam oppositionem magis obfuturam, quam profuturam.

23. Q. Quando ex omissa Fidei confessione *salus proximi periclitaretur?*

℟. 1. Quando proximo adest periculum a Fide deficiendi, vel in ea vacillandi, nisi Fides externe profiteatur. 2. Quando ex publica Fidei confessione infidelium, aut hæreticorum conversio prudenter speretur. Hisce ergo, et in similibus circumstantiis, in quibus Dei honor, et proximi salus periclitatur, præceptum Fidei obligat ad externam confessionem, et etiam cum periculo vitæ.

24. Q. Licet saltem tempore persecutionis Fidei confessionem fuga declinare?

℟. Nisi ullum Fidei detrimentum, vel scandalum in aliis oriatur, licet. Qui enim fugit, Fidem prodit. Non enim fugeret, si Fidem non re-

tineret. Hoc docuit Christus (Matt. 10. 23.) : *Cum persequentur* vos *in civitate ista*, *fugite in aliam*. Et hoc fecerunt Christus ipse, Apostoli, et non pauci Martyres, et Confessores, qui persecutorum sævitiem fuga quandoque declinarunt.

25. Q. Quare dixisti : *Nisi ullum Fidei detrimentum*, *vel scandalum in aliis oriatur?*

℟. Quia si ex fuga, ex. gr. Parochi, oves vacillarent in Fide, aut aliud damnum experirentur, non licet fugere, nisi Parochi occultatio ad tempus foret utilior populo, ob subsidia necessaria, quæ per se, vel per alium sperat ei providere : quia hoc in casu liceret ad tempus se occultare.

26. Q. Et præceptum Ecclesiasticum quos obligat ad externam Fidei professionem?

℟. 1. Baptizandos, vel horum defectu, patrinos (ex Can. *Prima igitur*). 2. Hæreticos ad veritatem Fidei Catholicæ sponte redeuntes (ex Can. *Ad abolendum* 9. de Hæretic.). 3. Schismaticos venientes ad unitatem Ecclesiæ (ex Constit. Greg. XIII. 1623. etc.). 4. Apostatas ad Fidem Catholicam redeuntes. 5. Initiandos Sacris Ordinibus (ex Can. *Quamquam* 6. Dist. 23.).

27. Q. Sunt ne alii, qui ad hanc externam Fidei professionem teneantur?

℟. Maxime. Et sunt Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Dignitates, ac Canonici Ecclesiarum Cathedralium, Promoti ad Beneficia Curata (ex Trid. Sess. 24. Cap. 22. de Ref. et Sess. 25.). Prælati regulares, ubi viget consuetudo (ex Constit. Pii IV. *Injunctum*). Doctores, Magistri, Professores cujuscumque Facultatis, ac Candidati promoti ad aliquem gradum in universitatibus (ex Const. ejusd. Pii IV. *Sacrosancta*).

Paragraphus IV.

De Necessitate nec exterius quidem Fidem negandi.

28. Q. Potest ne aliquando Fides solum exterius negari ?

℟. Nequaquam. Fidem enim negare, etsi solum exterius, ob mendacium, quod comitteretur, est intrinsece malum; Et idcirco nullo unquam casu nec explicite, nec implicite licet veram Fidem negare, quamvis interne veram Fidem quis teneat, sicut nullo casu licet unquam mentiri. Ita Catholici omnes contra Priscillianistas, etc.

29. Q. Quando Fides negatur *explicite?*

℟. Quando quis apertis verbis sive vere, sive ficte (quando tamen fictio non advertitur), dicit se non profiteri Christianam Religionem, se non esse Catholicum, se esse Turcam, Calvinistam, etc. se non credere hunc, vel illum Fidei articulum, similesque locutiones.

30. Q. Quando Fides negatur *implicite?*

℟. Quando quis occultaret veram Fidem, dum juxta superius dicta a ℟. 21. ad 24., adesset præceptum Fidem externe confitendi. 2. Genua flectendo, vel thus Idolis præbendo. 3. Infidelium, ac Hæreticorum ritibus, cæremoniis, sacrisque Functionibus communicando. 4. Incedendo indutus vestibus distinctivis falsæ Religionis (*Religionis* dixi, non *Nationis*), juxta probabiliorem, et expressam Benedicti XIV. in Syn. Diœc. Lib. 13. cap. 20. n. 17. vel sibi imponendo nomen Turcicum, ex eodem Bened. XIV. (ibid. n. 14.). 5. Si in spretum Catholicæ Religionis carnes diebus vetitis ederet, præsertim in Anglia, ubi ta-

lis comestio haberetur pro signo Reformatorum Religionis, et similia.

31. Q. Sunt ne aliæ occasiones, in quibus Fides *implicite* negaretur?

℟. Maxime; ut si Infidelium, et Hæreticorum Ecclesias, conciones, convivia frequentaret cum periculo communicandi in impietate. Dixi: *cum periculo communicandi in impietate*: quia si adest aliqua honesta causa, ex. gr. adnotandi, confutandique eorum errores, vel aliquoties ex curiositate hoc fieret, non esset contra Fidem.

32. Q. Quid agendum, si quis aliquid contra Fidem audiret?

℟. Si quis audiret, aut a persona fide digna resciret, aliquem protulisse aliquam blasphemiam hæreticalem (vide n. 287.), vel propositionem contra Fidem, negantem scilicet quempiam ex Articulis Fidei ab Ecclesia definitis, etsi unicum tantum, ex. gr. negaret existentiam Dei, Paradisi, inferni, immortalitatem animæ humanæ, vel negaret esse peccatum id quod præcipitur, vel prohibetur in unoquoque ex Præceptis Decalogi, et similia, utpote hæreticus (ex Cap. *Sicut* 2. dist. 15. etc.), denunciandus esset Ordinariis Locorum, vel Inquisitoribus, ubi existant, etiamsi hæreticus emendatus, vel mortuus esset. Communis.

33. Q. Peccat ne qui hanc denunciationem omitteret?

℟. Qui post habitam scientiam de obligatione denuntiationis, et cessante legitimo impedimento; si infra mensem, ut in Edicto Universalis Inquisitionis die 10. mar. 1677. vel infra tempus brevius, juxta præscriptum in unaquaque Provincia, vel Diœcesi non denunciat, peccat mortaliter, et

incurrit ipso facto Excommunicationem Papæ reservatam, ut ex Constit. Gregorii IX. *Excommunicamus*, etc. (ap. Ferraris V. *Denunciatio quoad delicta* n. 38.), a qua excommunicatione nec a Confessario privilegiato posset absolvi, nisi prius denunciet. Ferraris ibid. n. 41.

CAPUT III.

De vitio opposito Fidei, seu de Infidelitate.

34. Q. Quod est vitium oppositum virtuti Fidei?

℟. Est Infidelitas, quæ juxta Cuniliati, est *defectio a vera Fide.* Et triplex est, negativa, positiva, et privativa. *Negativa*, est carentia Fidei in eo, cui Fides vel nullo modo, vel non sufficienter annunciata est. Et hæc *negativa* Infidelitas non est peccatum (ex Prop. 68. a S. Pio V. damnata.). Et infideles hujusmodi damnantur juxta S. Thomam (2. 2. q. 10. art. 1.) propter peccatum originale, et peccata actualia, non propter infidelitatem.

35. Q. Quid est Infidelitas *privativa?*

℟. Est carentia Fidei in eo, qui aut Fidei mysteria non vult audire, aut sufficienter sibi propositis assensum præstare recusat, cum debeat, quamvis non dissentiat, nec contrarium errorem directe propugnet. Et hæc *privativa* Infidelitas est peccatum lethale, quia est culpabilis omissio mediorum, quæ ad salutem sunt necessaria.

36. Q. Quid est Infidelitas *positiva?*

℟. Infidelitas *positiva*, seu *contraria* est carentia Fidei in eo, qui Fidei sibi sufficienter propo-

sitæ repugnat, vel negando aliquid ad Fidem pertinens, vel errorem Fidei contrarium defendendo (S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 1.). Hæc Infidelitas est gravissimum peccatum ob injuriam, quæ irrogat Divinæ veritati, et quia judicium suum judicio Ecclesiæ vellet hujusmodi homo anteferre.

37. Q. Datur alia distinctio Infidelitatis?

℟. Maxime. Infidelitas insuper dividitur in *Paganismum*, *Judaismum*, et *Hæresim*, ad quam reducitur *Apostasia*, et *Schisma*.

Paragraphus I.

De Paganismo, et Judaismo.

38. Q. Quid est Paganismus?

℟. Est Infidelitas, qua totaliter rejicitur Fides nondum suscepta, uti faciunt Pagani, seu Gentiles, qui licet Deum agnoscant, non verum, sed falsum adorant; Et hujus infidelitatis participes sunt *Atheus*, qui nullum Deum agnoscit; *Deista*, qui negat Deum esse trinum; *Politheista*, qui negat, Deum esse unum; *Mahometanus*, qui doctrinam in Alcorano contentam sequitur.

39. Q. Quid est Judaismus?

℟. Judaismus, quem sequuntur Judæi, est Infidelitas eorum, qui licet Vetus Testamentum admittant, Novum autem rejiciunt, et Messiam adhuc venturum expectant.

40. Q. Licet ne communicare cum iis, qui sequuntur Paganismum, et Judaismum?

℟. Duplex distinguitur communicatio. Prima est *Religiosa*, qua quis communicat in ritibus, sacrificiis, orationibus, aliisque ad Religionem per-

tinentibus. Et hæc communicatio tam jure naturali, quam divino est vetita: *Quæ* enim *pars fideli*, ut ait Apostolus (2. ad Cor. 6. 15.), *cum infideli?* (Vide supra n. 30.).

41. Q. Et communicatio *politica*, aut *civilis* permittitur?

℟. Hæc communicatio, quæ ad commercium, et umanam pertinet societatem, secluso scandalo, et periculo subversionis, non est vetita: idem enim Apostolus (1. ad Cor. 10. 26.) ait: *Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate.*

42. Q. Licet ne cum his habitare?

℟. Jure Ecclesiastico hoc prohibitum est; sicut est prohibitum, data opera, ingredi cum Judæis, in balneum; adhibere aliquem ex eis in medicum, vel ab eis medicinas sumere extra casum veræ, et urgentis necessitatis (ex Can. *Nullus* 13. caus. 23. q. 1.); servire iisdem in eadem domo, imo etiam extra domum, si foret assidue, vel servire, ut obstetrices, vel nutrices infantium (ex Cap. *ad hoc* 8. de Judæis); data opera illos ad convivium invitare, vel ipsorum interesse conviviis (ex Can. *Omnis* 14. caus. 28. q. 1.).

Paragraphus II.

De Hæresi.

43. Q. Quid est Hæresis?

℟. Est error *cum pertinacia* contra aliquam Fidei veritatem in eo, qui Fidem recepit. Hæc autem pertinacia in eo consistit, quod etiamsi aliquis sciat, et advertat, illam veritatem ut Fide certam ab Ecclesia Catholica teneri, ipse autem

deliberate non vult credere, aut tenet oppositum. Unde qui ex ignorantia, etsi vincibili, et crassa non credit, vel oppositum tenet, vel paratus est judicium suum Ecclesiæ submittere, non est hæreticus, quia non est pertinax.

44. Q. Et qui dubitat de aliqua Fidei veritate, foret pertinax?

℟. Si dubitat *positive*, an scilicet veritas ab Ecclesia proposita sit vera, vel falsa, pertinax foret, et proinde Hæreticus: quia judicaret, Ecclesiam in rebus Fidei posse errare. Ita communiter ex Cap. 1. de Hæretic. ubi dicitur: *Dubius in Fide infidelis est.* Qui autem dubitat *negative* tantum, idest suspendit suum judicium super illa veritate, dummodo ideo non suspendat, quia judicat, non liquere de illa veritate, tunc nec pertinax, nec Hæreticus foret.

45. Q. Quotuplex est Hæresis?

℟. Duplex. Alia est interna, alia externa. *Interna* est illa, quæ nullo signo manifestatur, sed tantum mente concipitur. *Externa* est illa, quæ insuper aliquo signo exteriori, idest verbis, aut alio modo, etiam nullo præsente, manifestatur. Utraque tamen est peccatum lethale. Sed ob Hæresim mere *internam* non incurruntur pœnæ contra Hæreticos inflictæ, de quibus infra n. 47.

46. Q. Datur ne alia Hæresis divisio?

℟. Maxime. Alia enim dicitur Formalis, alia Materialis. *Formalis* est, quando error contra fidem, qui exterius manifestatur, in intellectu etiam tenetur. Hæresis autem *Materialis* est vel quando error, qui externe profertur, in intellectu non tenetur; vel quando ignoratur, errorem illum esse contra Fidem. Licet autem ob hanc Hæresim *Materialem* non incurrantur pœnæ, de

quibus num. sequenti, qui autem talem errorem contra Fidem profert, est ab audientibus denunciandus. (Vide supra num. 32. et 33.).

47. Q. Quæ sunt pœnæ contra Hæresim, Hæreticosque inflictæ?

℟. Omissis pœnis corporalibus, de quibus nihil ad nos, pœnæ spirituales contra Hæresim, sed *formalem*, et insimul *externam* (n. 45. et 46.), sunt sequentes. 1.ª est *Excommunicatio* latæ sententiæ Summo Pontifici reservata (Tit. de Hæretic.). 2.ª Est *Irregularitas* ex Cap. *Nos* 51. et alibi. 3.ª *Privatio* spiritualis jurisdictionis, et etiam Ordinis, quo ad usum licitum Ordinis ejusdem (Cap. *Si quis* 1. q. 7. et alibi).

48. Q. Sunt ne aliæ pœnæ?

℟. Maxime; et hæ sunt: 4.ª *privatio* Beneficiorum, et Officiorum rite acquisitorum, et *inhabilitas* ad alia obtinenda, quam inhabilitatem incurrunt etiam filii, et nepotes patris hæretici, atque filii matris hæreticæ (Cap. *Commissi*, et *Quicumque* de Hæret. in 6. et alibi). 5.ª Est *privatio* sepulturæ Ecclesiasticæ (ex Cap. *Quicumque* de Hæret. in 6. et alibi). Et qui in loco sacro notorios Hæreticos sepulturæ tradunt, in Excommunicationem incidunt. Et pœnæ supradictæ incurruntur etiam a fautoribus, receptatoribus, defensoribus hæreticorum (Vide Ferraris V. *Hæreticus* a num. 32. ad 58.).

PARAGRAPHUS III.

De Apostasia, et Schismate.

49. Q. Quid est Apostasia?

℟. Est recessus hominis baptizati a tota Fide. Ita S. Thom. 2. 2. q. 12. art. 1. Et in hoc differt ab Hæresi, quod Hæresis opponitur Fidei, etiam ex parte, et Apostasia ex toto; et proinde vocari potest Hæresis totalis, et per consequens subjecta iisdem pœnis, quibus subjecta est Hæresis. Vide n. 47. et 48. (Cap. *Contra Christianos* 13. de Hæret. in 6.).

50. Q. Datur alia species Apostasiæ?

℟. Utique. Alia enim dicitur Apostasia a *Religione*, alia *ab Ordine*. Apostasia a *Religione*, est temeraria recessio a quolibet Ordinis religiosi instituto, cum animo non revertendi. Et si Religiosus dimittat etiam habitum, incurrit in Excommunicationem latæ sententiæ (Cap. *Ut periculosa* Tit. *Ne Clerici, vel Monachi.*).

51. Q. Quænam est Apostasia *ab Ordine*?

℟. Apostasia *ab Ordine*, est temeraria recessio ab Ordine Sacro. Et contra hanc Apostasiam inflicta est pœna Excommunicationis ferendæ sententiæ. At si hujusmodi Clericus matrimonium contraxerit, Irregularitatem etiam, et Excommunicationem latæ sententiæ incurret. (Cap. *Nuper*, et Cap. *A nobis* Lib. 1. Tit. 21. et Arg. c. 1. Apostatis.).

52. Q. Quid est Schisma?

℟. Est subtractio ab obedientia Papæ debita, tamquam Christi Vicario, et Capiti Ecclesiæ. Et si cum hujusmodi Schismate juncta sit aliqua hæresis, seu negatio alicujus Articuli, tunc vo-

cabitur Schisma *mixtum*; et incurruntur ææedem pœnæ, quæ contra Hæreticos sunt inflictæ, ut supra n. 47. et 48. Si autem Hæresim conjunctam non habeat, incurritur 1.° *Excommunicatio major* (ex Cap. *Nulli fas.* dist. 19.): 2.° *Privatio* jurisdictionis Ecclesiasticæ (Cap. *Novatianus* 6. Caus. 7. q. 1.): 3.° *Inhabilitas* ad Beneficia Ecclesiastica (C. *Quia diligentia* 5. de Electione), præter alias pœnas corporales.

Paragraphus IV.

De Libris prohibitis.

53. Q. Quid dicendum de Libris contra Fidem?
℟. Lege Divina, et naturali ob periculum perversionis; et licet hoc periculum absit, Lege Ecclesiastica prohibitum est, et sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, etsi non reservatæ (nisi liber sit alicujus hæretici, ut num. sequenti) inflictæ à Pio IV. in Constit. *Dominici gregis*, relata in fine Conc. Trid.; prohibitum est absque licentia Sedis Apostolicæ, non solum legere, sed etiam retinere scienter hujusmodi Libros contra Fidem, idest, qui continent aliquam hæresim, aut suspecti sint falsi dogmatis.

54. Q. Quid dicendum de Libris Hæreticorum?
℟. Libri Hæreticorum sive contineant aliquam hæresim, sive tractent de Riligione, ex. gr. de rebus pertinentibus ad Sacram Scripturam, ad Cultum, ad Theologiam, Metaphysicam, et similia; quamvis Religionem non impugnent, imo defendant, prohibiti sunt sub duplici Excommunicatione latæ sententiæ, una lata, ut supra a Pio IV. altera Papæ reservata in Bulla Cœnæ.

Sub qua Excommunicatione comprehenduntur non solum legentes, et retinentes, sed etiam imprimentes, et *quomodolibet* eos. *defendentes*.

55. Q. Quare dixisti: *sive tractent de Religione?*

℟. Quia si Libri Hæreticorum non contineant aliquam hæresim, nec suspecti sint falsi dogmatis, nec tractent de Religione, sed de aliis materiis, puta de Physica, Medicina, Historia, et similibus, non improbatur eorum lectio, dummodo non sint aliunde prohibiti. Libri vero Hæresiarcharum, utpote hæresis auctorum, etiamsi non contineant hæresim, nec tractent de Religione, prohibentur sub pœna Excommunicationis latæ a Pio IV. ut supra n. 53. Regula 2. Indicis.

56. Q. Præter supradictos, sunt ne alii Libri prohibiti?

℟. Sunt multi alii, qui continentur in Indice Librorum prohibitorum edito in fine Concilii Tridentini a Pio IV. in præfata Constit. *Dominici gregis*, et renovato ab Alexandro VII. in Const. *Speculatores*, et successive ab aliis Pontificibus; et postremo anno 1819. etiam a Pio VII. qui libri vel quia sunt contra aliorum famam, vel tractant de obscænis, vel ob non sanam doctrinam, quam continent in genere morum, licet sint Catholici Auctoris, sub pœna peccati mortalis vetantur. In Regula VII. Indicis excipiuntur Libri antiqui ab Ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam: qui tamen, ut ibi dicitur, nullo modo sunt a pueris perlegendi.

57. Q. Sunt ne alii Libri prohibiti?

℟. Maxime; et hi sunt Libri Geomantiæ, Hydromantiæ, Æromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, sive in quibus

continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ; sicut et libri Astrologiæ judiciariæ, librique omnes, qui tractant de futuris contingentibus, quæ ab humana voluntate prorsus pendent, ut videre est in Regula IX. Permittuntur autem naturales observationes circa agriculturam, navigationem, etc.

58. Q. Manuscripta de his materiis tractantia sunt ne pariter prohibita?

℟. Maxime. Et id constat ex prædicta Constit. Pii IV. et ex stylo Romanæ Curiæ. Et juxta declarationem Clementis VIII. in quocumque idiomate, et lingua hujusmodi libri, et manuscripta existant, semper prohibita intelliguntur. Et qui legunt, aut solum retinent absque licentia, quæ a solo Summo Pontifice, aut a S. Congregatione S. Officii concedi solet, hujusmodi libros, aut manuscripta, ex Bulla Gregorii XV., *Apostolatus* 30. Decembris 1612. et renovata ab Urbano VIII. 2. Apr. 1631. denunciandi sunt sub pœnis relatis supra n. 32. et 33.

59. Q. Hujusmodi Libri sunt ne comburendi?

℟. Si illorum Librorum lectio, et retentio interdicta sit sub pœna Excommunicationis (Vide supra n. 54. et 55.), non possunt comburi, sed in virtute sanctæ Obedientiæ, ut jubet Julius III. confirmante Pio IV. in Const. *Pro munere*, idest sub pœna peccati mortalis, debent infra duos menses tradi locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus, ubi adsunt, si absque gravi incommodo id fieri possit. Si autem eorum lectio interdicta sit, sed absque censura, et sub pœna tantum peccati mortalis (n. 56. et 57.); tunc, ut advertit Cardin. Albitius (de Incost. in fide c. 30. n. 95.), possunt comburi, quia de his non loquitur citata Constitutio.

60. Q. Possunt ne hujusmodi Libri donari, aut vendi?

℟. Sentiunt aliqui, posse hujusmodi libros vendi, vel donari habentibus facultatem prohibitos libros legendi, vel saltem Bibliothecis monasteriorum, in quibus tales libri solent asservari. Sed quia Julius III. jubet tradi Ordinariis, etc. ut supra, non videtur posse fieri, nisi in casu, quo absque gravi incommodo Ordinariis non possint consignari.

ARTICULUS II.

De Spe Theologica.

Caput I.

De Spei natura, objecto, et divisione.

61. Q. Quid est Spes Theologica?

℟. Est virtus divinitus infusa, qua æternam beatitudinem, et media necessaria ad eam assequendam certa cum fiducia, et Dei auxilio expectamus.

62. Q. Quod est objectum Spei Theologicæ?

℟. Duplex: materiale, et formale. Objectum *materiale* dividitur in primarium, et secundarium. Objectum *materiale primarium*, sive quod sperare debemus, est æterna beatitudo, quæ est ipse Deus fruendus. Objectum *materiale secundarium*, sunt gratiæ divinæ, et nostra bona opera Dei auxilio facienda. Objectum vero *formale*, sive motivum, propter quod sperare debemus, est divina Misericordia, Omnipotentia, et Fidelitas in promissis.

63. Q. Quotuplex est Spes Theologica?

℟. Duplex: actualis, et habitualis. *Actualis*, est actus, quo certa cum fiducia æternam beatitudinem expectamus. *Habitualis*, est inclinatio permanens voluntatis ad fruendum Deo.

64. Q. In peccatoribus datur ne vera Spes?

℟. Concilium Tridentinum (Sess. 6. Cap. 6.) loquens de peccatoribus, ait, quod *ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore*. Ergo vera Spes dari potest etiam in peccatoribus. Hæc autem Spes vocatur *informis* ad differentiam Spei, quæ conjuncta cum charitate reperitur in justis, quæ vocatur *formata*.

65. Q. In beatis, damnatis, et animabus Purgatorii, datur ne vera Spes?

℟. In beatis, et damnatis minime, quia beati non expectant, sed possident æternam beatitudinem. Damnati vero sunt certi æternam beatitudinem numquam esse consecuturos. Animæ vero in Purgatorio degentes habent veram Spem, quia cum certissima fiducia æternam expectant beatitudinem.

Paragraphus I.

De necessitate Spei actus eliciendi.

66. Q. Est ne obligatio Spei actus eliciendi?

℟. Maxime. Et quod supra dictum est (n. 15. 16. 17. et 18.) de necessitate actus Fidei eliciendi, dicitur de necessitate actus Spei. Et proinde qui tenentur, et quando tenentur ad actus Fidei, tenentur etiam ad actus Spei. Recolantur ergo quæ ibi sunt dicta. Et sicut elicitur actus

Fidei non solum, quando dicitur *Credo*, etc. et auscultando Missam, etc. sic elicitur actus Spei non solum, quando dicitur *Spero*, et similia, sed etiam quando devote dicitur Oratio Dominica, in qua omnia continentur, quæ a Deo sperari ac expostulari queunt, et aliæ preces.

Paragraphus II.

De vitiis Spei oppositis.

67. Q. Quæ sunt vitia, et peccata Spei opposita?

℟. Sunt duo *Desperatio*, et *Præsumptio*. *Desperatio*, est diffidentia assequendi beatitudinem, et obtinendi a Deo gratias ad id necessarias; ita ut ob multitudinem suorum peccatorum, cordisque duritiem, credat aliquis, vel Deum non misereri, nec parcere; vel ob difficultatem observandi Legem Dei, et Ecclesiæ, ac liberandi se cum Dei auxilio a peccatis, credat quis æternam beatitudinem consequi non posse.

68. Q. Quid est *Præsumptio*?

℟. Est temeraria Fiducia obtinendi æternam, beatitudinem, et gratias necessarias ad illam assequendam. Ut qui sperat (sunt verba S. Thomæ 2. 2. q. 21. art. 1.) *veniam* peccatorum *sine pœnitentia*, *vel gloriam sine meritis*: qui peccat eo fine, quia Deus bonus est, et miseretur: qui multiplicat peccata, quia Deus tam quinque, quam decem peccata condonat: qui vult perseverare in peccato usque ad mortem, sperans tunc facile misericordiam consecuturum, et similia.

69. Q. Quæ peccata sunt Desperatio, et Præsumptio?

℟. Tam *Desperatio*, quam *Præsumptio* sunt peccata gravissima contra Spiritum Sanctum. Et si cum desperatione, vel præsumptione adjuncta esset aliqua hæresis; puta si quis desperaret veniam peccatorum, quia Deus non potest, vel non vult misereri, etiamsi ipse vere sit pœnitens; si quis præsumeret æternam consequi beatitudinem suis solis viribus, et meritis more Pelagianorum, vel absque bonis operibus, ut somniarunt Lutherani, his in casibus præter peccatum contra Spem, etiam contra Fidem peccaretur.

ARTICULUS III.

De Charitate Theologica.

Caput I.

De Charitatis Natura, et Objecto.

70. Q. Quid est Charitas?

℟. Est virtus Theologica divinitus infusa, qua Deus propter se, et proximus propter Deum diligitur.

71. Q. Quod est objectum Charitatis?

℟. Duplex: Materiale, et formale. Objectum *materiale*, dividitur in primarium, et secundarium. Objectum *materiale primarium*, est Deus: *secundarium*, est Proximus, juxta illud Matthæi Cap. 23. v. 37. et 38.: *Diliges Dominum Deum tuum .... Hoc est maximum, et primum mandatum. Secundum simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Objectum vero *formale*, sive motivum, propter quod diligere de-

bemus, quoad dilectionem Dei, est ipsius bonitas: quoad dilectionem proximi, est quia sic ipse Deus præcipit. Primo agetur de Charitate erga Deum, et hinc erga Proximum.

Caput II.

De Præcepto Charitatis erga Deum.

72. Q. Adest ne præceptum diligendi Deum?

℟. Maxime, et sub gravi. Sic enim legitur Deuter. (6. 5.) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua*, etc. Quod præceptum innovans Christus, appellavit *maximum*, et *primum*, ut supra dictum est. Et *si quis non diligit* fratrem, *manet in morte*, ut legitur in 1. Joan. (3. 14.), multo magis manet in morte qui non diligit Deum.

Paragraphus I.

De modo diligendi Deum.

73. Q. Quomodo cognoscitur, an aliquis Deum diligat?

℟. Duplex est amor, qui juxta S. Bernardum (Serm. 10. in Cant.) Deo debetur, affectivus, et effectivus. Amor *affectivus* elicitur non solum, quando actus Charitatis una cum suis formalibus motivis fiunt, et quando cum interno cordis affectu dicuntur illa verba: *Diligo te, Domine*, et similia; sed etiam, quando desideramus frui Deo, ut ultimo nostro fine, sicut faciebat Apostolus, qui cupiebat dissolvi, et esse cum Christo (Philip. 1. 23.); ac etiam, quando omnia facimus

in honorem, et gloriam Dei, ut advertit idem Apostolus (1. Cor. 19. 32.).

74. Q. Adsunt ne alia amoris signa?

℟. Quando meditamur divina attributa, gaudendo de bonitate, excellentia, aliisque Dei perfectionibus; quando meditamur mysteria Incarnationis, Passionis, et Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, gaudendo de gloria, de qua etiam, ut homo, ad dexteram Dei Patris fruitur, etc. pariter sunt actus amoris.

75. Q. Adest aliud signum amoris affectivi?

℟. Amore *affectivo* diligitur etiam Deus, cupiendo, et gaudendo, quod etiam ab aliis, imo ab omnibus cognoscatur, ei serviatur, et ametur, et pro posse ejus gloriam propagando: pro viribus peccata etiam aliorum impediendo, utpote quæ sint offensa Dei: mœrendo de tot offensionibus, quæ Deo summo bono factæ sunt, et fiunt a seipso, et ab aliis, mœrendo, Jesu Christi Ecclesiam ab Hæreticis, Schismaticisque dilaniatam esse, et conculcatam; et similia.

76. Q. Quomodo diligitur Deus amore *effectivo?*

℟. Quando amor, quem Deo debemus, impellit nos ad observanda Dei mandata. *Qui habet mandata, et servat ea (* sic inquit Christus Joan. 14. 21. *), ille est, qui me diligit. Qui diligit me* (legitur pariter Joan. 23. 24.) *sermonem meum servabit . . . qui non diligit me sermones meos non servat.* Hinc apposite S. Gregorius: *Probatio dilectionis exhibitio est operis.*

77. Q. Quomodo diligitur Deus *ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus?*

℟. Dupliciter: appretiative, et sensitive. *Appretiative* diligitur Deus, quando antefertur omnibus etiamsi carissimis, ita ut parati simus ma-

la omnia perferre, et omnia bona, ac etiam amicos, parentes, vitamque ipsam potius amittere, quam excidere ab amicitia Dei, ipsumque graviter offendere. Et hæc *appretiativa* dilectio sub gravi præcipitur verbis illis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, etc.*

78. Q. Quare dixisti: *graviter offendere?*

℟. Quia solum graves offensiones, et culpæ huic *appretiativæ dilectioni* apponuntur. Quod si ob Dei amorem non solum graves, sed etiam minimas Dei offensiones evitemus; ac in omnibus majorem Dei gloriam, et honorem quærimus, tunc magis crescet hæc *appretiativa* dilectio, et perfectius præceptum illud adimpletur. Et si insuper toto animi fervore Deum, ut supra, diligere enitamur, *intensa*, ut ajunt Theologi, erit nostra dilectio, et nostram in Deum adhæsionem magis ostendemus.

79. Q. Quomodo diligitur Deus *sensitive?*

℟. Cum quis actum amoris in Deum eliciendo, experitur intra se dulcedinem quamdam, et quamdam emotionem, ut erumpat etiam in suspiria, in lacrymas, et etiam in planctum. Hæc *sensitiva*, seu *sensibilis* dilectio, licite non sit contemnenda, utpote donum Dei, et multum possit animæ prodesse, si bene ea utatur; cum tamen non essentialis, sed accidentalis sit Charitati, non præcipitur; et si conjuncta non sit cum dilectione *appretiativa*, parum, aut nihil prodesset.

Paragraphus II.

De tempore, quo potissimum urget Charitatis præceptum.

80. Q. Quandonam urget Charitatis præceptum?

℟. Virtualiter urget in omnibus actionibus, quæ juxta Apostolum, ut supra num. 73. 74. et 75. in honorem, et Dei gloriam sunt faciendæ. Item quando Dei offensam impedire nos possumus. Item, quando ejus gloriam, et honorem promovendi nobis datur occasio. Item, quando aliquid contra Dei Legem nobis faciendum proponitur. In omnibus hisce, et similibus occasionibus, Charitas Dei urget nos ad evitandum malum, et bonum faciendum.

81. Q. Et *actualiter*, quando urget hoc præceptum?

℟. In assignando hoc tempore dissentiunt inter se Auctores. Ecclesia damnavit sententiam illorum Auctorum, qui non recte dicebant, *hominem non teneri amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis* (Alex. VIII. 24. Aug. 1690.), item *non teneri rigorose ne singulis quidem quinquenniis* (Prop. 6. damn. ab Innoc. XI.); *et solum teneri, quando debet quis justificari, et non habet aliam viam; qua justificari possit* (Prop. 7.).

82. Q. Quæ regula ergo est tenenda?

℟. Bene morati Christiani singulis diebus, aut saltem diebus festivis, etiam ob lucrandas sacras Indulgentias, una cum actibus Fidei, et Spei, Charitatis actum eliciunt, imo sæpius in diem convertuntur in suum Creatorem, cum Orationibus jaculatoriis, et aliis affectibus, aliisque piis

exercitiis, quibus charitas in eorum cordibus excitatur, etiam ipsis non advertentibus.

83. Q. Sed sub præcepto, quando urget?

℟. Constat ex Ecclesiastico (13. 18.), et ex Deuter. (6. 6.), quod diligendus sit *omni vita*, *et sedens*, *et ambulans*, *et dormiens*, *atque consurgens*: ergo nemo cordatæ mentis dicere poterit, huic præcepto satisfieri per eum, qui Charitatis actum singulis quinquenniis, et etiam singulis annis elicuerit, sed requiri frequentiam longe majorem. Et proinde multi cordati Theologi non excusant a peccato mortali eum, qui saltem singulis solemnioribus Festis, in quibus præcipua nostræ Religionis mysteria recoluntur, hos actus non elicuerit.

84. Q. Adsunt ne aliqua tempora particularia, quibus hoc præceptum urgeat sub gravi?

℟. Utique. Et 1.° in principio vitæ moralis, idest, quando homo adeptus est sufficientem cognitionem Dei infinite boni. 2.° Quando adest periculum labendi in odium Dei, vel in aliud grave peccatum, nisi Charitatis actus eliciatur. 3.° Quando quis conscius de peccato gravi tenetur elicere actum contritionis, ex. gr. ut administret, vel recipiat aliquod Sacramentum, ob cujus administrationem, et receptionem necessario non requiritur Sacramentalis absolutio, vel ob alia motiva: quia in contritione includi debet Charitatis actus. 4. In quocumque periculo, vel articulo mortis: quia si in vita, quanto magis in morte hujusmodi actus sunt eliciendi?

Paragraphus III.

De Peccatis Charitati erga Deum oppositis.

85. Q. Quænam peccata sunt opposita huic virtuti?

℟. Licet omnia peccata *indirecta* dici possint Charitati opposita; mortalia, quia destruunt Charitatis habitum, et venialia, quia ejus fervorem minuunt: directe tamen, et *formaliter* solum abominatio, et odium erga Deum huic virtuti opponitur, si forte ad tantum pravitatis possit aliquis homo devenire.

Caput III.

De Charitate erga Proximum.

86. Q. Adest ne præceptum diligendi proximum?

℟. Adest, et sub gravi. Christus enim (Matth. 23. v. 37. et 38.) dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ... diliges proximum sicut teipsum.* Et iterum Joan. 15. 12. ait: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Nec sufficit diligere proximum per solos actus externos, sed diligendus est amore interno, ac formali, ut constat ex Prop. 10. et 11. damnatis ab Innoc. XI. Quod autem hæc proximi dilectio præcipiatur sub gravi, patet ex Epistola 1. Joannis (3. 14.): *Qui non diligit, manet in morte.*

87. Q. Quis est iste Proximus, quem nos diligere debemus?

℟. Primo sumus nosmetipsi. Quod deducitur ex citatis verbis Redemptoris. Si enim proximum de-

ligere debemus sicut nosmetipsos, patet, quod etiam nosmetipsos amare debemus. Deinceps Proximus noster sunt omnes creaturæ rationales, quæ vel jam fruuntur gloria æterna, vel capaces sunt ea fruendi, uti sunt Angeli, Beati, Animæ purgantes; et quicumque homo viator, fidelis, vel infidelis, justus, vel peccator, amicus, vel inimicus, etc. quia omnes isti Dei gratiæ respondentes, capaces sunt æternæ beatitudinis.

88. Q. Animæ damnatæ veniunt ne sub nomine *Proximi?*

℟. Minime: quia incapaces sunt æternæ beatitudinis; et in inferno nulla est redemptio.

89. Q. Quam ob causam est proximus diligendus?

℟. Non diligendus est, quia consanguineus, amicus, affabilis, benefactor, et per alia naturalia motiva: hoc enim etiam Ethnici faciunt. Est ergo diligendus propter amorem Dei; quia Deus sic jubet; quia omnes sumus membra ejusdem capitis, qui est Christus; quia omnes *sumus filii Dei*, ut ait Apostolus (Rom. 8. v. 16. et 17.) *cohæredes autem Christi.*

90. Q. Etiam inimici diligendi sunt sub gravi?

℟. Maxime. Ita enim jubet supremus Legislator Christus: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, orate pro persequentibus, et calumniantibus vos* (Luc. 6. 28.). Et Cap. VI. Matth. v. 13. subdit idem Dominus: *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

91. Q. Angeli, Beati, et Animæ purgantes, quomodo possunt diligi?

℟. Angeli, et Beati comprehensores diliguntur gaudendo de gloria, qua fruuntur. Et Animæ purgantes diliguntur orando pro eis, et sacrificia, eleemosynas, jejunia, indulgentias, aliaque suffragia pro eis applicando.

Caput IV.

De modo diligendi proximum.

92. Q. Ad quid obligat Charitas erga proximum?

℟. Obligat primo ad dilectionem internam, ita ut optemus, et patamus a Deo pro nostro proximo illa vera bona, et præsertim spiritualia, quæ optamus, et petimus pro nobis, sicut obligat ad non imprecanda mala; quæ pro nobis nolumus. Idcirco, generaliter loquendo, unusquisque non invidere, sed gaudere debet de veris felicitatibus, cæterisque bonis fratris sui; et non gaudere, sed tristari de infortuniis, aliisque ejus malis, juxta illud Apostoli: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* (Rom. 12. 15.).

93. Q. Quare dictum est: *generaliter loquendo?*

℟. Quia juxta S. Thomam (in 3. dist. 30. a. 1. ad 4.) *potest aliquis, salva charitate, optare malum temporale alicui, et gaudere, si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum Ecclesiæ, vel Communitatis, vel alterius, quem plus tenetur diligere*; vel quia propter illud malum temporale speratur posse impediri malum culpæ. Sicut non videtur esse contra charitatem, si quis tristetur de bono alicujus, non sicut ejus bonum, sed quia est eo indignus, et abutitur ad nocen-

dum aliis; et sic de similibus. Cave tamen, ne sub specie boni quæras vindictam de illa persona.

94. Q. Obligat ad aliud hæc interna dilectio?

℟. Maxime. Tenemur etiam vi hujus *internæ* dilectionis orare pro justis, ut in gratia perseverent; pro peccatoribus, ut convertantur; pro infidelibus, et hæreticis, ut ad lumen veræ Fidei deveniant; pro Regibus, et Principibus, sicut præcipit Apostolus (1. Timot. 2. 1.), ut pacem servent inter se, et pro bono tam spirituali, quam temporali suorum subditorum invigilent, ut omnes æternam consequi possimus beatitudinem, juxta illud Apostoli S. Jacobi (5. 16.): *Orate pro invicem, ut salvemini.*

95. Q. Ad quid aliud obligat hæc Charitas erga proximum?

℟. Obligat etiam ad dilectionem externam, idest ad faciendum proximo illud verum bonum, quod pro nobis volumus; et ad non faciendum malum, quod pro nobis nolumus. Et idcirco tenetur unusquisque non solum non damnificare, et non nocere suo proximo, sed illum adjuvare, et eleemosynis, aliisque efficacibus modis illius miseriis pro viribus succurrere; aliisque misericordiæ corporalis operibus illum sublevare.

96. Q. Et quoad bona spiritualia, ad quid obligat hæc *externa* dilectio?

℟. Tenetur quisque juxta proprium statum, et conditionem bono exemplo, suasionibus, consiliis, instructionibus, concionibus, hortationibus, recta Sacramentorum, et præsertim Pœnitentiæ administratione efficaciter cooperari ad impedienda peccata, ad avertendum ab æterna damnatione suum proximum, et ad inflammandum illum in observatione divinorum mandatorum, et in

exercitio virtutum, et præsertim in deficientia aliorum, qui possint, et velint hæc charitatis opera exercere.

97. Q. Sed ad hæc charitatis officia tenentur ne soli Pastores animarum?

℟. Minime, sed omnes, ut supra dictum est; cum hac differentia, quod Pastores animarum ad hoc tenentur, non solum ex charitate, sed etiam ex justitia; et insuper etiam cum jactura sui corporis debent suis ovibus subvenire, et non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate. Sed cæteri hominum solum in extrema necessitate cum periculo propriæ vitæ tenentur proximo subvenire. Et idcirco, si quis esset certo moriturus absque baptismo, et in peccato mortali, si tu adesses, vel possis adesse in statu gratiæ, etiam cum jactura tuæ vitæ teneris baptizare, et absolvere, nisi alius adesset, qui faceret.

98. Q. Si omnibus subveniri non posset, quis esset præferendus?

℟. Qui reperitur in extrema necessitate se damnandi, is esset omnibus præferendus; et ex his qui est magis indigens, et etiam cum jactura propriæ vitæ, ut dictum est: quia salus animæ proximi est longe pretiosior, quam proprium corpus. In aliis autem indigentiis, cæteris paribus, is erit præferendus, qui magis indiget.

99. Q. Et si indigentiæ sint pares, quis erit præferendus?

℟. Ordinarie loquendo, primo præferenda est propria persona, aut saltem potest præferri. Deinde consanguinei, et affines, et inter hos qui est propinquior, ut sunt uxor, filii, etc. (in extrema autem necessitate genitores, et præsertim pater, sunt omnibus præferendi. Ita S. Thomas).

Deinde præferendi sunt meliores, amici, qui sunt ejusdem patriæ, et nationis, etc. Dictum est; *ordinarie loquendo*, quia in gravi necessitate Princeps supremus, et Communitates præferendi essent privatis.

100. Q. Sunt ne alia observanda circa hanc *externam* dilectionem?

℟. Multa sunt scitu digna, et dictu necessaria circa eleemosynam, et fraternam correctionem; quæ sicut in paucis quæsitis comprehendi non possunt, in duobus sequentibus Paragraphis de his agetur.

Paragraphus I.

De Eleemosyna.

101. Q. Quid est Eleemosyna?

℟. Est opus misericordiæ, quo alicui indigenti subvenitur ex miseratione propter amorem Dei. Et sub nomine *Eleemosynæ* comprehenduntur omnia corporalis misericordiæ opera, ut cibare esurientes, potare sitientes, vestire nudos, suscipere peregrinos, visitare infirmos, visitare captivos, sepellire mortuos.

102. Q. Quare dicitur; *propter amorem Dei*?

℟. Quia, si proximo indigenti subvenitur, non propter Dei amorem, sed aliquo fine humano, puta quia amicus, affabilis, benefactor, etc. non esset virtus supernaturalis Theologica. Et si proximo subveniatur ob aliquem pravum finem, ut ad captandam vanam gloriam, ad inducendum illum ad aliquod peccatum, non solum non meritorium, sed peccaminosum, et punitione dignum foret hoc opus.

103. Q. Adest ne præceptum faciendi eleemosynam?

℟. Maxime, et duplex est præceptum: *naturale*, expressum illis verbis: *Quod tibi vis fieri, fac et alteri*: et *Divinum*, expressum illis Christi verbis: *Quod superest, date eleemosynam* (Luc. 11. 41.). Et cum ob denegatam eleemosynam proferatur a Christo finalis sententia: *Discedite a me maledicti in ignem æternum: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, etc. (Matt. 25. 42.), sequitur, hoc præceptum, generaliter loquendo, obligare sub gravi.

104. Q. Quare dictum est: *generaliter loquendo?*

℟. Quia qui non succurrit huic, vel alii pauperi laboranti necessitate communi (n. 108.), ordinarie nonnisi venialiter peccat. Ita S. Antoninus (P. 2. Tit. 1. Cap. 24. §. ultimo), et alii apud B. Ligorio (Lib. 2. Tract. 2. n. 32.): quia hujusmodi pauperes plerumque exagerant necessitatem, et alios inveniunt, qui illis succurrant. Imo si id faciat rationabili ex causa, puta, ut pauper ille, qui viribus est valens, labori se det; et otium fugiat, vel quia magistratus justis motivis id vetuit, vel quia opportuniori tempore, vel egentioribus vellet dare, vel in alios pios usus invertere, nullum erit peccatum. Layman Lib. 2. Tr. 3. Cap. 6.

105. Q. Quare additum est: *ordinarie?*

℟. Quia, si ille, etiamsi communi necessitate laborans, vere indigeat, et ab aliis ipsi non succurratur, vel in periculum incidat, ob denegatam eleemosynam, labendi in necessitatem gravem, tunc sub gravi teneris succurrere. Aliter, quomodo diligeres illum pauperem sicut teipsum? Imo, si quis hujusmodi pauperibus numquam vellet succurrere, in malo versaretur statu, ut ait

Layman loco citato; et Sanchez (Lib. 1. Cap. 5. dub. 8. n. 58.), cum aliis, dicit, peccare mortaliter.

106. Q. Si quod superest, juxta citatum Textum n. 103.), erogandum sit in eleemosynam, quomodo posset licite ad altiorem statum quis ascendere, vel alias facere impensas?

℟. Præceptum faciendi eleemosynam, cum sit relativum, supponit, necessitates pauperum, quibus subveniri debeat. Si ergo hujusmodi necessitates non adsint, vel non sciantur, cum desit finis eleemosynæ, quod superest, potest in alios honestos usus impendi, et cum eo ad altiorem statum (exceptis Ecclesiasticis) quis posset ascendere, dummodo indigentium necessitates non negligantur. Vide tamen, ne ob cupiditatem ditescendi, et in altiorem statum ascendendi, cor tuum erga pauperes obdurescat.

107. Q. Cur dictum est: *exceptis Ecclesiasticis?*

℟. Quia Ecclesiastici de redditibus suorum Beneficiorum non possunt licite ditescere, sed quod superest honestæ eorum sustentationi, unicuique juxta proprium statum, et conditionem, sub gravi erogandum est in pauperum necessitates sublevandas, vel defectu pauperum, in alios pios usus, et præsertim in fabricam Ecclesiæ. Communis.

108. Q. Quæ pauperum necessitas est sublevanda?

℟. Triplex necessitatis gradus a Theologis distinguitur, *extrema*, *gravis*, et *communis*. Necessitas *extrema*, est illorum, quibus, nisi succurratur, vel incurrunt in periculum moriendi fame, etc, vel incidendi in gravem morbum diu-

turnum, aut incurabilem. Necessitas *gravis*, est illorum, quibus, nisi succurratur, magna cum difficultate vitam transigerent, atque e statu juste acquisito deciderent. Necessitas *communis*, est illorum, qui solent semper, vel quasi semper mendicare.

109. Q. Qui tenentur proximum sublevare in his necessitatibus constitutum?

℟. Qui habent superflua, et non necessaria. Christus enim præcipiendo, ait: *Quod superest date eleemosynam* (Luc. 11. 41.). Sed sicuti triplex necessitatis gradus distinguitur, sic tripliciter distinguuntur superflua, et non necessaria, quæ in proximum sublevandum sunt impendenda: superflua *vitæ*, superflua *statui*, et superflua *decentiæ status*.

110. Q. Quomodo dignoscuntur hæc superflua?

℟. Superflua *vitæ*, dicuntur illa, quæ alicui supersunt post sustentatam vitam suam, et aliorum, qui sub ejus sunt cura. Et hic nota, sub nomine *vitæ sustentandæ* intelligi, non solum victum, sed etiam vestitum, habitationem, famulatum necessarium, industriam, negotia, dotationem, et similia: dummodo hæc omnia vere necessaria sint ad vivendum. Superflua *statui*, dicuntur illa, quæ alicui supersunt post impensas factas, vel faciendas ad conservandum se, et suos in statu juste acquisito; ad onera familiæ sustinenda, ad filios educandos, ad filias dotandas, ad honestas, et consuetas donationes, et recreationes faciendas, ad hospitalitatem exercendam, ad mercedes necessariis famulis solvendas; et juxta mentem S. Thomæ. (2. 2. q. 32. a 4. ad 3.), ad præcavenda, *quæ probabiliter, et ut in pluribus occurrunt*, uti sunt infirmitates, sterilitates, bella, et alia hujusmodi.

112. Q. Quæ sunt superflua *decentiæ statûs?*

℟. Sunt illa, quæ supersunt post conservatum suum statum juste acquisitum, sed cum illa decentia, splendore, et magnificentiâ, quæ tamen respondeat regulis Evangelii, circa habitationem, mobilia, victum, vestes, famulos, equos, et similia, unusquisque juxta proprium statum, et conditionem.

113. Q. Ex quibus superfluis subveniendum est necessitatibus proximi?

℟. Juxta communiorem, et probabiliorem illi, qui versatur in necessitate *extrema* (V. n. 108.) subveniendum est sub gravi, non solum ex superfluis ad decentiam, et splendorem status (n. 112.), sed ex quocumque superfluo statui (n. 111.), imo etiam ex necessariis aliquo modo ad integritatem status: quia vita proximi, juxta ordinem Charitatis, præferenda est status integritati, et decentiæ (Vide Cunil. Tr. 4. Cap. 8. n. 6.).

114. Q. Et illi, qui versatur in necessitate *gravi*, ex quibus superfluis est subveniendum?

℟. Ex superfluis statui, et etiam ex necessariis ad aliqualem status decentiam, et juxta probabiliorem sub gravi, præsertim nisi alius adsit, qui succurrat. Ratio est, quia cum Scriptura frequenter damnet homines ob neglectam eleemosynam, ut accidit Epuloni (Luc. Cap. 16.), et aliis; non ob extremam tantum necessitatem neglectam, quæ rara est, damnari credendum est, sed ob gravem etiam, in qua versabatur Lazarus (Vide B. Ligorio Lib. 2. Tr. 2. 31. Resp. 2.).

115. Q. Et in *communi* pauperum necessitate, quid statuendum est?

℟. Si hæc necessitas sit vera, et non ficta, est sub gravi sublevanda ex superfluis; non solum

ad decentiam status, sed etiam ex superfluis statui ipsi (vide tamen quæ dicta sunt n. 104.). Cum enim Christus ad inferos damnet eos, qui esurientes non paverunt, sitientes non potaverunt, nudos non vestierunt, videtur Christus indicare necessitatem communem: nam qui famem, sitim, nuditatem patiuntur, ordinarie sunt pauperes communes. Et revera, quomodo quis proximum sicut seipsum diligeret, si ne suis quidem superfluis illius egestatem vellet sublevare?

116. Q. Quomodo dignoscitur, quæ sint superflua statui?

℟. Etiamsi regula certa dari non possit, sapientumque arbitrio sit relinquenda; nihilominus ab omnibus censetur ut statui superfluum, et proinde in proximi necessitate erogandum quidquid impenditur in sumptibus voluptuosis, in superfluis vanitatibus, et pompis, quibus in sacro Baptismate fuit renunciatum; quidquid consumitur in immodicis commessationibus, et ludis; et multo magis quidquid projicitur in ebrietates, lascivias, aliaque vitia fovenda.

117. Q. Præter eleemosynam, possunt aliis mediis pauperes sublevari?

℟. Maxime. Si pauper sit validus, et robustus potest sublevari, opera ei procurando, quibus lucretur. Si sit debilis, claudus, cæcus, etc. locum ei procurando, ubi sustentetur. Si hic, et nunc sit ille pauper, sed spem habeat percipiendi ex agris, industria, etc. aliqua bona, potest sublevari mutuo illi dando, vel credita pecunia vendendo, vel commodando, similibusque modis.

118. Q. Filii familias possunt ne facere eleemosynas?

℟. Filii familias, sicut et uxores, famuli, an-

cillæ, regulariter loquendo, non possunt facere eleemosynas, nisi tenues, in quibus parentum, maritorum, dominorumque voluntas præsumi possit: quia supradicti non sunt domini rerum; et eleemosyna fieri debet de propria substantia, ut legitur Tobiæ Cap. IV. v. 7.

119. Q. Quare dictum est: *regulariter loquendo?*

℟. Quia, si filii familias habeant bona castrensia, vel quasi castrensia; si uxores præter bona dotalia, habeant bona Parapheroalia, seu extradotalia (Vide infra a n. 612. ad 618.); si famuli, et ancillæ habeant de proprio vel salarium, vel aliud; aut si omnibus prædictis aliquid sit donatum, vel pro usu proprio concessum, cum dominium super his habeant, possunt de iis magno cum merito eleemosynas facere.

Paragraphus II.

De Correctione Fraterna.

120. Q. Quid est *correctio Fraterna?*

℟. Ex S. Thoma (2. 2. q. 33. art. 3.): *Correctio fraterna, est actus charitatis, quæ specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis, per simplicem admonitionem*; ad distinctionem correctionis coactivæ, quæ est *actus justitiæ vindicativæ, habens pro fine punitionem delicti.* Et hæc fraterna Correctio exercetur, quando debita charitate corripitur proximus de peccato commisso, ne amplius admittat, vel impeditur peccatum, quod vult committere.

121. Q. Adest ne præceptum Correctionis fraternæ?

℟. Triplex adest præceptum Naturale, Divi-

num, et Ecclesiasticum : *Naturale*, quia unusquisque tenetur ob amorem, quem proximo debet, ejus malum impedire. *Divinum*, expressum illis Christi verbis : *Si peccaverit in te* (idest, te sciente, ut explicat S. Augustinus Serm. 32. alias 15. c. 10.) *frater tuus .... corripe eum* (Matthæi 18. 15.). Et præceptum *Ecclesiasticum*, expressum in Cap. 12. de Hæreticis, ubi Innoc. III. sic ait : *Fratrem peccantem occulte corripere, unusquisque tenetur efficere secundum regulam Evangelicam.*

122. Q. Hoc correctionis præceptum, cadit sub gravi, vel sub levi?

℟. Si peccatum emendandum est grave, et emendatio speretur (vide n. 125.), correctio cadit sub gravi. Sub levi vero, si peccatum emendandum sit leve. Excipe Superiores, præsertim Regulares, qui ad correctionem etiam venialium, et etiam defectuum sub gravi tenentur, ne abusus inducantur, et monastica disciplina relaxetur.

123. Q. Qui tenentur ad hanc correctionem?

℟. Omnes fideles. *Unicuique* enim *mandavit* Deus *de proximo suo*, ut legitur Eccli: 17. 12. Hoc eruitur etiam ex verbis Innocentii III. supra n. 121. citatis. Idem asserit S. Thomas (2. 2. q. 33. a. 3.) : *Correptio .... pertinet ad quemlibet charitatem habentem, sive sit subditus, sive Prælatus.* Ex quibus verbis deducitur, etiam inferiores corrigere debere, debita tamen cum humilitate, suos Superiores. Et hæc correctio non *semel* tantum fieri debet, ut inquit idem Angelicus (Q. 3. de Verit. n. 2. ad 24.), *sed bis, aut ter, et etiam pluries, quamdiu probabiliter spes remanet, quando secretius corripi possit.*

124. Q. Quomodo facienda est correctio?

℟. Si peccatum est publicum, publica sit correctio. Ita Dominus (Levit. 19. 17.) præcipit : *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Et clare S. Thom. (Quodl. 11. a. 12.) : *Si peccatum sit publicum, publice corrigatur.* Si autem peccatum sit occultum, idem Christus ait: *Vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum* (Matth. 18. 15.); et proinde occulta debet esse correctio.

125. Q. Quandonam urget hoc præceptum correctionis?

℟. Ordinarie loquendo, quando adsunt hæ quatuor circumstantiæ. Prima, quod constet de peccato proximi facto, vel faciendo : quia si dubium sit, non teneris. Secunda, ut spes probabilis emendationis, saltem successu temporis, habeatur; quia si *probabiliter æstimetur, quod peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur*, tunc juxta S. Thomam (2. 2. q. 33. a. 9.), *est ab hujusmodi correptione desistendum.*

126. Q. Quænam est tertia, et quarta circumstantia?

℟. Tertia, ut sit personæ, et temporis opportunitas, scilicet, si alius non adsit magis idoneus, ut Superior, etc. qui possit, et velit corrigere (dico : *velit*, quia si non vult, teneris.); et expensis circumstantiis, aliud tempus ad correctionem opportunius credatur. Quarta denique, ut correctio commode possit præstari : quia extra *necessitatem extremam* (n. 97.), cum gravi incommodo ad correctionem non teneris.

127. Q. Quare dictum est: *ordinarie loquendo?*

℟. Quia superiores, Parentes, Magistri, Domini, etc. qui ex officio ad correctionem tenentur;

et multo magis Parochi, aliique pastores animarum, qui tenentur ex justitia, etiam in dubio; ex Divo Thoma (2. 2. q. 33. a 2. ad 4.), tenentur inquirere de veritate facti, ut remedium præstent, præsertim si crimen in tertii damnum verteret. Et Prælati, aliique ad quos spectat, non solum emendatio proximi, sed etiam præservatio aliorum, etiamsi non appareat spes emendationis, corrigere debent, et etiam per pœnas cogere, juxta S. Thomam, ut peccator *peccare desistat.*

128. Q. Quis ordo est in correctione servandus?

℟. Christus idem, qui correctionem jubet, ordinem etiam præscribit: *Si peccaverit in te frater tuus* (en ejus verba Matth. Cap. XVIII. v. 15. 16. et 17.) *corripe eum inter te, et ipsum solum.* Et en primus gradus. *Si autem te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos*, idest, corrige eum coram uno, vel duobus testibus. En secundus gradus. Et denique: *Quod si non audierit eos dic Ecclesiæ*, idest Superioribus.

129. Q. Qui aliquo respectu humano correctionem negligit, quomodo peccat?

℟. Respondit S. Thomas (2. 2. q. 33. a 2. ad 3.); et si peccatum corrigendum sit grave, dicit peccari graviter, *quando aliquis probabiliter præsumit de aliquo delinquente, quod possit eum a peccato revocare, et tamen propter timorem, et cupiditatem prætermittit.* De quo loquens S. Augustinus (Lib. de verb. Dom. Serm. 82. c. 4.), ait: *Si neglexeris corripere, pejor es factus eo, qui peccavit, pejor tacendo, quam ille conviciando.*

130. Q. Peccatum factum ex ignorantia, est ne corrigendum?

℟. Si ignorantia sit vincibilis, corrigi debet,

quia hæc a peccato non excusat. Si autem est invincibilis, distinguendum. Si peccatum sit contra jus naturæ, vel jus divinum, utpote intrinsece malum, est pariter corrigendum, dummodo non desperetur fructus, aut timeatur, quod illud peccatum a materiali evadat formale. Si autem peccatum sit contra jus positivum tantum, probabile est, personas privatas non teneri saltem sub gravi ad correctionem. Prælati tamen, Superiores, Parentes, Confessarii, Magistri, etc. tenentur; quia ipsis specialiter incumbit subditos docere. Ita B. Ligorio cum Communi (Lib. 2. Tr. 3. n. 36.

Caput V.

De Vitiis Charitati Proximi oppositis.

131. Q. Quæ sunt vitia huic opposita virtuti?
℟. Etiamsi omnia, quæ in ultimis septem Decalogi præceptis vetantur, opposita sint charitati, quæ Proximo debetur, principaliter autem duo opponuntur, Odium, et Scandalum, de quibus hic et nunc agetur. De aliis suo loco.

Paragraphus I.

De Odio.

132. Q. Quid est Odium?
℟. Et actus voluntatis, quo malum alicui volumus. Et hoc evenit vel malum proximo optando, vel gaudendo de ejus malo, vel tristando de ejus bono.

133. Q. Quotuplex est Odium?
℟. Duplex: Odium *inimicitiæ*, et Odium *a-*

bominationis. Odium *inimicitiæ*, seu personæ, est illud, quo malum alicui volumus, quatenus illi malum est. Et hoc ex genere suo est peccatum mortale, nisi parvitas mali, vel imperfecta deliberatio excuset. Odium *abominationis*, seu qualitatis, est illud, quo alicui malum volumus, non quatenus illi malum est, sed quia nobis, vel aliis nocet, ejus vitia, et malas qualitates abominando.

134. Q. Odium abominationis est ne peccaminosum?

℟. Si non personam in se, sed ejus vitia adversamur, tunc si debito charitatis ordine fiat, culpa vacat, imo potest esse laudabile juxta illud, quod legitur in Psalmo 138. v. 21. *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam?* et consimiles locutiones, quæ in sacris Paginis leguntur. Vide tamen, ne odium transeat de qualitate in personam, quod tempore iræ, et commotionis animi valde periculosum est. Et vide, ne illam personam judices pravam, quia tuo corrupto genio nocentem experiris.

135. Q. Nullo alio in casu licet optare malum?

℟. Malum spirituale, numquam. Malum autem temporale, ut aliquem morbum, adversitatem, egestatem, et similia, si inefficaci affectu proximo cupias, vel precaris, ob bonum finem, ex. gr. ut a peccatis cesset, et vitam in melius mutet; vel ob aliquod bonum spirituale tibi, vel aliis obventurum, licet: quia non est inordinatum bonum spirituale temporali præferre. Sed etiam hic est cavendum, ne hoc fiat ex vindicta. Vide etiam quæ supra dicta sunt n. 93.

236. Q. Licet ne propter consequendum bonum

temporale alii cupere malum pariter temporale?

℟. Ita credebant aliqui laxiores Theologi, dicentes, licitum esse filio cupere mortem patris, non ut malum patris, sed ob hæreditatem sibi obventuram; sicut licitum esse gaudere de morte alicujus, non ex displicentia personæ, sed ob temporale emolumentum sibi pariter obventurum. Sed hæ opiniones in Prop. 13. 14. et. 15. ab Innocentio XI. fuerunt proscriptæ, et proinde nullo modo id licet. Erit autem licitum in bello justo hostium excidium optare ob bonum reipublicæ: quia inordinatum non est, bonum justum communitatis propriæ, alterius communitatis bono præferre.

137. Q. Licet ne saltem inimicis malum optare?

℟. Non solum non licet malum optare, sed ex præcepto divino (Matth. 5. et 6.), debemus sub gravi eos diligere, eis benefacere, pro eis orare, offensas remittere (licet possit quis petere redintegrationem honoris, si fuerit læsus, damnorum, si quæ fuerint illata, etc. dummodo non petatur ex livore, sed cum intentione suum recuperandi. Insuper offensus tenetur sub gravi, saltem tempore opportuno, judicio prudentum ad reconciliationem externam, præsertim quando offensor humiliter petit, et condignas exhibet satisfactiones. Et tenetur etiam ad exhibenda inimico communia signa dilectionis.

138. Q. Quæ sunt ista communia signa, quæ etiam inimico debentur?

℟. Sunt illa, quæ civis exhibere solet erga alios cives, vicinus erga vicinum, domesticus erga domesticum, propinquus erga propinquum, etc. Et propterea si quis occurrens inimico, ab

illo divertit, quod cum aliis non facit; si quis alios alloquitur, salutat, resalutat, medetur, facit eleemosynam, vendit suas merces, invitat alios propinquos, etc. excepto illo, qui est inimicus; negando hæc signa communia, dat signum sui livoris, et generaliter loquendo, graviter peccat. Ita Communis, cum S. Thoma 2. 2. q. 25. a. 9.

139. Q. Quare dictum est: *generaliter loquendo?*

℟. Quia si levitas materiæ, aut causa rationabilis excuset, ex. gr. si Pater, Prælatus, Magister, vel alius Superior non ob livorem, sed ob correctionem suis inferioribus hæc signa denegent ad tempus, nullum, vel leve erit peccatum. Sic non erit peccatum, ut ait S. Bern. Sen. (ap. B. Ligorio Lib. 2. Tr. 2. n. 28.), si neges hæc signa, quia times probabiliter, ex hoc pejus evenire, et non aliud, quam malum possis ab eo expectare, ut aliquoties accidit; dummodo interius eum diligas, et apud alios scandalum repares.

140. Q. Signa specialia dilectionis, debentur ne inimico?

℟. Hujusmodi signa specialia, quæ cum aliquibus tantum exhibentur, ut primus alloqui, primus salutare, ægrotum invisere, hospitio excipere, familiariter cum eo agere, et similia, licet laudabilis sit qui hæc specialia signa inimico exhibet; ex eodem S. Thoma (ibid.) per se loquendo, *non est de necessitate salutis.* Dixii: *per se loquendo*: quia si hæc signa credantur necessaria ad gravem odii tentationem vincendam, ad grave scandalum evitandum, ad reconciliandum tibi, et Deo inimicum; si inimicus versetur in periculo mortis; si inimicus primus sit ad exhi-

benda hujusmodi signa , etc ; hisce casibus omissio horum specialium signorum esset declaratio odii in corde latentis , et proinde graviter peccaminosa. Communis.

141. Q. Offensus potest apud judicem instare , ut offensor puniatur ?

℟. Si intentio feratur principarliter in malum offensoris ; et ex ira , et privata sui furoris satisfactione offensoris punitioni concurret , ex eodem Divo Thoma (2. 2. q. 108. a. 1.) , hoc Charitati repugnat, et proinde graviter peccaminosum. Si autem ad Judicem recurratur principaliter aliquo fine honesto , ex. gr. ad cohibitionem delinquentis , ad quietem aliorum , ad terrorem aliorum delinquentium , ad justitiæ conservationem , et ad Dei honorem ; potest esse licitum.

142. Q. Mala , quæ proximo exoptantur , debent ne in confessione specificari ?

℟. Alii affirmant , dicentes , necessarium esse explicare : an jacturam bonorum , an jacturam honoris , an morbos , mortem , ipsisque æquivalentia , an æternam damnationem proximo quis exoptet : alii negant : Dicit tamen B. Ligorio (Lib. 2. Tr. 2. n. 3.) ; quod *si quis efficaciter proponat aliquod speciale malum alicui inferre , tunc omnino sit explicanda species mali* : *quia tunc illud pravum propositum sumit speciem ab opere externo , seu damno intento.* Si autem mala , quæ proximo exoptantur , ore proferantur , appellantur Imprecationes , de quibus in Paragrapho sequenti.

Paragraphus II.

De Imprecationibus.

143. Q. Quid est Imprecatio?

℟. Imprecatio, seu maledictio, ut hic sumitur, juxta S. Thomam (2. 2. q. 76. a. 1.); est *expressio quædam affectus animi desiderantis malum, quod verbo exprimitur*: ex. gr. *Sis maledictus, abi in malam crucem, fulmen te incendat, dæmon te abripiat*, et consimiles locutiones, quibus aliquis vel sibi, vel aliis, et etiam creaturæ irrationali malum precatur.

144. Q. Quotuplex est Imprecatio?

℟. Duplex: Imprecatio *iræ*, et imprecatio *juramenti*. Imprecatio *juramenti* fit, quando nobis, vel aliis malum optamus, si quod juramento vel asseritur, vel promittitur, verum non sit. Sed de hac imprecatione, quæ etiam *Juramentum execratorium* appellatur, infra (n. 405.) agetur; et si juretur mendaciter, duplex peccatum committitur, unum imprecationis, alterum perjurii. Imprecatio autem *iræ*, de qua nunc agetur, est, quando ex impetu iræ nobis, vel aliis malum optamus.

145. Q. Imprecatio semper ne est peccatum?

℟. Si ex motu iræ deliberato grave malum quis sibi, vel aliis imprecetur, *secundum genus suum*, ut inquit S. Thomas (2. 2. q. 76. a. 3.) *est peccatum mortale tanto gravius, quanto personam, cui maledicimus, magis amare, et revereri tenemur*. Dixi: *secundum genus suum*: quia si ob aliquem bonum finem, ut supra dictum de odio n. 93. 135. et 136. aliqua imprecatio proferatur, non erit peccatum. Recolantur, quæ ibi sunt dicta.

146. Q. Quare dictum est: *ex motu iræ deliberato, et grave malum?*

℞. Quia, qui *ex subreptione aliqua, vel ex levi motu vel ex ludo talia verba profert; vel malum, quod imprecatur, sit leve*, ex eodem Angelico (ibid.), per se *erit peccatum veniale.* Addidi: *per se*: quia etiam si ex *subreptione*, et inadvertenter malum quis imprecetur; si hoc faciat ex pravo habitu, quem negligit serio retractare, cum qui *peccat ex habitu, peccet ex certa malitia*, ut ait idem S. Doctor (1. 2. q. 78. a. 2.), non excusatur a peccato gravi. Notent hæc habituati in hoc vitio; et notent Confessarii.

147. Q. Si post prolatam imprecationem statim quis doleat de ea, excusatur ne a peccato gravi?

℞. Si animo deliberato, ut supra in illo iræ impetu grave malum fuit quis imprecatus, etsi illico postea nolit, cum pœniteat, imo doleret, si malum imprecatum eveniret, non excusatur a peccato gravi, sicut non excusatur qui consensum præstitit delectationi morosæ in re turpi, licet statim doleat: quia hoc ostendit tantum post transactam passionem animum in malo non persistere, sed non probat, quod consensus non extiterit.

148. Q. Qualitas personæ, cui quis malum imprecatur, adauget ne gravitatem peccati?

℞. Maxime. Si enim imprecationes proferantur in parentes, in filios, in superiores, aliosque singulari reverentia dignos, non solum peccatur contra charitatem, sed etiam contra pietatem. Si proferantur præsenti, habet rationem contumeliæ, et etiam scandali, quia occasio irascendi, et peccandi illi præbetur. Si parentes proferant in filios

præsentes, peccant insuper ob pravum exemplum, illas diabolicas locutiones filios edocendo. Quæ omnia in confessione sunt aperienda.

149. Q. Si quis malum, quod ore imprecatur, corde non optat, peccat ne graviter?

℟. Si *ex joco*, *ex ludo*, *ex levi motu*, ut supra cum S. Thoma (n. 146.), imprecationes proferantur, secluso scandalo, ut n. 148. peccatum erit veniale. Sed si motus iræ non erit *levis*, sed vehemens, et in vehementes quis rapiatur excandescentias, et veluti in deliria, ut dictum est Lib. 1. n. 351. *non videtur ambigendum*, inquit Cuniliati (Tr. 2. Cap. 2. §. 4. n. 2.), *quod hoc casu ille lethaliter peccet; cum hujusmodi se gerendi modus nimium rectæ rationi adversetur.*

150. Q. Si quis dubitet, an malum corde optarit necne, quid erit judicandum?

℟. Recurrendum est ad consuetudinem imprecantis. Si enim in illo motu iræ, quando præsertim damnum, vel injuriam, etc. quis receperit; soleat ex animo imprecari, potest credi, etiam quando est dubius in simili occasione, ex animo imprecari, et proinde graviter peccare, supposita gravitate mali, quod optat. Si autem numquam, vel raro soleat ex animo imprecari, potest credi, etiam in illa occasione ex corde non imprecari, præsertim si persona, in quam fuit imprecatus, sit amica, bene visa, etc.

151. Q. Qui sibi optat mortem, peccat ne?

℟. Ex dictis constat graviter peccare. Sed si quis mortem sibi optat non jam impetu iræ, sed ad evitandam gravem infirmitatem, mendicitatem, vitam acerbam, et amariorem morte, juxta illud Ecclesiastici (30. 17.): *Melior est mors, quam vita amara*, aliqui apud B. Ligo-

rio (Lib. 2. Tr. 2. n. 30.) excusant a mortali ; ut fecit Elias , qui ad evitandas Jezabelis insidias *petivit animæ suæ , ut moreretur* (3. Reg. 19. 4.).

152. Q. Quid dicendum de illis imprecationibus , quæ in Sacris Litteris leguntur prolata a Sanctis Viris ?

℟. Juxta S. Thomam (2. 2. q. 25. a. 6. ad 3. et q. 83. a. 8. ad 1.) , hujusmodi locutiones non proprie imprecationes appellandæ sunt , sed intelliguntur , vel ut conformitas humanæ voluntatis ad justitiam divinam , vel malorum impendentium prædictiones vestitæ habitu imprecationis ; vel demum sunt malorum temporalium optationes, quatenus ea futura sint utilia vel ipsis improbis , ut resipiscant ; sive iis , qui per eos affliguntur , ne deinceps ab aliis molestiam patiantur.

153. Q. Imprecationes contra belluas , et alias creaturas irrationales sunt ne peccaminosæ ?

℟. Si hæ irrationales creaturæ maledicantur in *quantum sunt creaturæ Dei* , etiamsi maledicatur dæmon , *est peccatum blasphemiæ*, inquit S. Thomas (2. 2. q. 76. a. 2.). Si maledicantur *secundum se considerata* , *erit otiosum* , *et illicitum* , scilicet peccatum veniale. Si autem illæ imprecationes proferantur in odium Domini , ex. gr. si quis optet mortem , etc. equo , ut Dominus eo privetur , tunc imprecatio , utpote redundans in malum Domini , erit peccatum grave. Si autem maledicantur , ut nobis noxiæ , ut mures , lupi , ventus , frigus , etc. erit pariter veniale , nisi maledictiones illæ referantur ad Deum auctorem , et creatorem : quia tunc essent blasphemiæ. Notet hæc qui in actu iræ male-

dicit grandini, siccitati, etc. quæ ex divina dispositione nobis nocent.

Paragraphus III.

De Scandalo.

154. Q. Quid, et quotuplex est Scandalum?

℟. Scandalum est offendiculum spirituale, quo quis offendit, et in peccatum ruit, et est duplex: activum, et passivum. Scandalum *activum*, seu *datum*, ut definitur a S. Thoma (2. 2. q. 43. a. 1.), *est dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem spiritualis ruinæ*, idest occasionem peccandi. Et hic nota, quod sub nomine *dicti*, vel *facti* intelligitur etiam *externa omissio*, quæ det occasionem peccandi, ut omissio instructionis, vigilantiæ, et correctionis præsertim in genitoribus, quæ omissio est causa tot peccatorum in filiis: et similes omissiones.

155. Q. Quare dicitur: *dictum, vel factum minus rectum?*

℟. Quia non solum, quod per se est malum, ut sermo obscænus, suadere perjurium, et similia; sed etiam quod habet speciem, et apparentiam mali, ut si quis, præsertim Clericus, domum populo suspectam frequentet, et si nullum revera subsit peccatum, imo fine bono accedat, is peccat peccato scandali, quia hujusmodi frequentia speciem mali habet, et suo exemplo præbet alteri occasionem accedendi ad illam, aut aliam fœminam. Et idcirco (1. ad Thessal. 5. 20.) Apostolus nos admonet: *Ab omni specie mala abstinete vos.*

156. Q. Quare dicitur: *præbens occasionem ruinæ?*

℟. Quia ad rationem scandali non est necesse, ut ruina proximi actu sequatur, seu quis ob datum scandalum peccet, sed sufficit, ut occasio ruinæ, seu peccandi alteri detur.

157. Q. Quid est Scandalum *passivum*?

℟. Scandalum *passivum*, est ruina spiritualis proximi, qui ex dicto, facto, vel omissione alterius peccat. Quod si omissio, dictum, vel factum sit malum, aut minus rectum, dicitur scandalum passivum *datum*, quod est effectus scandali *activi*, seu *dati*. Si autem non sit malum, nec minus rectum, sed bonum, aut indifferens, tunc dicitur scandalum passivum *acceptum*. Et si ruina, seu peccatum præcedat ex infirmitate, vel ignorantia proximi, dicitur scandalum passivum *acceptum pusillorum*. Quod si procedat non ex dicto etc. malo, vel minus recto, sed ex malitia alterius, dicitur scandalum passivum *acceptum pharisaicum*: qua Pharisæi ex dictis, et factis Christi, etsi bonis, peccandi occasionem sumebant.

158. Q. Datur ne alia Scandali divisio?

℟. Maxime. Etenim Scandalum activum dividitur in *directum*, et *indirectum*. Scandalum *directum*, seu *formale* est, quando quis suo dicto, facto, vel omissione intendit inducere alium ad peccandum, tentando, rogando, suadendo, ut in actionem malam consentiat; sive hoc faciat, ut proximus peccet, et damnetur (quod diabolicum esset), sive faciat ob privatam sui delectationem, et utilitatem; et etiamsi ille proximus jam paratus esset ad peccandum; vel non peccaret.

159. Q. Quid est Scandalum *indirectum*?

℟. Scandalum *indirectum*, seu *interpretativum* tunc evenit, quando quis etiamsi non intendat ruinam proximi, et inducere illum ad peccandum;

nonnulla tamen dicit, vel facit, vel omittit, quæ ipse potest, et debet prævidere, esse alteri occasionem peccandi: ut turpia loqui, vel canere præsertim coram innocente, vel juvene; frequentare domum suspectam, ut supra n. 155. omittere correctionem, prævidendo, filium, aut alium in peccatum ruere; vel aliud facere, aut dicere, quod ex se sit inductivum ad peccandum.

160. Q. Qui dat scandalum, peccat graviter, an leviter?

℟. Si inducit ad peccatum leve, peccabit leviter. Si autem inducit ad committendum peccatum grave, graviter peccabit; et tanto gravius erit peccatum, ad quod scandalum inducit, quanto fragilior est persona scandalizata; et quanto plures sunt personæ scandalizatæ. Et idcirco in confessione explicanda est species peccati, ad quod scandalum inducit; circumstantia personæ scandelizatæ, et numerus scandalizatorum saltem in confuso, dicendo ex. gr. multis dedi hoc scandalum, si numerus certus, aut probabilis resciri non possit.

161. Q. Qui dat scandalum, quot peccata committit?

℟. Qui dat scandalum activum sive *directum*, sive *indirectum* (n. 158, et 159.) duplex committit peccatum: primum contra Charitatem juxta probabiliorem, quia est causa ruinæ spiritualis sui proximi: secundum committit contra illam virtutem, ad quam lædendam proximum inducit. Quapropter qui induxit alios ad furandum, ad fornicandum, ad turpia colloquia, et similia, non sufficit dicere in confessione, se fornicatum fuisse, turpiter locutum, et cum aliis furatum: sed explicare etiam peccatum contra charitatem debet, confitendo etiam scandalum quod dedit.

162. Q. Sunt ne alia exempla hujus duplicis peccati ?

℟. Maxime, et quidem quamplurima : sed pauca afferam. Peccant ergo contra Charitatem (seu peccato scandali), et contra Castitatem qui componunt, vel agunt comœdias obscœnas ; qui scribunt cantilenas turpes, libros amatorios, etc. ; qui imagines, aut statuas obscœnas efformant, vel palam exponunt ; mulieres, quæ vestibus immodestis indutæ se aliis conspiciendas præbent, vel quosdam gestus, risus etc. peragunt immodestos : quia hæc omnia notabiliter ad libidinem provocant.

163. Q. Sunt ne alii, qui hujus duplicis peccati sint rei ?

℟. Multi alii, et præsertim duplici peccato contra Charitatem peccant qui in motu iræ imprecationes evomunt contra proximum, eo præsente, et quia malum optant, et quia alteri præbent occasionem spiritualis ruinæ, seu committendi eadem, aut alia peccata ; de quo duplici peccato multo magis rei sunt genitores, qui hujusmodi verba filios edocent. Et sic de aliis.

164. Q. Scandalum *passivum* potest ne unquam permitti ?

℟. Si scandalum sit *datum* (n. 157.), numquam licet, quia oritur ex dicto, vel facto, quod per se est malum, et proinde nullo casu permissum. Si autem Scandalum passivum sit *acceptum*, sive sit *pusillorum*, sive sit *pharisaicum*, cum hoc scandalum proveniat ex opere licito, tunc si absque peccato, aut gravi incommodo illud opus possit omitti, ut proximi ruina, et peccatum impediatur, ex lege charitatis, erit omittendum. Quod si absque gravi incommodo, et multo ma-

gis si absque peccato opus illud non possit omitti, tunc petest permitti proximi ruina, seu peccatum, quod ex proximi ipsius infirmitate, vel malitia provenit.

165. Q. Mulier, quæ sentit impudice se amari, debet ne sacrum omittere die festo ad impediendum peccatum alterius?

℟. Aliqui sentiunt, mulierem, quæ prævideat, se ab aliquo inpudice amari, posse semel, aut iterum sacrum die festo omittere, ne illi conspiciendam se præbeat: quia ordo charitatis exigit, ut minus malum eligatur, ut vitetur majus. Dixi: *semel*, *aut iterum*: quia longo tempore a Sacro abesse grave foret damnum spirituale, quod mulier illa non tenetur subire ad impediendum peccatum alterius, qui ex sua malitia cadit.

166. Q. Quid dicendum de eo, qui ad alterius peccatum operam suam confert?

℟. Duplex esse potest hujusmodi cooperatio, formalis, et materialis. *Formalis* est, quando dictum, vel factum, quo ad alterius peccatum concurrit, per se, vel in illa circumstantia est malum, et hæc cooperatio est illicita, quia ad peccatum proxime is concurreret. Et idcirco non licet gladium præbere volenti occidere, vel mutilare se, aut inimicum; non licet jussione, consilio, consensu, laudando, auxilium præbendo concurrere ad damnum alteri inferendum, vel furandum; deferre litteras amatorias turpia continentes ad amasiam in ordine ad peccandum, vel hoc fine in domum alterius hanc vocare, vel adducere, et similia.

167. Q. Quid dicendum de cooperatione *materiali*?

℟. Quando quis *materialiter* tantum ad alte-

rius peccatum concurrit ponendo materiam, seu dictum, vel factum non malum, sed indifferens, quo alter uti potest sine peccato, sed ex sua malitia abutitur ad peccandum præter intentionem cooperatoris; hoc casu resolvitur de cooperatione, quod dictum est de scandalo *passivo accepto* (n. 164.), idest, si absque gravi incommodo possit illud dictum, vel factum omitti, ex lege charitatis est omittendum. Si absque gravi incommodo non possit omitti, et rationabilis causa adsit, non tenetur omittere, etiamsi ad alterius peccatum materialiter concurrat, remoteque permittat.

168. Q. Sunt ne aliqua exempla ad id declarandum?

℟. Sunt et quamplurima quidem, sed pauca seligam. Non licet ergo absque gravi necessitate, aut alia rationabili causa ad peccatum alterius concurrere in sequentibus, idest vel petendo mutuum ab usurario, qui absque usuris non solet dare; vel petendo juramentum ab eo, qui creditur pejeraturus, vel ab Ethnico, qui solet per falsos deos jurare; vel petendo Sacramentorum administrationem a ministro indigno, qui in peccato mortali existens soleat ministrare; vel ministrando vinum, seu alium potum volentibus se inebriare; vel ministrando carnes, aliosve cibos interdictos diebus vetitis; vel præbendo diebus jejunii cœnulam nimis lautam paratis jejunium violare, et in similibus.

169. Q. Hæc regula currit ne pro omnibus?

℟. Minime: qui enim ex justitia, vel officio tenentur impedire peccata alterius, ut sunt Pastores animarum, Superiores, Magistri, Genitores, Confessarii etc. nec materialiter quidem ad suorum subditorum peccata possunt concurrere.

170. Q. Quid dicendum de famulo coacto ad operandum?

℟. Ut constat ex Prop. 51. damnata ab Innoc. XI., famulus non excusaretur a peccato scalam admovendo, portam aperiendo, vel humeris sustentando suum herum volentem ascendere ad stuprandam virginem, etiamsi a domino esset male tractandus, torvis oculis aspiciendus, et etiam a famulatu expellendus. Ex quibus verbis deducit B. Ligorio cum aliis, quos citat Lib. 2. Tr. 3. n. 66. ob metum mortis posse hujusmodi famulum a peccato excusari.

171. Q. Quid igitur concludendum?

℟. Non omnem causam satis esse ut quis ad peccata alterius etsi materialiter tantum concurrat. Eo enim gravior causa requiritur, quo gravius est peccatum impediendum; quo minus remota est cooperatio ad peccatum; quo probabilius est, uno non concurrente, alterum non peccaturum; quo minus juris quis habeat ad eam actionem ponendam, et denique quo magis peccatum illud cum justitia pugnat, et multo magis, si adsit damnum tertii.

TRACTATUS II.

De Religione.

172. In duos Articulos hunc de Religione Tractatum dividimus. In primo de Religionis Natura, Objecto, Cultu, et Actibus agetur. In altero de Vitiis huic Virtuti oppositis. Sed omissis quæ ad Asceticos, Scholasticos, et Dogmaticos pertinent, ea dumtaxat seligemus, quæ ad moralem pertinent Theologiam.

ARTICULUS I.

De Religionis Natura, Objecto, Cultu, et Actibus.

173. Q. Quid est Religio?
℟. Est virtus moralis, per quam Deo tamquam primo rerum omnium principio debitus cultus exhibetur.

174. Q. Quod est objectum Religionis?
℟. Objectum *materiale*, est actus, per quem Deus colitur. Objectum *formale*, est illa specialis honestas, quæ in illo cultu præstando relucet. Objectum vero *finale*, seu *remotum*, primario est Deus, cui cultus exhibetur, et secundario sunt B. Virgo Maria, Angeli, Sancti, et res sacræ, in quibus vel Divinitas, vel aliquid a Divinitate specialiter emanans resplendet, ut sunt Sacramenta, Sacra Biblia, etc.

175. Q. Quotuplex est virtus Religionis?
℟. Duplex habitualis, et actualis. Religio *habitualis*, est habitus inclinans ad actus Religionis, et avertens ab actibus Religioni oppositis. *Actualis* autem, est exercitium actuale Religionis, quod habetur per Cultum, qui Deo, B. Mariæ etc. præbetur.

176. Q. Quid est iste Cultus?
℟. Cultus alius dicitur internus, alius externus. Cultus *internus* tunc exhibetur, quando homo infinitam sui Creatoris excellentiam noscens, et noscens suam intrinsecam infirmitatem, ac vilitatem, illi excelsæ majestati profunda cum animi submissione se subdit, illum adorando, amando, timendo, serviendo etc. Et in hac interna submissione consistit principaliter Cultus, sine qua quæcum-

que actio externa ad nihil valeret, nec esset nisi larva virtutis.

177. Q. Quid est Cultus *externus*?

℟. Cultus *externus* est, quando signis, et actionibus exterioribus, veluti genuflexionibus, pectoris tunsionibus, Sacrificiis, Orationibus, sacris cœremoniis etc. internam animi submissionem Deo exprimimus, ut cum ipso conjungamur. Nec audiendi sunt Trinitarii, aliique Sectarii ab Ecclesia jam damnati, qui hunc *externum* cultum reprobantes, in solo spiritu Deum esse adorandum jactitabant. Cum enim homo spiritu, et corpore constet, æquum est, ut spiritu, et corpore Deo subjiciatur, et sic de toto homine Deus dominetur.

178. Q. Est ne discrimen inter cultum, qui Deo debetur, ac Sanctis?

℟. Maxime. Deus enim (sicut et Crux, Spinæ, cæteræque Reliquiæ, ac Imagines ad Christum, et alias divinas personas pertinentes) colendus est ob infinitam sui excellentiam, quam a se, et non habet ab alio; et hic cultus vocatur *Latriæ*. Cultus autem, qui Angelis, Sanctis, ac eorum Reliquiis, et Imaginibus exhibetur, ipsis exhibetur ut amicis Dei; et hic Cultus vocatur *Duliæ*.

179. Q. Et Virgini Mariæ quis cultus debetur?

℟. Sicut Virgo Maria est a Deo amata plusquam omnes Angeli, et Sancti simul sumpti, utpote Mater Dei, ac Sanctorum Regina, cultus, qui ipsi, ac ejus Reliquiis, et Imaginibus debetur, diversus esse debet ab illo, qui cæteris Sanctis exhibetur, majorem illa meretur reverentiam. Et hic cultus, qui Virgini debetur, appellatur *Hyperduliæ*. Omnis autem cultus, qui tam

Sanctis, quam eorum Reginæ exhibetur, in Deum ipsum refunditur, ut definitum est in septima Synodo (act. 4.).

180. Q. Quinam sunt actus Religionis?

℟. Decem enumerantur a S. Thoma (2. 2. q. 82. et sequentibus), Devotio nempe, Oratio, Assumptio Divini Nominis in laudem, sive Horæ Canonicæ, Adoratio, Sacrificium, Oblatio, Decimæ, Votum, Juramentum, ac Adjuratio Divini Nominis. De his partim in sequentibus, et partim in aliis locis agetur.

Caput I.

De Devotione.

181. Q. Quid est Devotio?

℟. Devotio est actus Religionis, quo voluntas prompte exequitur quæ ad Dei famulatum pertinent. Sic ex S. Thoma (2. 2. q. 82. a. 1.). Unde Devotio non consistit in illa cordis teneritudine, aut in illo sensibili affectu, qui inter orandum aliquando sentitur, sed in pio animi affectu, et prompta voluntate Deo serviendi, illumque honorandi. Sicut nos devotos, imo devotissimos alicujus amici, vel magni viri appellantes, ei significamus, nos promptos esse ad ei famulandum, et honorandum.

182. Q. Quænam est Devotionis causa?

℟. Duplex, extrinseca, et intrinseca. Causa *extrinseca* devotionis, est Deus, qui hanc promptitudinem nobis concedit juxta illud Apostoli Jacobi (1. 17.): *Omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Causa autem *intrinseca*, est meditatio divinæ bonitatis,

aliorumque Dei attributorum, et nostræ miseriæ, ac infirmitatis.

183. Q. Adest ne alia causa devotionis?

℟. Causa, quæ proxime, et immediate nos excitat ad devotionem, et promptos nos reddit ad Deo serviendum, et honorandum, est amor, et subjectio animæ nostræ erga Deum. Quisque enim promptum se reddit ad serviendum ei, quem amat; ut quotidie videmus in illis, qui aliquam terrenam pulchritudinem amantes, promptos se exhibent ad exequendam illius voluntatem; et obsequiis, donis, famulatu, cæterisque actibus se illi subdunt.

184. Q. Quisnam est effectus devotionis?

℟. Duplex pariter, Spiritualis lætitia ex consideratione divinæ bonitatis, quæ promptos nos reddidit ad Deo serviendum. Secundus est *salutaris tristitia* ex propriorum defectuum meditatione, quæ humiles apud Deum nos reddit.

Caput II.

De Oratione.

185. Quid est Oratio?

℟. Est petitio rerum decentium a Deo facta sive immediate, sive mediante Sanctorum intercessione, ut aliquid a Deo impetremus. Dixi: *mediante Sanctorum intercessione*. Cum enim Angeli, et Sancti, ac præsertim Regina Angelorum sint Amici Dei, hi orati a nobis, suis intercessionibus obtinent quod pro nostris peccatis, et demeritis nos non meremur.

186. Q. Oratio non spectat potius ad Spem?

℟. Sub uno respectu pertinet quidem ad spem:

quia per Orationem aliquid a Deo speratur, et expectatur. Sed sub altero aspectu Oratio spectat ad Religionem: quia per Orationem profitemur, Deum esse principium rerum omnium, nosque ipso inferiores, eoque indigere.

187. Q. Quotuplex est Oratio?

℟. Mentalis, et vocalis. *Mentalis* est illa, quæ mente funditur. *Vocalis* autem, quæ mente, et voce exprimitur. Dixi: *mente*, *et voce*: quia illa oratio, quæ sola voce exprimitur, non est nisi larva orationis; cum oratio sit mentis ad Deum elevatio.

188. Q. Datur ne alia Orationis divisio?

℟. Maxime: nam tam Oratio *mentalis*, quam *vocalis* utraque subdividitur. Si enim oratione *mentali* aliquid petimus a Deo, dicitur proprie *Oratio deprecatoria*. Si autem res divinas, æternasque veritates, et alia serio cum mentis affectu consideremus, ut excitemur ad fugiendum malum, et faciendum bonum, hæc *mentalis* oratio dicitur *meditatio*. Et si hæc *mentalis* oratio sit *elevatio mentis in Deum suspensæ æternæ dulcedinis gaudia degustans*, ut S. Bernardus (Scala claustr.) ait, vocabitur *Contemplatio*.

189. Q. Oratio *vocalis* quotuplex est?

℟. Duplex, privata, et publica. Oratio *privata* est illa, quæ fit a persona privata, et nomine proprio. Oratio autem *publica* est illa, quæ fit a cœtu Christianorum, ut sunt publicæ sacræ Functiones, vel a publico Ministro nomine Ecclesiæ, et pro populi salute, ut est Sacrificium Missæ, et Horæ Canonicæ, etiamsi privatim recitentur ab uno.

190. Q. Sunt ne alia consideranda circa Orationem?

℟. Sunt et multa quidem. Sed præcipue loquendum est de Orationis Necessitate, Objecto, Conditionibus, Attentione, et aliis, de quibus in sequentibus Paragraphis sigillatim agetur. At de *Attentione* loquemur Capite sequenti, agendo de Horis Canonicis.

Paragraphus I.

De Necessitate Orationis.

191. Q. Oratio est ne necessaria ad salutem?

℟. Maxime. Licet enim Deus ad ostendendam suam liberalitatem concedat aliquando suam gratiam, etiam non petentibus, ut reapse suam gratiam prevenientem non petentibus elargitur: spectato tamen divinæ providentiæ ordine, et attenta humanæ naturæ infirmitate, Oratio est medium necessarium ad ulteriores gratias obtinendas, et præsertim ad obtinendum donum perseverantiæ.

192. Q. Quomodo probatur hæc necessitas?

℟. Probatur et auctoritate, et etiam ratione intrinseca. *Auctoritate* in primis. *Vigilate*, inquit Christus (Luc. 21. 36.), *itaque omni tempore orantes*. Et Paulus (1. Thess. 5. 17.): *Sine intermissione orate*. Et clarius idem Redemptor (Luc. 18. 1.): *Oportet semper orare, et non deficere*. Ad quæ verba sic concludit Chrysostomus (Tom. 1. Serm. de Moyse): *Dum Christus dicit* oportet, *necessitatem inducit*.

193. Q. Quid dicunt Sancti de hac Orationis necessitate?

℟. S. Augustinus loquendo de Perseverantia (Lib. de Eccl. Dog. c. 57.) inquit: *Nullum nisi orantem auxilium promereri*. Clarius S. Thomas (in 4. Sent. dist. 15. a. 1. q. 3.): *Ora-*

tio necessaria est, *et sub præcepto cadit*. Et 1. 2. q. 109. a. 10. ait : *Postquam aliquis est justificatus per gratiam*, *necesse habet a Deo petere perseverantiæ donum*, *ut scilicet custodiatur a malo usque ad finem vitæ*. Et sic sentiunt alii Sancti.

194. Q. Quomodo hæc Orationis necessitas probatur a ratione intrinseca?

R/. Probatur ex hac duplici veritate, quod *a nobis quasi ex nobis nec aliquid cogitare sumus sufficientes*, ut ait Apostolus (2. Cor. 3. 5.). Multo minus a nobis, et solis nostris viribus possumus resistere tot nostrorum spiritualium inimicorum insidiis; observare omnia divina præcepta, et præsertim difficiliora, et nostro sensui magis repugnantia; et multo minus in Dei gratia perseverare usque ad mortem. Et hæc est prima veritas.

195. Q. Quænam est secunda veritas?

R/. Secunda veritas descendit a prima. Quia si nostris solis viribus prædicta consequi non possumus, sequitur, necessarium esse Dei auxilium. Cum ergo hoc *auxilium*, ut supra dictum est cum Augustino, *nullum nisi orantem possit promereri*, sequitur, necessariam esse Orationem. Videat ergo, quam spem æternæ salutis possit habere qui non solum in oratione non vigilat, non solum sine intermissione non orat, sed raro, rarissime hunc Religionis actum exercet!

196. Q. Quomodo intelliguntur illa verba Redemptoris, quod *oportet semper orare*?

R/. Non intelligitur, continuam *actu* esse debere nostram Orationem, unusquisque enim suis debet vacare negotiis. Sed juxta Augustinum (In Ps. 37. v. 14. et Epist. 130. ad Probum cap. 9.),

continua potest esse nostra oratio, et *pio in Deum desiderio*; et *per certa intervalla temporum*, ex. gr. mane, meridie, vespere, sæpe in diem, et præsertim in necessitatibus, et tempore tentationis vel sola mente, vel mente, et voce divinum implorare auxilium, Sanctorumque intercessionem.

197. Q. Et oratio, quæ dicitur *meditatio*, est ne necessaria?

℟. Multa sunt testimonia, quæ etiam *meditationem* (n. 188.) necessariam comprobant. *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Sic legitur Eccl. 6. 40. *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* Sic Jerem. 12. 11. *Meditaberis in eo diebus, et noctibus, ut custodias, et facias omnia, quæ scripta sunt.* Sic Josue 1. 8. Et ideo hæc *meditatio* necessaria est, inquit S. Bernardus (Serm. 2. in Fest. S. Andr.); quia ostendit mala vitanda, bona impetranda, et excitat voluntatem ad implorandum divinum auxilium Oratione deprecatoria, ut mala homo evitet, et bona consequatur, quod etiam scelesti quotidie experiuntur.

198. Q. Quænam est utilitas hujus Orationis?

℟. Si cum debitis conditionibus oremus, ut infra, hæc est magna utilitas. Primo, quod *omnia quæcumque orantes petimus . . . . . accipiemus.* Ita Christus (Marci 11. 24.); et proinde est de Fide. Secunda utilitas est, quod *hominem Deo continue supplicantem; impossibile est, unquam peccare*, ut Chrysostomus (Homil. contra concur. ad theat.); et insuper, quod *infallibiliter obtinebit perseverantiam usque ad mortem*, ut Christi verbis edoctus affirmat Suarez (Tom. 3. de Grat. Lib. 12. c. 38. n. 16.).

199. Q. Etiam Oratio *vocalis* est necessaria ?

℟. Diximus supra (n. 189.), duplicem esse orationem vocalem, *publicam*, et *privatam*. Quoad Orationem *publicam*, quæ fit a cœtu Fidelium, vel a publico Ministro nomine Ecclesiæ, ut Missæ Sacrificium, Horæ Canonicæ, aliæque sacræ Functiones, cum juxta statutum ab Ecclesia debeant esse vocales, imo alta voce proferendæ, ut populo sint intelligibiles: audientium pietatem excitent, nemo non videt, quam sit necessaria hæc publica vocalis oratio.

200. Q. Quid dicendum de Oratione *vocali privata ?*

℟. Etiamsi juxta S. Thomam (2. 2. q. 83. Art. 12.) non sit de necessitate præcepti, ut etiam voce oretur; æquum tamen est, ut non solum sensibus internis, sed etiam externis, ut lingua, Deum honoremus, ut fecit, et docuit Christus (Luc. 11. 2.), et tot sancti viri tam veteris, quam novi Testamenti, et etiam temporibus nostris efficiunt. Hic autem advertendum, quod si sola lingua, absque cordis affectu, et mentis attentione oretur, ut dicetur Capite sequenti, agendo de Horis Canonicis a n. 248. etc. parum Deo grata, et nobis proficua erit hujusmodi oratio: *Si orem lingua*, sic S. Paulus (1. Cor. 14. 14.) *spiritus meus non oret . . . . . sine fructu est.*

Paragraphus II.

De Orationis Objecto.

201. Q. Quodnam est objectum Orationis ?

℟. Duplex, primarium, et secundarium. Objectum *primarium* est, quando in nostris Oratio-

nibus petimus quæ ad æternam salutem consequendam sunt necessaria, ut veniam peccatorum; gratiam non peccandi de cætero; virtutes supernaturales, præsertim, quæ proprio statui magis conveniunt; perseverantiam in bonis operibus, bonam mortem, Paradisum etc. Quæ omnia juxta S. Bernardum absolute, indesinenter, omni tempore, totis viribus, totoque animi affectu sunt petenda.

202. Q. Quodnam est objectum secundarium?

℟. Objectum *secundarium* est, quando petuntur res temporales, et transitoriæ, ut consecutionem alicujus boni, liberationem ab aliquo malo; sanitatem, et similia: quæ posse a Deo peti; Christus et verbis, et exemplo nos docuit. *Verbis*, edocendo orationem dominicam; *exemplo*, quando in horto liberationem a passione suum æternum Patrem postulavit. Hæc autem non absolute, sed conditionate juxta Angelicum (2. 2) q. 83. a. 6. ad 4.) petenda sunt, scilicet, si sit voluntas Dei, si expediant ad æternam salutem etc. ut ob nostram instructionem Christus effecit, qui post oratum Patrem, ut se a passione liberaret, statim subdit: *veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat* (Luc. 22. 42.).

203. Q. Divitiæ, præeminentiæ, et similia possunt ne a Deo postulari?

℟. *Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi*, ajebat Salomon Deum orando (Prov. Cap. 30. v. 8.); *sed tribue tantum victui meo necessaria*. Et Christus (Marci 10. 38.) exprobravit matrem filiorum Zebedæi, quæ præeminentias postulabat. Ergo non videntur postulandæ, sed poscendum quod est necessarium nostræ sustentationi, et nostræ æternæ conducat beatitudini. Si e-

nim oratio est petitio *rerum decentium*, ut supra (n. 185.) dictum est ; et *si a sæcularibus abstinendum est*, ut inquit Chrysostomus (Homil. 42. in Joan.), *quæ miseria, quæ amentia est a domino postulare?*

204. Q. Necessitates proximi sunt ne objectum nostræ Orationis?

℞. Maxime. Non enim pro nobis solum, sed etiam pro aliis, imo pro omnibus orandum est. Clare innuit Jacobus (5. 16.) : *Orate pro invicem, ut salvemini.* Et Christus etiam pro persecutoribus orandum esse voluit (Matthæi Cap. 5. v. 44.). Imo laudatus Chrysostomus (Homil. 14. in Matth.) inquit, quod Deo cariores, et nobis magis meritoriæ sunt preces, cum eas pro aliis, quam cum pro nobis fundimus, et affert rationem ; quia *pro se orare necessitas cogit*; *pro altero autem charitas fraternitatis hortatur*.

205. Q. Si proximus, pro quo oratur, sit indispositus, erit ne fructuosa talis Oratio?

℞. *Contingit quandoque*, ait Angelicus (2. 2. q. 83. a. 7. ad 2.), *quod oratio pro alio facta non impetret . . . . . propter impedimentum*, quod est ex *parte ejus*, *pro quo oratur :* Sed si istiusmodi Oratio non semper erit illi fructuosa, facta tamen cum charitate, est semper oranti meritoria, et suæ charitatis mercedem a Deo orans accipiet, ut concludit idem S. Doctor (in Psalm. 34. 13.) : *Si eis non prosit, ego tamen non sum frustratus mercede mea.* Et idcirco semper facienda.

206. Q. Quare dictum est : *non semper?*

℞. Quia licet proximus, pro quo oramus, sit indispositus, possunt quandoque nostræ preces illi prodesse, præsertim si sint continuatæ, et a

multis factæ. *Multorum preces*, inquit S. Ambrosius (in Comment. ad Cap. 15. ad Rom.) *impossibile est*, *quod non impetrent*. Et revera, quis magis indispositus Saulo, et Augustino? Et tamen Saulum precibus S. Stephani, et Augustinum lacrymis ejus sanctæ Matris Monicæ Deus suæ Ecclesiæ donavit. Et quamplurima ex his exemplis in Ecclesiastica Historia leguntur.

Paragraphus III.

De Conditionibus Orationis.

207. Q. Si est de Fide, quod *quæcumque orantes petimus*, *accipiemus* (Marc. 11. 24.), cur tot petunt, et non accipiunt?

℟. En ratio, quam dat Jacobus Apostolus (4. 2.): *Petitis*, *et non accipitis*, *eo quod male petatis*. Multi non accipiunt, quia male, et absque debitis conditionibus orant; Et ideo n. 198. innuimus, nos certo, et de Fide exauditum iri, si cum debitis conditionibus oremus.

208. Q. Quænam sunt conditiones Orationis?

℟. Quinque sunt præcipuæ: quod Oratio facta sit 1.° in statu gratiæ, 2.° de necessariis ad æternam salutem, 3.° cum fide, 4.° cum humilitate, 5.° cum perseverantia. Primo igitur deberet esse facta *in statu gratiæ*: quia licet, ut ait Angelicus (2. 2. q. 8. a. 5.): *Oratio in impetrando non innitatur meritis nostris*, *sed soli divinæ misericordiæ;* qui autem est amicus Dei est magis dispositus ad divina recipienda.

209. Ergo qui vivit in peccato, non debet orare?

℟. Debet quidem, imo majori cum sollicitudi-

ne, et frequentius, ut divinam obtineat misericordiam; quia si debitis modis, et cum dolore de peccatis commissis ad Deum accedat, etiam ipse a Deo exaudietur, *non quasi ex justitia*, ut subdit idem Angelicus (2. 2. q. 83. a. 16.): *quia peccator hoc non meretur*, *sed ex pura misericordia*, præsertim si gratiæ, quas Deum expostulat, suam respiciant æternam salutem.

210. Q. Quare dictum est: *de necessariis ad æternam salutem?*

℟. Quia si gratiæ, quas petimus, non expediant ad salutem; et multo magis si obsint, hoc casu, si Deus non exaudit, tunc veram dat gratiam. Et idcirco dictum est supra (n. 201. et 202.), gratias spirituales absolute petendas esse: at gratiæ temporales, cum nos nesciamus, prosint ne, an obsint nostræ æternæ saluti, sub conditione sunt semper petendæ; ut faciebat S. Fulgentius martyr, qui, ut refert Surius (Tom. 1. die 1. Jan.), quando orabat pro infirmis, afflictis, hanc semper conditionem apponebat: *Tu vero, Domine scis, quid animarum nostrarum saluti conveniat.*

211. Q. Quænam est tertia conditio Orationis?

℟. Quod facta sit *cum fide*, idest cum certa fiducia obtinendi a Deo quod petimus, non jam nostris meritis innixi, sed innixi bonitati Dei, et tot promissis Redemptoris (Matth. 7. 8. Matth. 21. 22. Marci 11. 24. etc.), qui nos excitat ad orandum, promittens exauditurum: *Qui enim hæsitat*, ut inquit Jacobus (1. 6.) *non æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.* Et quo major erit fiducia, eo major erit divina Misericordia, ut Christus dixit S. Mathildi (Blos. monit. Spirit. c. 11. §. 6.): *Quanto quis mihi*

credere, et de bonitate mea præsumere potest, tantum, et infinitum amplius obtinebit.

212. Q. Quænam est humilitas, cum qua est orandum?

℟. Humilitas est quarta conditio Orationis, quæ tunc habetur, quando ex una parte nos reputamus indignos divinis miserationibus, nostrique animi abjectione ante faciem Domini preces nostras prosternimus, et *de sola divina miseratione*, ut inquit S. Bernardus (Serm. 5. Quadrag.) *præsumimus*; memores, quod Publicanus, qui cum hac humilitate orabat, licet fuisset peccator, fuit exauditus, ut legitur Lucæ 18. Pharisæus autem, qui superbe, animique sui ostentatione orabat, cum totis operibus bonis fuit reprobatus. Adeo verum est, quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

213. Q. Quænam est ultima conditio Orationis?

℟. Quinta, et ultima conditio est *Perseverantia*. Licet enim quandoque primas nostras preces Deus exaudiat; alias autem ob sua imperscrutabilia judicia non exaudit, nisi post multas preces, post dies, menses, et etiam annos. Et multoties dat perseverantiæ quod primis negat petitionibus, ut accidit Chananeæ (Matth. 15.). Et etiam S. Monica non fuit exaudita pro conversione sui filii Augustini, nisi post triginta annos lacrymarum, et precum. Et ideo Christus (Luc. 18. v. 1.) *Dicit: Oportet semper orare, et non deficere*; et Matth. 7. 7. dicit: *Petite, quærite, pulsate.*

Caput III.

De Horis Canonicis.

214. Q. Quid sunt Horæ Canonicæ?

℟. Sunt preces vocales, quas certæ quædam personæ nomine Ecclesiæ persolvere tenentur ad Deum honorandum. Hæ preces dicuntur *Horæ*, quia statis horis sunt persolvendæ. Vocantur *Canonicæ*, quia per sacros Canones sunt præscriptæ, vel quia persolvuntur a Canonicis, et ab aliis Clericis, qui Canoni Ecclesiæ erant antiquitus adscripti. Et cum hujusmodi preces nomine Ecclesiæ persolvantur, dicuntur *publicæ*, etiamsi privatim, et etiam ab uno tantum dicantur.

215. Q. Horæ Canonicæ appellantur ne alio nomine?

℟. Maxime. Vocantur etiam *Officium divinum*, quia pensum istud precum ad Dei cultum est institutum, et nomine Ecclesiæ persolvitur. Appellantur etiam *Breviarium*, quia est breve, sed admirabile compendium veteris, et novi Testamenti; vel quia Officium, quod nunc recitatur, brevius est antiquo. Et ab Angelico, ut supra, vocantur *assumptio divini nominis in Laudem.*

216. Q. Quot sunt Horæ Canonicæ?

℟. Septem nunc numerantur: Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, et Completorium. Quinam autem sint ad has obligati, quo ritu, quo tempore, quo ordine, quo loco, qua intentione, qua attentione etc. sint recitandæ; qui ab his recitandis excusetur, quæ sint pœnæ contra non recitantes, in Paragraphis sequentibus sigillatim videbimus.

Paragraphus I.

De iis, qui ad Horas canonicas sunt obligati.

217. Q. Undenam oritur obligatio Horas Canonicas recitandi?

℟. Ex triplici titulo, nimirum ex Ordine sacro, ex Beneficio Ecclesiastico, et ex Professione religiosa; Et proinde Clerici in Sacris constituti, Beneficiati (nisi aliter cautum sit in fundatione Beneficii) post adeptam pacificam possessionem sui Beneficii, Regulares etiamsi non constituti in sacris, ac Moniales juxta communem sententiam, ut dicit B. Ligorio (Lib. 4. n. 142.) post factam professionem, et Clerici sæculares post acceptum Subdiaconatus Ordinem, ea ipsa die incipiendo ab illa Hora ex. gr. Sexta, Nona, Vesperis etc. quæ tunc dici solet in Choro, tenentur quotidie et sub gravi ad recitandas Horas canonicas vel in Choro, vel privatim; etiamsi omnes supradicti forent excommunicati, suspensi, degradati, apostatæ etc. Ita ex Cap. *Dolentes* 9. de celebr. Missar. Cap. *Quia* 15. de Rescript. in 6. et Communis.

218. Q. Beenficiatus, qui habet tenue Beneficium, tenetur ne ad Horas Canonicas?

℟. Quamvis aliqui Auctores hujusmodi Beneficiatum excusent, probabilius tamen, et communius non excusatur: quia Beneficium etsi tenue, est verum Beneficium, quod cum sciens et volens Beneficiatus acceptaverit, acceptavit etiam onus, quod Beneficium portat, recitationem scilicet Horarum Canonicarum; eo magis quod S. Pius V. in Extravag. *Ex proximo*, utitur verbis universalibus: *Et qualiacumque Beneficia*, quæ com-

prehendunt etiam minima, quæ tenues habent redditus.

219. Q. Qui omittit recitationem omnium Horarum, quot peccata committit?

℟. Variant Doctores. Aliqui putant, septem gravia peccata committi, quia, ut dicunt, septem Horæ sunt septem distincta præcepta. Alii communius, et verosimilius tenent, unum solum peccatum committi licet gravius, quia totum Officium unius diei cadit sub uno præcepto, ut dicit S. Antoninus, et alii ap. B. Ligorio Lib. 4. n. 148. In confessione tamen tenetur quis explicare, quot Horas omiserit: quia aliam pœnitentiam meretur qui omisit totum Officium, quam qui ejus partem omittit.

220. Q. Quomodo peccat qui partem Officii omittit?

℟. Qui omittit partem notabilem, peccat graviter. Si pars non sit notabilis, peccat leviter. In præfiniendo tamen hanc partem notabilem, variant Doctores. Aliqui dixerunt, quartam partem unius Horæ non esse partem notabilem. Sed hæc non videtur regula certa. Quis enim dicet, omissionem quartæ partis Matutini Dominicalis non esse partem notabilem, nec constituere peccatum lethale?

221. Q. Quæ ergo regula est tenenda?

℟. Juxta communem Doctorum sententiam omissio unius Horæ etsi parvæ, etiamsi sint Vesperæ in Sabbato Sancto, constituit partem notabilem, et proinde peccatum mortale. Et sic declarasse sacram Congregationem Cardinalium legitur apud Ferraris V. *Officium divinum* art. 3. n. 6. Omittere ergo tum in Matutino, quam in aliis Horis partem, quæ æqualis sit uni Horæ,

etiam parvæ, ut esset omissio unius Nocturni, trium Lectionum cum responsoriis, aut alterius partis æquivalentis, erit grave. Omittere minus, erit leve, quia non censetur pars notabilis.

222. Q. Si quis sit dubius, an aliquam Horam, vel ejus partem recitaverit, quid agendum?

℟. Quoad scrupulosos, dico cum B. Ligorio (loco citato n. 150.) non debere repetere; quia dubia in his ut plurimum non sunt vera dubia, sed vanæ apprehensiones. Quoad alios distinguendum. Si habeas justum fundamentum, quod dixeris, puta si recorderis, te incepisse Horam, Psalmum, Lectionem, et similia, quæ incepta ordinarie soles terminare; etiamsi involuntarie distractus postea non recorderis terminasse, excusaris a repetendo, quia prudenter potest credi, etiam tunc terminasse; et præsumptio stat, quod terminaveris.

223. Q. Si hoc prudens fundamentum non adsit, quid agendum?

℟. Tunc repetendum quod dubitas, an dixeris. Ita Communis: quia in dubio possessio stat pro præcepto. Item si dubitas, an dixeris totam Horam, puta Primam, censent Salmaticenses (ap. B. Ligorio supra), quod si sæpius tali dubio labores, potest credi, tale dubium a scrupulis oriri, et proinde non repetendum, nisi moraliter sis certus, non dixisse, præsertim si recorderis dixisse Tertiam, quam dicere non soles, nisi post Primam. Secus, si raro.

224. Q. Quid dicendum de eo, qui Officium recitat cum socio?

℟. Qui recitat Officium cum socio, seu sociis etsi ad officium non obligatis, satisfacit præcepto, ut satisfacit in Choro, dummodo versus, et alia

alternatim recitentur, et attente audiantur ab obligatis; et unus non incipiat, antequam alter terminavit suum versum etc. Quod si non absolutis versibus etc. a socio, incipiat quis suos, peccaret graviter, vel leviter juxta quantitatem verborum, quæ anticipat. Sicut graviter, vel leviter peccaret juxta materiæ quantitatem qui sincopando, mutilando, truncando, glutiendo, seu absorbendo Syllabas Officium recitat, dummodo id non fiat involuntarie, aut ex balbutie, quia tunc non esset peccatum. Ita communiter.

225. Q. Beneficiatus, qui etiam in sacris sit constitutus, quot peccata committit non recitando Horas canonicas?

℟. Etiamsi aliqui sentiant, duo peccata committere, et contra justitiam ratione Beneficii, et contra Religionem ratione sacri Ordinis: nihilominus Salmaticenses cum aliis, quos citat et sequitur B. Ligorio (ibid. n. 145.), probabilius sentiunt, unum peccatum contra Religionem committere; dummodo intendat fructus ob omissam recitationem male perceptos restituere (Vid. infra n. 269.). Nam si peccaret etiam contra justitiam, non posset Ecclesia eximere ab obligatione restitutionis Beneficiatum non recitantem primo semestri. Si autem nollet restituere, ut supra, tunc peccaret etiam contra justitiam; quia retineret alienum, quod justitiæ opponitur.

Paragraphus II.

De continuatione Divini Officii.

226. Q. Potest ne interrumpi recitatio divini Officii?

℞. Interrumpere, seu separare unam Horam ab altera non solum licitum, sed laudabile est ad instar Psalmistæ, qui septies in die laudem Deo dicebat. Interrumpere autem eamdem Horam, vel Psalmum etc. absque justa causa, et per plures horas juxta aliquos esset mortale, nisi tota Hora repetatur. Sed probabilius, et communius, ut dicit Palaus cum aliis, quos citat, et sequitur idem B. Ligorio (supra n. 168.), non peccatur nisi venialiter, secluso scandalo, vel contemptu. Ratio, quia singuli Psalmi, et singuli versus completam habent significationem, et substantia Præcepti Ecclesiastici semper servaretur, licet non servetur modus accidentalis. Si autem adesset justa causa, licita erit ejusdem Horæ, et etiam Psalmi interruptio.

227. Q. Quænam est justa causa hujusmodi interruptionis?

℞. Variæ esse possunt ex præcitatis Auctoribus. Si excipiendæ sint confessiones alicujus, qui difficulter expectaret: si accurrendum sit ad infirmum; si exequendum sit mandatum Superioris; si succurrendum sit indigenti; si eveniat occasio amicum, aut alium salutandi, alloquendi, respondendi; si quid necessarium sit adnotandum, et similia: dummodo tamen, ut bene advertit Gobat; hoc non fiat frequenter.

228. Q. Matutinum potest ne etiam absque causa separari à Laudibus?

℞. Maxime. Ita Communis, ut dicit B. Ligorio. (ibid. n. 167.). Sed cum separantur, dicunt, juxta Rubricam addendum esse *Pater noster*, et aliqui addendam etiam Orationē. Imo dicunt insuper, posse separari etiam Nocturnum a Nocturno, ut fiebat in primitiva Ecclesia, ubi Ma-

tutinum canebatur in tribus Vigiliis noctis, et Laudes in quarta vigilia; et proinde non reprehendendos qui hoc agunt præsertim ob justam necessitatem.

Paragraphus III.

De Qualitate, et Ordine divini Officii.

229. Q. Quale Officium est recitandum?

℞. Ex communi Doctorum sententia quilibet divino Officio obstrictus debet unaquaque die illud recitare juxta præscriptum Breviarii Romani jussu S. Pii V. editi, ac per Clementem VIII., et Urbanum VIII. recogniti, et juxta concessiones a S. Sede factas suæ Diœcesi, Religioni, Capitulo, Ecclesiæ, *exceptis illis Capitulis, et Monasteriis, quæ a ducentis annis fuerint usi alio Breviario*, ut idem S. Pius V. concessit.

230. Q. Qui unum Officium pro alio recitat, satisfacit ne præcepto?

℞. Si absque gravi causa scienter hoc faciat, dico cum S. Antonino, Salmaticensibus, et aliis, quos ipsi citant (ap. Ferr. V. *Officium Divinum* Art. 3. n. 46.), non satisfacere, et proinde peccare mortaliter. Ratio, quia idem Sanctus Pontifex non præscribit Officium divinum in genere, sed secundum formam præscriptam, nimirum de Dominica, de Feria, de tali Sancto etc. et *neminem*, concludit Sanctus in Bulla, quæ incipit *A nobis*, nisi *hac sola forma satisfacere*. Quæ verba videntur, clare improbare sententiam contrariam, eo magis quod Alexander VIII. damnavit Propositionem 34. quæ dicebat: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.*

231. Q. Quare dictum est : *absque gravi causa?*

℟. Quia si gravis causa excusat a recitatione, multò magis licitam reddit Officii commutationem. Hinc si quis ratione infirmæ valetudinis nimis defatigaretur a recitatione Officij currentis, poterit in aliud minus incommodum mutare. Item recitando cum socio infirmo ad ipsius levamen poteris illi te conformare. Si alio pergis, potes recitare Officium illius loci, nisi sis Regularis, aut Canonicus, ut dicetur infra (n. 235.). Item commensalibus, et domesticis Cardinalium, et Episcoporum in Clement. *Dignum* de Cel. Mis. indulgetur posse uti Officio, et Breviario, quo hi utuntur. Vide B. Ligorio cit. Lib. 4. n. 162.

232. Q. Qui inadvertenter unum Officium pro alio recitavit, satisfacit ne?

℟. Si inadvertantia sit inculpabilis, communiter dicunt Doctores, hunc satisfacere, nec teneri ad recitandum Officium currens; non enim præsumendum, quod Ecclesia velit ad duo Officia obligare eum, qui sine culpa est. Consultius autem est, et laudabilius subjungere propria Officii omissi, nempe Lectiones, Antiphonas, Capitula etc. Imo subdit Tournely cum aliis ap. eumdem Beatum (ibid.), quod si dictum sit Officium notabiliter brevius ex. gr. Officium Sancti pro Officio Dominicæ, debet fieri compensatio, recitando novem Psalmos ex primo Nocturno Dominicæ, aut aliter compensare.

233. Q. Si in dicendo Officio advertatur error, quid agendum?

℟. Licet aliqui sentiant posse prosequi Officium inceptum, consultius tamen est, et laudabilius vel totum repetere, vel saltem errorem corrige-

re in residuo Officii prosequendo Officium debitum; compensando brevitatem, ut supra, si adfuit; et repetendo antiphonas, et alia propria Officii currentis. Ita communiter.

234. Q. Si terminato Officio, advertatur, Officium recitatum spectare ad diem sequentem, quid agendum.

℟. Licet aliqui sentiant, die sequenti posse recitari Officium prætermissum, hoc tamen ex Decreto S. R. C. die 17. Junii 1673. certum est non licere, sed recitandum est Officium currens, licet præcedenti die jam sit recitatum. Ratio, quia si errasti heri, non debes errare etiam hodie; et hujusmodi translatio, seu remissio Officii prætermissi esset contra rubricam, quæ tunc translationem permittit alicujus Officii, quando die fixa faciendum est de alio. Item si hodie Lectiones, aut alia, quæ cras sunt dicenda ex errore dixisti, etiam cras easdem Lectiones etc. debes repetere.

235. Q. Beneficiati extra propriam Ecclesiam quale Officium recitare debent?

℟. Si sint Canonici Cathedralis, æque ac Episcopi, jam decisum est a S. R. C. 10. Jul. 1677. quod *etiam absentes tenentur recitare Officium juxta ritum Ecclesiarum, quibus sunt ligati*. Et idem videtur dicendum de aliis Canonicis, et Beneficiatis, qui sunt de gremio alicujus Ecclesiæ ad residentiam obligati. Si autem non sint obligati sicut et alii Clerici non benificiati, et extra propriam Ecclesiam, et Diœcesim causa studii, aut aliis de causis versentur, licet possent recitare Officium propriæ Ecclesiæ; æquius est, ut Officium Diœcesis, et Ecclesiæ, in qua morantur, recitent: quia fortius est vinculum domicilii, quam Beneficii ad residentiam non obligantis. Ex Decreto S. R. C. 12. Nov. 1831. etiam simplices Beneficiati tenentur ad recitationem Officii propriæ Ecclesiæ.

236. Q. Quonam ordine sunt Horæ recitandæ?

℟. Ordo ab Ecclesia præscriptus est, ut recitetur primo Matutinum cum Laudibus, hinc Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, et Completorium, ordine, quo in Breviariis reperiuntur. Inversio tamen hujus ordinis facta sine causa licet ab aliquibus reputetur culpa gravis, communius tamen reputatur culpa levis, secluso contemptu: quia in hac variatione licet violetur ordo ab Ecclesia præscriptus, servatur tamen substantia præcepti.

237. Q. Quare dictum est: *sine causa?*

℟. Quia si rationabilis causa interveniat hunc ordinem variandi, nullum erit peccatum. Hinc si quis ad Chorum veniat, una Hora jam incepta, aut integre finita, licite, et laudabiliter pergit cum aliis de Choro psallere, postea recitaturus Horam, seu partem Horæ omissam. Item si quis non habet in promptu, nec potest commode expectare Breviarium, Lectiones etc. potest dicere Horas minores, si memoriter sciat, aut habeat Diurnum, et hinc Matutinum, Lectiones etc. Ita Communis ap. Ferrar. V. *Officium Divinum* Art. 4. a n. 1. ad 5. Et sic de similibus.

238. Q. Quare dictum est: *secluso contemptu?*

℟. Quia si ordinem quis inverteret, quia ordini ab Ecclesia præscripto non vult se submittere; quia alium ordinem introducere vellet; non excusaretur a mortali. Sicut non videtur excusandus qui absque ulla causa deliberate totum ordinem vellet invertere, recitando. ex. gr. primo omnes Psalmos, hinc omnes Lectiones, omnes orationes etc. vel incipere Horam a fine, et terminare ubi est incipienda, et similia: quia hæc variatio involvit implicitum contemptum ordinis ab Ecclesia præscripti, præsertim si frequenter hoc fiat.

Paragraphus IV.

De Tempore, Loco, Situ, et Voce divini Officii recitandi.

239. Q. Quo diei tempore sunt Horæ recitandæ?

℟. Ad evitandum peccatum mortale sufficit, ut a media nocte ad aliam mediam noctem per integrum persolvantur ex Cap. 1. de Celebr. Miss. Matutinum autem cum Laudibus potest privatim recitari etiam vespere præcedenti ex communi consuetudine ab illa hora, quæ propinquior est ad occasum solis, quam ad meridiem, juxta Tabellas, quæ in Kalendario, seu Directorio cujuscumque Diœcesis reperiuntur impressæ. In Choro autem juxta consuetudinem.

240. Q. Quare dictum est: *ad evitandum peccatum mortale?*

℟. Quia etiam in privata recitatione deberet unusquisque conformare se Choro, Officium recitando mane usque ad Vesperas, et Completorium. Qui autem hunc ordinem inverteret, recitando ex. gr. Vesperas ante meridiem (extra Quadragesimam), et Matutinum protraendo ad horas vespertinas, si faciat cum rationabili causa nullum erit peccatum, si absque justa causa, peccatum veniale. Hic autem advertendum, quod in casu impotentiæ, melius est anticipare, quam postponere juxta illud S. Victoris: *Ante horam orare est prævidentiæ, post horam negligentiæ; in hora Obedientiæ.*

241. Q. Qui vespere præcedenti recitat Matutinum, potest ne recitare etiam Litanias, quæ dicendæ sunt in Festo S. Marci, et Officium De-

functorum, quod dicitur die 2. Novembris?

℟. Quoad Litanias, quæ recitandæ sunt in Festo S. Marci, et in triduo Rogationum, S. R. C. die 15. Junii 1776. respondit, non posse anticipari, sed recitari debere diebus propriis. Quoad Officium Defunctorum autem, quod recitari debet die secunda Novembris, eadem S. R. C. die 4. Septembris 1745. statuit, quod *privata Officii Defunctorum recitatio pro generali illorum Commemoratione absolvi licite potest post vespertinas horas Festi omnium Sanctorum. In Choro autem juxta Rubricas adimplenda est mane die secunda Novembris, nisi ut Populi commodius, et frequentius illi interesse possint, contraria jam faceret, consuetudo.*

242. Q. Sacerdotes celebraturi quando recitare debent Matutinum cum Laudibus?

℟. Ante celebrationem Missæ. Sic statuitur in Rubrica Missalis (Tit. 1. de Præpar. et Tit. X. de Def.), et ab Innoc. IV. (in Constit. edita anno 1254. relata à Tournel. T. 1. p. 635.); ubi dicitur: *Sacerdotes Missas celebrare, priusquam Officium matutinale compleverint, non præsumant.* Ex quibus verbis multi graves Auctores (ap. Ferrar. V. *Matutinum* n. 19.) dicunt, esse peccatum grave celebrare Missam ante recitationem Matutini cum Laudibus. Alii autem communius (ibid. n. 20.) dicunt esse veniale, asserentes, verba Rubricæ, ac Innoc. IV. non esse recepta ut graviter obligantia. Quod si justa adesset causa Missam anticipandi vel ratione Chori, studii, itineris etc. nullum erit peccatum.

243. Q. Ubi, et quo situ recitari debent Horæ Canonicæ?

℟. Privata Horarum recitatio in omni loco ho-

nesto distractionibus non exposito potest fieri, et in quocumque modesto situ, vel stando, vel sedendo, vel genuflectendo. Esset tamen laudabile vel semper flexis genibus, vel cum cæremoniis, quæ in Choro servantur, divinam peragere Psalmodiam. Et ut debitus locus, et situs servetur, meminerit, Clericus, se cum Deo tractare.

244. Q. Qua voce recitandæ sunt Horæ Canonicæ?

℟. Si in Choro, vel cum Socio recitentur, ea voce debent recitari, ut vicissim audiantur. Si autem quis solus eas recitet, licet aliqui sentiant, debere se audire, ut satisfaciat; doctissimus autem Sylvius (cujus doctrinam in multis Bullis Maximopere laudat Benedictus XIV.), cum multis aliis Theologis (Vide B. Ligorio sup. n. 163.) dicit: *Sufficit etiamsi te non audias, quia nullo jure probatur, recitantem Horas teneri ad se audiendum, cum præceptum obliget ad dicendum, et non ad audiendum Horas.*

245. Q. Si te non audis, quomodo verificatur, orationem illam esse vocalem?

℟. Ad hoc ut oratio sit vocalis, non requiritur elatio, seu formatio vocis, aliter non satisfaceret qui recitaret absque vocis sonitu; sed sufficit, ut formetur aliquis sonitus verborum etsi levis, et vix sensibilis, qui semper adest, cum verba proferuntur, etiamsi non clare audiatur. Et hæc est praxis etiam timoratorum, qui de elatione vocis, ut dicit Sylvius, parum sunt solliciti.

PARAGRAPHUS V.

De modo recitandi divinum Officium.

246. Q. Quomodo est recitandum divinum Officium?

℟. *Digne*, *ettente*, et *devote*. Sic legitur in Oratione *Aperi Domine* etc. quæ præmitti solet divini Officii recitationi: *Reverenter*, *distincte*, *devote*; Sic legitur Trident. Sess. 24. Cap. 12. *Studiose*, *et devote*. Sic legitur in Cap. *Dolentes* de Celebr. Missar.

247. Q. Quid indicant præcitata verba?

℟. Verba *digne*, et *reverenter* indicant, divinum Officium recitandum esse reverenti corporis compositione (n. 243.). Verbum *attente* indicat, recitandum esse cum advertentia ad id, quod agitur. *Distincte*, ac *studiose*, ut verba distincte et absque mutilatione proferantur. *Devote*, recitando cum pio mentis in Deum affectu, ut clarius, et diffusius in sequentibus explicabitur quæstionibus.

248. Q. Quid, et quotuplex est attentio?

℟. Attentio est *actus intellectus*, *quo quis advertit ad id*, *quod agitur*. Et Duplex esse potest: Externa, et interna. *Externa* habetur, cum non ponitur actio incompossibilis cum attentione interna, ut esset scribere, fabulari, alios loquentes audire, et similia, et hæc est semper necessaria. Attentio *interna* habetur juxta S. Thomam (2. 2. q. 83. a. 3.), cum attenditur *ad verba*, ne in eis erretur; *ad sensum*, ut quæ legit, intelligat; *ad Deum*, meditando ex. gr. ejus bonitatem justitiam,. mysteria Passionis etc.

249. Q. Attentio *interna* est ne necessaria?

℟. Attentio *ad verba* est semper necessaria, ita

ut si quis non attendat ad verba recte proferenda; et si cum socio, vel sociis recitet, ad verba recte audienda, non satisfaceret. Et hæc attentio ad verba juxta laudatum Angelicum (loc. cit.) potest sufficere, si verba proferantur, et audiantur cum intentione Deum laudandi, et orandi. Nam si materialiter tantum proferrentur, ut faciunt pueri legentes, non sufficeret ad rationem veræ orationis. Vide. S. August. in Psal. 98.

250. Q. Attentio ad *sensum*, et ad *Deum* est ne necessaria?

℟. Etiamsi attentio *ad sensum*, et *ad Deum* sit valde proficua, cum mens variis affectibus bonis possit enutriri, et cum Deo sit magis conjuncta; communiter tamen non reputatur necessaria. Sed ut recitatio divini Officii non sit satisfactoria tantum, sed etiam meritoria, enitatur unusquisque non solum cum attentione *ad verba*, sed etiam cum attentione ad sensum, aut saltem *ad Deum* suam peragere recitationem.

251. Q. Quid opponitur attentioni?

℟. Opponitur distractio, seu evagatio mentis in extraneis cogitationibus, quæ potest esse, vel voluntaria in se, ut cum quis sciens, et volens illis extraneis cogitationibus mentem pascit, vel voluntaria in causa, cum scilicet hujusmodi distractionibus datur occasio, vel evagatione sensuum, vel officium sponte recitando in loco distractionibus subjecto, vel aliis modis. Et qui sic est voluntarie distractus, juxta probabiliorem, et communiorem sententiam recitationis præcepto non satisfacit: quia hujusmodi recitatio non esset oratio, sed orationis simulatio, quam Christus detestatur Matth. 15. 8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

252. Q. Quid dicendum de distractione involuntaria ?

℟. Si distractio sit prorsus involuntaria, vel non plene advertatur, et displiceat, nec sponte admittatur, et invitus illam quis patiatur, et repellat, juxta S. Thomam (ibid.) *in veritate orat*, non peccat, et satisfacit, nec tenetur repetere quæ sic involuntarie distractus recitavit. Et qui hujusmodi distractionibus est subjectus, sensus sedulo custodiat, mysterium aliquod passionis sibi repræsentet, in principio cujuscumque Psalmi, vel Lectionis attentionem renovare assuescat, et alia hujusmodi, quæ sibi prodesse aliquis experitur.

253. Q. Cum qua intentione recitandum est divinum Officium ?

℟. Cum intentione saltem *implicita*, et *virtuali* Deum laudandi, placandi, orandi, eique gratias agendi. Dixi : *implicita*, et *virtuali* : quia non est necesse, ut *explicite*, et *actualiter* quis dicat : *Volo Deum laudare* etc. Sed sufficit, ut quis ad satisfaciendum suæ obligationi Breviarium assumat, vel ad Chorum se conferat, et attente Officium recitet. Hæc saltem implicita attentio necessaria est, quia cum lectio Breviarii indifferens sit ad orationem, et studium ; ut adorationem referatur, intentione determinetur, oportet.

Paragraphus VI.

De Causis excusantibus a recitatione Divini Officii.

254. Q. Quænam sunt causæ excusantes a recitatione divini Officii ?

℟. Quatuor communiter assignantur a Theologis, scilicet infirmitas, repentina occupatio, impotentia, et dispensatio.

255. Q. Quænam infirmitas excusat a recitatione divini Officii?

℟. Est infirmitas gravis, ob quam infirmus, vel convalescens post gravem infirmitatem nequit recitare divinum Officium absque læsione suæ salutis, vel sine gravi incommodo, vel incremento morbi, vel sine periculo talis incommodi, vel incrementi. Ita ex C. *Clericus* 2. dist. 91. sentiunt communiter Theologi. Infirmitas autem levis, ut modicus dolor capitis, stomachi, pectoris etc. vel levis febris tertiana, vel quartana, quæ non solet tota die perdurare, et quæ relinquit tempus pro recitatione, vel anticipatione divini Officii non excusat, dummodo hæ febres ita vires non extenuent, ut absque gravi incommodo Officium nequeat recitari.

256. Q. Quid dicendum in dubio, an infirmitas sit gravis?

℟. Tali casu potest quis se committere judicio medici ex C. *Fraternitatis de frigid. et mal.* aut judicio Superioris; et horum defectu judicio viri prudentis, et in defectu etiam judicio proprio. Quod si dubium adhuc perseveret, an recitatio graviter lædat, tunc non tenetur recitare: quia non est credendum, piam matrem Ecclesiam suos filios notabili, et probabili periculo exponere velle, præsertim si is alia sua gravia, et molesta negotia ob illam infirmitatem tractare nequeat. Vide B. Ligorio Lib. 4. n. 154. et 155.

257. Q. Quid in dubio, an aliqua saltem pars Officii possit recitari?

℟. Si infirmitas sit gravis, ad nihil tenetur,

ut supra n. 255. ne scrupulis quis agatur, nesciens quousque possit, et teneatur recitare. Si autem infirmitas non sit adeo gravis, vel de gravitate dubitetur, et possit infirmus aliquam partem sine gravi incommodo recitare, illas Horas recitet, quæ minus incommodum afferunt, præsertim si infirmus ille possit etiam per magnam diei partem aliquem librum legere ad sui animi solamen, quin incommodum ullum experiatur. Vide n. 262.

258. Q. Quænam *repentina occupatio* ab Officio recitando excusat?

℟. Illa, quæ sit gravis, et honesta, quæ nec differri, nec ommitti queat absque gravi scandalo, vel notabili detrimento proprio, vel alieno: ut qui vocatus ad moribundum, ad sedanda jurgia, ad pacem componendam, aliaque Religionis, aut charitatis Officia exercenda, si tempus postea non suppetat ad recitandum vel in totum, vel in partem divinum Officium, excusaretur: quia quando majus urget præceptum, minus cessat. Ita communiter. Sed qui hujusmodi occupationes posset prævidere, teneretur anticipare Officium.

259. Q. Quænam *impotentia* excusat?

℟. Quæcumque, quæ sit vera impotentia, sive physica sit, vel moralis. Communis argum. ex Leg. *Impossibilium* 185. etc. Hinc cæcus, vel qui absque culpa caret Breviario, excusatur a recitanda illa parte divini Officii, quam memoriter non tenet, vel legere non possit ex diurno, si habeat. Item si careat Breviario Romano, et habeat aliud ex. gr. Benedictinum, hoc casu illo utatur. Item qui Officium proprium habere non possit, dicat de Communi: quia unusquisque tenetur servare illam formam, quam potest.

260. Q. Qui solus non potest recitare posset autem cum socio, tenetur ne adhibere?

℟. Si sit Beneficiatus, probabilius tenetur; quia non solum ex virtute Religionis, sed etiam ex justitia tenetur is recitare, ut fructus faciat suos, et Beneficium datur propter Officium, ad quod illo modo, quo potest, tenetur. Dicit autem B. Ligorio (Lib. IV. n. 158.), quod qui bona fide socium non adhibuit, fructus posset retinere. Si autem non sit Beneficiatus, communiter dicunt Auctores, quod si solitus sit uti socio, vel commode possit illum habere, vel sponte ille se offerat, ob eamdem rationem teneatur, aliter non.

261. Q. Qui potest dispensare in Officio?

℟. Cum recitatio Officii sit de jure Ecclesiastico, potest Papa cum omnibus, et etiam Beneficiatis dispensare, et non solum per Urbem, sed etiam per Orbem: Communis. Episcopi autem, et Superiores Regulares quamvis jure ordinario non valeant, quia inferior per se loquendo non potest relaxare Legem Superioris, ut dictum est Lib. 1. n. 153, ex Epicheja tamen dicunt Auctores, ex justa, et rationabili causa valide, et licite posse cum aliquo suo subdito particulari ad breve tempus dispensare; at etiam Vicarium Generalem, si mandatum speciale habeat ab Episcopo. Vide eumdem Beatum supra n. 159.

262. Q. Circa hanc materiam sunt ne aliquæ Propositiones ab Ecclesia proscriptæ?

℟. Maxime. Ab Alexandro VII. proscripta fuit hæc 21. *Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.* Et Innocentius XI.

damnavit hanc 54: *Qui non potest recitare Matutinum, et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur: quia major pars trahit ad se minorem.* Ex quibus damnationibus constat, non excusari ab Officio recitando qui studio vacat; et qui non potest totum, illam partem, quam potest, recitare debere.

Paragraphus VII.

De Officii recitatione in Choro.

263. Q. Quid addendum circa Officium pro Canonicis, aliisque Choro addictis?

℟. Quod hi omnes non solum teneantur Officium recitare, ut cæteri Beneficiati, sed tenentur sub gravi ad publicam in Choro decantationem; et ea, qua decet reverentia, pietate, attentione, ac vigilantia, omnino canere, vel alta voce, ut melius possunt, psallere cum cæteris: aliter non modo distributiones quotidianas amittunt, sed nec faciunt fructus suos ex præbendis, quas possident, et ad restitutionem tenentur. Sic statuitur a Benedicto XIV. in Brevi, quod incipit *Præclara*, edito 19 Januarii 1748. Si autem Divina a musicis cantentur, sufficit si Canonici submissa voce recitent.

264. Q. Canonici etc. semper ne ad hanc publicam recitationem tenentur?

℟. Tridentinum (Sess. 24. Cap. 12. de Refor.) permittit Canonicis, cæterisque Choro addictis, ut quolibet anno possint a propriis Ecclesiis abesse per tres menses, idest nonaginta diebus sive continuis, sive interpolatis, ut decisum fuisse a S. C. Concilii refert Fagnanus (in Cap. *Li-*

cet 35. de Præb. n. 54. *et* 55.); dummodo statuta Ecclesiæ tantam permittant absentiam: quia aliter standum est Ecclesiæ statutis. Hæc autem absentia, seu vacatio non potest accipi eodem tempore, nisi a tertia parte Canonicorum, nec in Adventu, Quadragesima, Natali, ac Paschate Domini, cæterisque præcipuis anni solemnitatibus, ut decrevit S. C. Concilii 12. Jul. 1621. 21. Jul. 1640. Et si Canonici etc. exeant a Diœcesi, debent faccre de licentia Episcopi, ut ex eadem S. C. 9. Maj. 1626.

265. Q. Quid inde sequitur?

℟. Sequitur, quod excepto hoc trium mensium spatio, ut supra, omnes Choro addicti tenentur ad hanc publicam recitationem; ita ut qui hanc omiserint, ac cum aliis, ut supra, non psallant; et graviter peccent, et distributiones quotidianas non lucrentur, *quavis consuetudine non obstante*, ut resolvit S. C. Conc. 8. Jun. 1626.; fructus non faciant suos; et in conscientia ad restitutionem tenentur (n. 263.), nisi legitime excusentur; aut per paucos dies ultra tres menses absint, ex quadam declaratione S. C. quæ refertur ap. B. Ligorio (Lib. 4. n. 129.), aut speciale habeant indultum.

266. Q. Qui excusantur ab hac publica recitatione?

℟. Primo Canonicus Theologus pro illo die, quo legit, vel concionatur: quo die reputatur ut præsens in Choro, et lucratur distributiones quotidianas. Ita S. C. Concili 5. Aug. 1616. etc. Secundo Canonicus Pœnitentiarius, qui ex Tridentino (Sess. 14. Cap. 8.) *dum confessiones audit in Ecclesia, interim præsens in Choro censetur*; et non solum lucratur distributiones quo-

tidianas, sed etiam illas eleemosynas, quæ distribuuntur pro associandis, et sepeliendis cadaveribus, pro supplicationibus, processionibus, quæ per urbem aguntur. Ita S. C. Conc. 4. Sept. 1591. Et idem dicendum de illo Canonico, qui in locum Pœnitentiarii ab Episcopo subrogatur, ut ex decreto S. C. Conc. 10. Mar. 1635., et de illis Canonicis, qui de mandato Superioris Pœnitentiarium in magno concursu adjuvant, ut ap. B. Ligorio Lib. 4. n. 131. et etiam de Canonico Curato, qui tempore divini Officii opera sui muneris exercet, ut ex Decreto S. C. Conc. 13. Febr. 1639.

267. Q. Qui præterea ab hac publica recitatione excusantur?

℟. Canonici docentes Theologiam, Jus Canonicum, Sacram Scripturam in Scholis publicis, non autem privatis ex Tridentino (Sess. 5. Cap. 1. in fine), et Cap. fin. *de Magistris*. Quod aliqui Auctores extendunt etiam ad docentes Grammaticam, et Logicam, quia, ut ajunt, hæc studia necessario præmittenda sunt ad Theologiam addiscendam. Secundo Canonici illi, qui de consensu Episcopi in aliqua publica Universitate studio Theologiæ, vel Juris Canonici per quinquennium vacant. Trident. et Cap. fin. *de Magistris* supra.

268. Q. Sunt ne alii, qui excusari queant?

℟. Ex concessione Bonifacii VIII. (in Cap. unic. de Cleric. non resid. in 6.) excusantur etiam qui *infirmitate*, *rationabili corporis*, *necessitate*, *et evidenti Ecclesiæ utilitate* impediuntur. Quæ autem sit infirmitas, corporis necessitas, et Ecclesiæ utilitas, quæ excuset, vide Lib. III. ubi loquetur de Canonicis a n. 117.

ad 120. et vide alios Theologos, et præsertim B. Ligorio Lib. IV. n. 130.

Paragraphus VIII.

De Pœnis Horas non recitantium.

269. Q. In quas pœnas incurrit qui Officium divinum non recitat?

℟. Si obligatus Officio non sit Beneficiatus, licet graviter peccet, si culpabiliter Officium omittat, in nullam tamen pœnam incurret. Si autem sit Beneficiatus *sive cum Cura*, *sive sine Cura* (ut in Const. 7. Leonis X. emanata in Conc. Lateran. Sess. 9. et Const. 135. S. Pii V. *Ex proximo*), *transactis sex mensibus post pacificam possessionem*, *si uno*, *aut pluribus diebus Horas canonicas intermiserit*, *cessante legitimo impedimento*, *omnes Beneficiorum fructus*, *qui illi*, *vel illis diebus respondent*, *si quotidie dividerentur*, *tamquam injuste perceptos*, et etiam *ante Judicis sententiam*, ut constat ex Prop. 20. damnata a S. Pio V. *in conscientia pro rata omissionis restituere debet.*

270. Q. Quare dictum est: *transactis sex mensibus post pacificam possessionem?*

℟. Quia primis sex mensibus licet graviter peccaret, culpabiliter Officium omittendo, ad restitutionem tamen non teneretur. Dictum est etiam: *legitimo cessante impedimento:* quia si a recitatione divini Officii legitime excusaretur, ut supra explicatum est n. 254. et sequentibus, restituere non tenetur. Dictum est etiam: *pro rata omissionis*: quia ea pars fructuum Beneficii restitui debet, quæ respondet diei, qua Beneficiatus

vel in totum, vel ex parte Officium culpabiliter non recitavit.

271. Q. Quomodo hæc rata mensurari debet?

℟. Hoc modo: pro omissione totius Officii omnes fructus diei respondentes sunt restituendi. Pro solo Matutino cum Laudibus dimidium fructuum; pro reliquis Horis aliud dimidium: pro qualibet parva Hora sexta pars eorumdem fructuum. Sic ex citata Const. S. Pii V. Hinc si ex uno, vel pluribus Beneficiis percipiat quis quotidie duodecim ex. gr. carolena, si totum Officium culpabiliter omittat, duodecim carolena restituere debet; si omittat Matutinum cum Laudibus, sex: si omittat quamlibet ex cœteris Horis, sextam partem, idest unum carolenum restituere deberet.

272. Q. Parochi tenentur ne ad hanc restitutionem?

℟. Maxime: in citata Constitutione Leonis X. (n. 269) legitur: Beneficiatus *cum Cura*, *sive sine Cura*. Cum autem Parochi, aliique Pastores animarum præter divinum Officium alia onera adnexa habeant suis Beneficiis, possunt retinere tertiam, vel quartam partem fructuum, quæ respondet aliis oneribus, quæ cura animarum secum fert, ut sentiunt Salmaticenses cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 3. n. 673.): quia Parochi non solum pro Officio, sed etiam pro aliis oneribus fructus percipiunt, nec æquum est, qui partem præstitit laboris, stipendii partem retinere non valeat. Et in hoc sensu citati Theologi testantur, interpretandam, et receptam esse citatam Constitutionem S. Pii V.

273. Q. Qui recitat, sed voluntarie distractus, tenetur ne ad restitutionem?

℟. Si per notabilem Officii partem sit voluntarie distractus, tenetur: quia cum quis est voluntarie distractus, juxta probabiliorem, et communiorem sententiam præcepto non satisfacit, ut supra n. 251. et proinde sequitur, ad restitutionem teneri. Sed cum plures Doctores non levibus fundamentis innixi asserant, non constare adesse præceptum de attentione interna in recitatione divini Officii, dicit B. Ligorio (Lib. 4. n. 177. circa fin.), se non *audere ad restitutionem damnare Beneficiatum, qui bona fide cum voluntaria distractione Officium recitasset, et bona fide pariter fructus percipisset.*

274. Q. Cui facienda est hæc restitutio?

℟. Ex citata Constit. S. Pii V. (n. 269.) impendenda est Beneficii fabricæ, idest, ut explicant Doctores, vel reficiendo domus, vel agros Beneficii meliorando, aut erogari potest pauperibus, vel sibi ipsi, si Beneficiatus vere pauper sit. At, si in fraudem divinum Officium omiserit, sciens, posse ob paupertatem sibi fructus retinere; tunc non posset sibi applicare, ut bene advertunt Palaus, et Viva ap. B. Ligorio Lib. 3. n. 672. Et posset etiam erogare suffragando animas Purgatorii celebratione Missarum, aut alias etc.

275. Q. Hæc restitutio potest ne suppleri eleemosynis factis, vel faciendis?

℟. Cum eleemosynis factis negative: quia quando Beneficiatus has facit eleemosynas, nondum restitutionis debitum contraxit. Et oppositum damnatum fuit ab Alex. VII. prop. 33. At si Beneficiatus post culpabilem omissionem eleemosynas effecerit, licet immemor suæ obligationis, valde probabile est, ut multi Theologi asserunt, hu-

jusmodi subsecutivas eleemosynas computari posse in debitam restitutionem : quicumque enim eleemosynam facit, creditur implicitam intentionem habere, obligationibus, si quas habent, adimplendi.

276. Q. Sunt ne aliæ pœnæ Canonicis etc. non recitantibus ?

℟. Canonici, cæterique Choro addicti tam in Cathedrali, quam in Collegiata, si culpabiliter non recitent, aut non psallant, ut n. 263. non modo subjiciuntur supradictis pœnis, et amittunt distributiones quotidianas, ut ibi; sed insuper si ultra tres menses taliter non psallant, ex Tridentino (Sess. 24. Cap. 12. de Reform.), primo anno privari debent dimidia parte fructuum, quos ratione residentiæ fecerunt suos; secundo anno omnibus fructibus eodem anno lucratis; et crescente contumacia, juxta Sacros Canones puniantur, idest titulo Canonicatus priventur, ut teste Fagnano (in C. *Licet* de Præb. n. 26.) plurimis Episcopis fuit rescriptum.

ARTICULUS II.

De Vitiis Religioni oppositis.

277. Q. Quot sunt vitia Religioni opposita ?

℟. Sunt duo : unum *per excessum*, et dicitur *Superstitio*, quæ deinde dividitur in *Idolatriam*, *Divinationem*, et *Vanam observantiam*, quæ pariter subdividitur, ut infra. Aliud vitium est *per defectum*, et vocatur *Irreligiositas*, quæ deinde dividitur in *Blasphemiam*, *Tentationem Dei*, *Sacrilegium*, *Perjurium*, et *Si-*

moniam, de quibus omnibus in sequentibus Capitibus, et Paragraphis peragetur.

Caput I.

De Superstitione ejusque speciebus.

278. Q. Quid est *superstitio*?

℟. Superstitio, ut definitur a S. Thoma (2. 2. q. 92. a. 2.), *est falsa Religio, seu cultus vitiosus veri, aut falsi Numinis.* Et hæc exercetur *exhibendo cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet.* (S. Thomas ibid. a. 1.). *Eo modo, quo non debet*, quando prædicantur miracula, visiones, revelationes, quæ non sunt veræ; quando exponuntur Reliquiæ falsæ; quando quis nollet celebrare, vel Missam audire nisi cum certo numero, situ, ordine candelarum, et similia. Vel *exhibendo cui non debet*, et fit per Idololatriam etc. ut supra.

279. Q. Quid est *Idololatria*?

℟. Est species Superstitionis, qua cultus, qui soli Deo debetur, tribuitur creaturæ. Hæc autem Idololatria erit *perfecta*, seu *formalis*, cum quis creaturam, quam falso putat esse Deum, adorat. Et hæc Idololatria includit etiam Hæresim Papæ reservatam, ut diximus supra n. 43.

280. Q. Quænam est alia species Idololatriæ?

℟. Est *simulata*, seu *materialis*, quando quis creaturam adorat, non quia reputat ut Deum, sed metu persecutionis, tormentorum, mortis etc. Erit *imperfecta*, cum quis ex pravo affectu erga Deum, vel desiderio aliquid a Dœmone obtinendi adorat creaturam, etiamsi sciat, in ea non adesse Divinitatem. Cujuscumque modi sit Idolo-

latria, semper erit peccatum grave.

281. Q. Quid est *Divinatio?*

℟. Est species Superstitionis, qua ope Dœmonis expresse, vel tacite invocati quærit quis noscere res contingentes, et libere futuras, aliterque occultas, et naturaliter incognoscibiles. Si Dœmon expressis, et explicitis verbis invocetur, erit peccatum gravissimum, et in omnibus fere Diœcesibus cum censura reservatum. Si quis autem ad cognoscenda futura utatur mediis nullam vim habentibus neque naturaliter, neque ex instituto divino, vel Ecclesiæ, ut cum quis ad furem resciendum utatur cribri circumductione, et hujusmodi mediis ineptis, et vanis dicitur invocatio tacita; et nisi ignorantia, vel simplicitas excuset, erit pariter peccatum grave.

282. Q. Divinatio habet ne suas species?

℟. Plures sunt species Divinationis, et præsertim *Necromantia*, *Astrologia judiciaria*, et *Sortilegium*; quæ videri poterunt apud Auctores, et præsertim apud B. Ligorio (Lib. 3. n. 5. etc.); sicut de *Virga divinatoria*, et *de Somniis*, quæ si constet certo, vel probabiliter venire a Deo, potest, imo debet credi. Si autem somnia non sint a Deo, sed a Dœmone, vel naturaliter eveniant, non licet eis credere absque peccato: somnia enim nullam habent connexionem cum iis, quæ debent evenire.

283. Q. Quid est *vana Observantia?*

℟. Est species Superstitionis, qua ad effectum aliquem obtinendum adhibentur media vana, improportionata, non instituta nec a Deo, nec ab Ecclesia. Ut qui ad scientiam de repente obtinendam utitur inspectione certarum figurarum, potione, jejuniis etc. Qui ad curandos morbos,

ad occisionem evitandam, ad conciliandum amorem, odium etc. utitur quibusdam characteribus, signis, ligaturis, et similibus: Qui timet aliquid infaustum sibi obventurum, quia occurrit cum tali persona, quia domo egrediens, in saxum impingit, et sexcenta alia. Et hæc vana observantia ex genere suo est peccatum mortale, nisi simplicitas, et ignorantia excuset. Communis.

284. Q. Quid reducitur ad vanam Observantiam?

℟. Reducitur 1.° *Magia superstitiosa*: cum quis ope dœmonis intendit mira facere, ut faciebant Magi in Egypto. Dixi: *superstitiosa*: quia *Magia naturalis*, qua mira operantur per causas naturales imperitioribus occultas, hæc non est prohibita: 2.° *Maleficium*, cum quis ope dœmonis intendit alteri nocere: 3.° *Veneficium*, cum quis de facto personæ; vel ejus bonis damnum infert. Hæc maleficia alio maleficio tolli non possunt, sed vel mediis naturalibus, vel exorcismis, oratione, jejuniis, Sacramentis, aliisque pietatis operibus; et malefici non sunt absolvendi, nisi omne pactum cum Dœmone dissolvant, et abjurent; nisi signa, et instrumenta magicæ artis comburant, vel tradant; et nisi damna illata omnino resarciant. Communis.

CAPUT II.

De Irreligiositate.

285. Q. Quid, et quotuplex est *Irreligiositas*?

℟. *Irreligiositas*, quæ *per defectum*, ut diximus, Religioni opponitur, est peccatum, quo Deus in se, vel in rebus sacris inhonoratur. Quin-

que autem sunt species Irreligiositatis, *Blasphemia* nempe, *Tentatio Dei*, *Sacrilegium*, *Perjurium*, et *Simonia*, de quibus in sequentibus Paragraphis.

PARAGRAPHUS I.

De Blasphemia, et Dei tentatione.

286. Q. Quid, et quotuplex est *Blasphemia*?

℟. *Blasphemia* est contumeliosa locutio in Deum, vel etiam in Sanctos, et res sanctas. Et alia est hæreticalis, alia simplex. *Hæreticalis* est locutio contumeliosa, quæ aliquem errorem contra Fidem continet; ut qui vocaret Deum *injustum, crudelem, tyrannum*; vel negaret esse *sanctum, omnipotentem*; *providum, bene omnia facere*; vel diceret, dœmonem *fideliorem*, vel *plus posse, quam Deum*; et similia. Et si quod ore profertur, corde etiam credatur, esset blasphemia hæretica, et Papæ reservata, et incurreret in pœnas contra hæreticos latas, ut supra n. 47. et 48. Et qui aliquam hæreticalem blasphemiam proferre audit, aut alio modo novit, infra mensem denunciare debet hujusmodi blasphemum, ut n. 32. 33. dictum est.

287. Q. Quænam est Blasphemia *Simplex*?

℟. Est quando illa verba contumeliosa nullum contra Fidem continent errorem; ut quando Judæi Christum convicïantes, dicebant (Matth. 27. v. 40.): *Vah! qui destruis templum Dei*, qui diceret: *Velit, nolit Deus, hoc facio*; *Maledictus Deus, S. Petrus*; *non credo Deum, si meum inimicum non puniat*; *ad despectum Dei* (vulgo *a dispetto di Dio*) *volo hoc facere*; *Pereat Deus*; qui ex ira, aut odio vocaret ali-

quem Sanctum *impudicum*, *blasphemum* etc. qui diceret: *Mannaggia Cristo*, la *Madonna*, *S. Marco*, et consimiles locutiones. Communis.

288. Q. Sunt ne aliæ *Blasphemiæ* simplices?

℟. Maxime, ut quando quis malediceret pluviæ, ventis, grandini etc. ut Dei creaturis, vel ut a Deo immissis (vid. sup. n. 153.), vel addito nomine *Dei*; ut cum quis diceret: *Mannaggia questo fuoco di Dio* etc. Item qui malediceret Cœlo, Terræ, Mundo, Fidei Christianæ, animæ nostræ, et aliis creaturis, in quibus maxime relucet divina bonitas, potentia etc. Et ad hanc simplicem blasphemiam reducuntur quædam actiones, vel gestus contra Deum, Sanctos etc. ut qui in motu iræ spueret in Cœlum, Crucifixum etc. vel lapidem impingeret in sacram Imaginem, et similia. Communis.

289. Q. Quale peccatum est Blasphemia?

℟. Ex genere suo est peccatum mortale, et plerumque reservatum in omnibus Diœcesibus. Imo si proferatur cum prava intentione Deum conviciandi, duplex erit peccatum et contra Religionem, et contra Charitatem Deo debitam. Dixi: *ex genere suo*: quia qui verba illa contumeliosa ex vehementissima passione usum rationis pervertente, inadvertenter, ac indeliberate proferat (vide supra Lib. 1. n. 257. etc. 267. etc.), vel nullum, vel leve peccatum erit: dummodo in has blasphemias non erumpat ex pravo habitu, quem negligit serio retractare; quia tunc non excusaretur a gravi: qui enim *ex habitu peccat*, *peccat ex certa malitia*, ut ait Angelicus (1. 2. q. 78. a. 2.).

290. Q. Dicere *Per Dio*, *per S. Pietro* etc. est ne Blasphemia?

℟. Si dicatur causa affirmandi, vel negandi aliquid, erit juramentum (n. 402.). Si autem absque ulla affirmatione, vel negatione illa verba proferantur, sed ex motu iræ, ut toties a perversis hominibus auditur, hunc casum apud Auctores Morales non inveni. Solum apud Habert in Compendio suæ Theologiæ Cap. 5. de Religione inveni: *Ergo qui ex quodam iræ, aut impatientiæ impetu nomen Dei proferunt absque ulla negatione, vel affirmatione, proprie non jurant, sed potius blasphemant.* Hæc ille. Idipsum sentit Togni (P. 2. Cap. 1. §. V.), et idipsum Congregatio Theologorum Cardinalis Corsini, qui tunc erat Episcopus Sabinensis.

291. Q. Maledicere Mortuis est ne Blasphemia?

℟. Si quis intendat animas mortuorum maledicere, procul dubio erit blasphemia (n. 288.). Si autem absque hac prava intentione mortuis maledicat, cum hæc vox *Mortui* aliud in se non significet, quam *Cadavera*, non blasphemia, sed levis tantum maledictio erit, ut mordicus defendit B. Ligorio (Lib. 3. n. 130.). Imo ordinarie loquendo qui mortuis maledicit, non cum intentione mortuis maledicendi, sed potius vivis, cum quibus irascitur, intendit exprobrare. Confessarii, et Prædicatores curent super hoc rudes instruere, ne ex conscientia erronea credant, hoc esse peccatum mortale.

292. Q. Quid est Tentatio Dei?

℟. Est dictum, vel factum, quo quis explorare indendit, an Deus sit potens, sapiens, misericors, aut aliquam habeat perfectionem. Ita ex S. Thoma (2. 2. q. 92. a. 1.). Ea duplex est, formalis, et virtualis. *Formalis* est, quando quis expresse

dubitans de aliqua Dei perfectione, eam experiri cupit: ut si quis ex turri se præcipitet, ut experiatur, an Deus sit omnipotens, aut misericors ad se liberandum. Hæc est gravissimum peccatum triplicem includens malitiam; contra Fidem ob dubitationem, contra spem ob præsumptionem, contra Religionem ob irreverentiam.

293. Q. Quid est Tentatio *virtualis?*

℟. Tentatio *virtualis*, seu *interpretativa* est, quando quis etiamsi non intendat Deum expresse tentare, id tamen petit, vel agit, quod sua natura ad Deum tentandum refertur: ut si quis in morbo periculoso medicinam respueret, petens, vel sperans a solo Deo sanitatem. Etiam hæc *interpretativa* tentatio juxta probabiliorem est peccatum mortale, dummodo ignorantia, inconsiderantia, vel parvitas periculi non excuset; imo nullum peccatum, si ex Dei instinctu, ut aliquoties aliqui pii viri; vel ex necessitate id agatur; vel ideo medicinas respuit, ut se mortificet, secluso tamen periculo mortis. Vide B. Ligorio supra n. 30. etc.

Paragraphus II.

De Sacrilegio, et Perjurio.

294. Q. Quid, et quotuplex est Sacrilegium?

℟. Sacrilegium est violatio rei sacræ quod ex genere suo est peccatum mortale; et est triplex, personale, locale, et reale. Sacrilegium *personale* committitur, cum persona Deo sacrata violatur. Ut qui violentas manus in Clericum, vel Religiosum infert eum occidendo, mutilando, percutiendo, aut alia atroci injuria illum afficien-

do contra privilegium Canonis. 2.° Cum persona sacra votum castitatis habens peccat, vel desiderat peccare contra castitatem; aut aliæ personæ peccent, aut cupiunt cum ea peccare contra dictam virtutem. 3.° Cum quis sibi usurpat jurisdictionem contra personas Ecclesiasticas, ipsas ad Tribunalia sæcularia indebite trahendo, incarcerando, et hujusmodi contra privilegium fori, et exemptionis; vel ipsas ad vectigalia obligando extra casum necessitatis. Communis.

295. Q. Quando committitur Sacrilegium *locale*?

℟. Committitur per omnia, quæ fiunt contra sanctitatem loci sacri, idest Ecclesiæ Deo consecratæ, Cæmeterii, Oratorii publici (non autem privati), Monasterii, Xenodochii, si Episcopi auctoritate sint erecta. Ut sunt destructio maliliosa Templi, vel Altaris; voluntaria, et culpabilis occisio hominis, vel injuriosa effusio sanguinis humani intra Ecclesiam licet causata ab existente extra Ecclesiam; peccaminosa effusio seminis humani, et juxta probabiliorem quicumque actus externus graviter luxuriosus; notoria sepultura excommunicati vitandi, vel non baptizati etiamsi infantis, qui sit jam natus; omnis actio judicialis præsertim criminalis; et etiam negotiatio, mercatura, seditio, etc. Communis. Vide apud Goritiam (Tab. 35.), sacros Canones hæc omnia prohibentes.

296. Q. Sacrilegium locale committitur ne aliis modis?

℟. Committitur hoc sacrilegium etiam per furtum, cum scilicet, ut declaravit Joannes VIII. in Cap. *Quisquis* 21. caus. 17. q. 4. cum quis furatur *sacrum de sacro* ex. gr. Calicem, Pla-

netam etc. ab Ecclesia; *non sacrum de sacro*, ex. gr. pecunias, aut aliud profanum in loco sacro depositum; *sacrum de non sacro*, ex. gr. Calicem, Pixidem etc. extra Ecclesiam in loco non sacro. Et denique committitur hoc *locale* sacrilegium per violentam extractionem e loco sacro illorum reorum, qui Ecclesiastica gaudent immunitate.

297. Q. Quare dictum est: *Qui ecclesiastica gaudent immunitate?*

℟. Quia sunt aliqui rei, qui cum non gaudeant ecclesiastica immunitate, eorum extractio e loco sacro non erit sacrilega. Et hi sunt 1. *hæretici*, qui propter hæresis crimen ad Ecclesiam confugiunt. 2. *Falsificantes Literas Apostolicas*. 3. *Assassinii*, *publici latrones*, *grassatores viarum*. 4. Qui aliquem occidunt vel in locis sacris, vel proditorie, vel animo præmeditato, vel in duello. 5. Rei læsæ Majestatis. 6. Inferentes vim, vel extrahentes e loco sacro qui ad illum confugerunt. 7. Ministri furtum committentes in Montibus Pietatis, aut alterius publici banchi, si locus sit pœnæ ordinariæ. 8. Depopulatores, et vastatores vinearum, agrorum etc. 9. Denique conflantes, adulterantes, vel detondentes monetas; vel qui has monetas taliter falsificatas etc. scienter expendunt. Vide textus hæc omnia prohibentes apud a Goritia (Tab. 37.)

298. Q. Quando committitur Sacrilegium *Reale?*

℟. Committitur 1.° cum invalide, ficte, vel in statu peccati mortalis Sacramenta administrantur, vel recipiuntur. 2.° Cum violantur, aut indigne tractantur Sanctorum Reliquiæ, aut sacræ Imagines, et eo magis SS. Eucaristia, sacra Olea

etc. 3.° Cum vasa consecrata, sacræ vestes, et alia benedicta ad usus profanos adhibentur, vel reducuntur. 4.° Cum quis abutitur verbis sacræ Scripturæ ad stabiliendas hæreses, ad superstitiones, ad res turpes, ad detractiones, ad libellos famosos, ad fabulosa, ad scurrilia, et hujusmodi. 5.° Cum læduntur jura Ecclesiæ, vel bona illa, quæ pertinent ad ornamentum Ecclesiæ, vel ad sacrorum ministrorum sustentationem sunt deputata. 6.° Denique cum sacra vasa, et alia ad Sacrificium spectantia, ut sunt Corporalia, Purificatoria, Albæ etc. valde immunda manuteneatur. Communis.

299. Q. Quando *Perjurium* committitur?

℟. Quando juratur ut verum quod creditur falsum, aut dubium. *Perjurium* est semper peccatum mortale: quia gravis irreverentia in Deum committitur adducendo eum in testem falsitatis; quasi Deus vel veritatem nesciat, vel velit, aut possit decipere testando falsum. Et hoc clare constat ex Zachariæ Cap. 5. v. 4.: *Maledictio, dicit Dominus, veniet . . . . ad domum jurantis in nomine meo mendaciter.* Cum ergo divina maledictio non incurratur nisi per peccatum grave, patet Perjurium esse peccatum mortale, etiamsi juraret quis falsum pro conservatione vitæ propriæ, vel alterius, ut decisum fuit in Concilio Costantiensi Sess. 45.

300. Q. Si mendacium, quod juratur sit leve, aut juretur ex lapsu linguæ, peccatur ne graviter?

℟. Vocare Deum in testem mendacii etiamsi levis, est semper peccatum mortale, ut constat ex Prop. 24. damnata ab Innocentio XI. Imo juxta S. Thomam (2. 2. q. 98. art. 3. ad 2.) *Qui*

jocose perjurat . . . . quantum ad aliquid magis auget peccatum. Qui autem *ex lapsu linguæ quis falsum juret, si quidem advertat se jurare*, dicit idem Angelicus (ibidem), *et falsum esse quod jurat, non excusetur a peccato mortali. Si autem non advertat . . . . . a crimine perjurii excusabitur.* Et cum in Perjurio juretur mendacium, non abs re erit, si hoc loco de mendacio agatur, præsertim quia mendacium quandoque est etiam contra Religionem.

APPENDIX.

De Mendacio.

Caput unicum.

301. Q. Quid est Mendacium?

℟. Juxta S. Augustinum (Lib. contra mendac. Cap. 3.), est Vitium, quo *quis aliud habet in animo; et aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat*; seu mendacium est falsa significatio contra mentem cum animo fallendi. Dicitur primo: *falsa significatio*; quia ex citatis verbis S. Doctoris potest quis mentiri non solum verbis, sed etiam nutibus, gestibus, scriptis, et hujusmodi. Dicitur secundo: *contra mentem*; quia mentiri *est contra mentem iri*. Et proinde *qui dicit falsum, quod putat verum*, juxta eumdem S. Doctorem (Enchir. Cap. 18.) *non judicandus est mendax: quia non fallit, sed fallitur.* Econtra *mentitur qui etsi dicat verum, ille tamen putat esse falsum.*

302. Q. Quare dictum est: *cum animo fallendi?*

℟. Quia juxta Gelasium Papam (in Cap. *Beatus Paulus* 5. Caus. 22. q. 2.) *qui animum fallendi non habet, non mentitur*, etiamsi diceret falsum; dummodo ex circumstantiis personæ, loci, temporis, ex modo pronuntiandi etc. auditores id percipiant. Hinc qui jocandi causa diceret *Asinus volavit*; *Ego uno die peragravi totum mundum*; *uno ictu mille oves occidi*, et similia, non mentiretur. Mentiretur autem, si animo fallendi, et ut ab audientibus credantur, talia diceret:

303. Q. Quotuplex est mendacium?

℟. Triplex communiter assignatur, jocosum, officiosum, et perniciosum. Mendacium *jocosum* est illud, quod dicitur ob proprium, vel aliorum oblectamentum. *Officiosum*, quod ad propriam, vel alienam utilitatem profertur. *Perniciosum*, quod profertur in damnum proprium, vel alterius. Mendacium *jocosum*, et *officiosum* cum nulli sit nocumento, est peccatum veniale, nisi juramento firmetur. Mendacium autem *perniciosum*, nisi damnum, quod sibi, vel proximo infertur, sit leve, est peccatum mortale. Communis.

304. Q. Mendacium est ne aliquando licitum?

℟. Licet aliqui ex antiquis Doctoribus, et Patribus præsertim Græcis putarint aliquando licitum; hodie tamen post S. Augustinum (Lib. de Mendac. et contra Mendac.) omnes Doctores, et Patres communiter docent, nullo umquam in casu, et fine, nec pro conservanda vita propria, vel alterius, nec pro procuranda æterna salute proximi licitum esse mentiri: quia mendacium est intrinsece malum; nec sunt facienda mala, ut veniant bona. Et ideo Spiritus Sanctus (Eccle. 7. 14.) absolute prohibet omne mendacium, dicendo: *Noli velle mentiri omne mendacium.*

305. Q. Quid dicendum de illis Sanctis, qui leguntur mentiti in Sacris Scripturis?

℟. Idem S. Doctor (Lib. contra mendac. Cap. 15.) respondet, et dicit, plurima in Sacris Paginis haberi, quæ videntur mendacia, et tamen mendacia non sunt, sed mysteria, figuræ, æquivocationes, prophetiæ. Aut si sunt mendacia, non sunt excusanda, sicut non excusat Chrisostomus, et alii, quos refert Ferraris (V. *Mendacium* n. 18.). Et idem S. Augustinus loquens de obstetricibus ægyptiacis, dicit illas remuneratas fuisse non propter mendacia, sed propter misericordiam, quam præstiterunt infantibus a nece servatis. Et sic S. Thomas (2. 2. q. 110. a. 3. ad 3.) explicat de Judith, dicendo laudatam esse, non quia mentita fuit Holopherni, sed propter salutem, quam Israeli attulit.

306. Q. Quando mendacium est graviter perniciosum, et mortale?

℟. Quando opponitur non solum veracitati, sed in materia gravi opponitur etiam alicui virtuti ad salutem absolute necessariæ ex. gr. Fidei, Spei, Charitati, Religioni, Justitiæ, bono publico, vel bonis moribus. Et de his mendaciis verificatur quod legitur Sapientiæ 1. 11. *Os autem, quod mentitur, occidit animam*; et de his loquitur Psalmista (Ps. 5. 7.) dicendo: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

307. Q. Quando committitur hoc mendacium contra Fidem, Spem, et Charitatem?

℟. Quando qui suo mendacio vel occultat aliquam Fidei veritatem, vel docet aliquid contra Fidem, vel disseminat perversa hæreticorum dogmata, mentitur graviter contra Fidem. Qui falso assereret, Deum non parcere peccatori vere pœ-

nitenti, quia justus; vel non punire impœnitentes, quia misericors etc. mentiretur graviter contra Spem. Hypocritæ, qui licet mali, simulant se esse bonos, ut noceant proximo, vel ut parent sibi viam ad Beneficia Ecclesiastica, vel officia civilia consequenda (vide Lib. 1. n. 326.); vel qui aliam gravem injuriam Deo, vel proximo suo mendacio inferret, mentiretur graviter contra Charitatem.

308. Q. Quando quis mentitur graviter contra Religionem, et Justitiam?

℟. Contra Religionem graviter mentitur qui negat veram Religionem; qui prædicat, vel simulat falsam; qui falsa enarrat miracula, fictas proponit indulgentias, non veras exponit Reliquias etc. Contra Justitiam graviter mentitur qui suo mendacio grave infert damnum proximo vel in anima, vel in corpore, vel in bonis temporalibus, vel in honore; inducendo proximum ad peccandum mortaliter; causando alicui mortem, mutilationem etc. impediendo consecutionem alicujus hæreditatis, Beneficii etc.; falsum imponendo crimen, et hujusmodi.

309. Q. Quando mendacium contra bonum publicum, et bonos mores est culpa gravis?

℟. Quando graviter nocet bono publico. Ut sunt testes, qui in judicio falsum deponunt; Judices, Advocati, Notarii etc., qui in publicis instrumentis falsitatem aliquam inserunt; qui falsa confingunt instrumenta; vel falsis utuntur, vel vera, quæ habent, negant parti adversæ habere; qui falsas monetas excudunt; qui pondera, vel mensuras minuunt; qui falsum sigillum apponunt, et similia. Mentiretur autem contra bonos mores, et graviter, qui spargeret non esse peccatum mor-

tale quod certe est tale: qui suo mendacio etsi jocoso, vel officioso ad peccatum mortale vellet inducere ex. gr. ad furandum, mæchandum etc.

310. Q. Quid censendum de mendaciis factis in sacramentali Confessione?

℟. Si mentiatur leviter circa res ad Sacramenti valorem non necessarias, ex. gr. si negetur veniale, vel si mortale, jam fuit rite confessum, et absolutum, mendacium juxta Communem erit veniale. Si autem scienter quis neget peccatum mortale non rite confessum, et absolutum; aut neget esse habituatum, et recidivum; aut malitiose mutet numerum peccatorum; aut falso dicat, se non meminisse, vel nescisse hoc esse peccatum; aut falso asserat, se fecisse illam gravem restitutionem, vel pœnitentiam, quam non fecit, in hisce, et similibus casibus illud mendacium erit duplex peccatum mortale, unum sacrilegii contra Religionem, alterum mendacii sibi graviter perniciosi contra virtutem veracitatis. Vide B. Ligorio Lib. 6. n. 496. et 497. Vide etiam infra Lib. IV. n. 188.

311. Q. Licet saltem occultare veritatem?

℟. Cum mendacio, aut restrictione pure mentali numquam licet, (Vide infra n. 414. et 415.) Nec licet veritatem occultare, imo contra debet hæc manifestari, quando Superior Ecclesiasticus, politicus, aut domesticus propter bonum commune id jubeat; vel testes ad veritatem detegendam interrogentur, et hujusmodi. In aliis casibus licet; imo multoties veritas est occultanda, si ex manifestatione oriretur aliquod scandalum, infamia, tumultus, aliudve peccatum, aut si aliquod damnum, aut cessatio lucri alteri eveniret. Sed quando veritas occultatur, numquam cum men-

dacio, sed cum aliqua responsione nec vera, nec falsa occultetur.

Caput III.

De Simonia.

312. Q. Quid est Simonia?

℟. Est studiosa, et deliberata voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali adnexum, et quæcumque pactio in rebus spiritualibus etc. a Jure prohibita. Dicitur *voluntas emendi, vel vendendi*; quia sub nomine Simoniæ non solum comprehenditur quæcumque datio, vel receptio rei spiritualis pro temporali, vel temporalis pro spirituali; sed comprehenditur etiam quæcumque pactio expressa, vel tacita a Jure prohibita, imo etiam intentio, et simplex voluntas commutandi, seu obtinendi unum mediante alio, etiamsi reapse nihil detur, vel recipiatur. Communis.

313. Q. Quid comprehenditur sub nomine *pretii temporalis*?

℟. Comprehenditur quæcumque res pretio æstimabilis, quæ datur cum pacto, aut cum intentione recipiendi spirituale etc., vel quæ moveat ad dandum spirituale. Hoc autem *pretium temporale, seu simoniacum* vocatur a Canonistis *Munus*, et dividitur a S. Gregorio Papa in munus a *manu*, munus ab *obsequio*, et in munus *a lingua*, ut expresse habetur in C. *Sunt nonnulli* 24. caus. 1. q. 1. Munus *a manu* significat pecuniam, aut quamcumque aliam rem pecuniæ æquivalentem, vel pretio æstimabilem, quæ promittatur, vel offeratur, ut equi, vestes, jura, census, pensiones, atque etiam debiti dilatio, vel remissio, anticipata solutio debiti etc.

314. Q. Quid significat *munus ab obsequio?*

℟. Significat quodcumque ministerium, servitium, seu obsequium temporale pacto tacito, vel expresso præstitum, vel præstandum pro re spirituali. Unde qui petit, dat, vel acceptat Beneficium, Ordinationem etc. in compensationem ejusmodi ministerii, servitii, obsequii tamquam ob mercedem erit simoniacus. Communis, argum. Cap. *Cum essent* 12. *de Simonia*. Dixi: *pacto tacito*, vel *expresso*: quia non esset damnandus de Simonia qui conferret Beneficium, vel ordinem digno ob meram gratitudinem; aut qui gratis inservit cum simplici spe Beneficii, aut Ordinis obtinendi. Vide B. Ligorio Lib. 3. n. 52. 62. etc.

315. Q. Quid significat *munus a lingua?*

℟. Sub hoc non veniunt preces, et commendatitiæ manifestantes meritum alicujus, et simpliciter factæ ab illo, qui per se, vel per alium petit spirituale, quia hæ essent licitæ; sed veniunt illæ importunæ, urgentesque preces, laudes, recommendationes, intercessiones, et hujusmodi, quæ pro spirituali interponuntur, vel interponendæ promittuntur ex. gr. pro Beneficio, vel ordine obtinendo; vel si quis motus hujusmodi precibus conferat Beneficium, ordinem; aut ideo conferat, præsentet etc. ut ipse collator, præsentator etc. laudetur, commendetur etc. apud magnatem, aut alium: quia hi *de impenso officio sanctitatis*, ut explicat S. Gregorius (supra), licet non accipiant, *præmia nummorum*, *expetunt nummum favoris*.

316. Q. Quid intelligitur pro Simoniaco *pacto expresso*, *vel tacito?*

℟. Pactum erit *expressum*, si quis diceret: Do

spirituale ex, gr. Ordinem, Beneficium etc. ut des temporale; vel qui diceret: do, offero hoc munus, ut des spirituale, et similia. Pactum vero erit *tacitum*, quando quis nullo quidem pacto externo adjecto dat, vel offert, sed cum intentione, animo, fine, motivo consequendi spirituale, vel econtra. Communis per textus in Cap. *Etsi quæstiones* 18. et *Tua nos* 34. *de Simonia*. Et hæc intentio maxime cognoscitur, si quis delusus obmurmuret, conqueratur, judicetque, sibi factam fuisse injuriam. Sive autem pactum sit expressum, sive sit tacitum, semper adest Simonia.

317. Q. Si quis gratis det aliquid temporale post obtentum spirituale, erit ne Simonia?

℟. Si det vi alicujus pacti taciti, vel expressi, erit Simonia, ut clare constat ex Prop. 45. damnata ab Innoc. XI. Si autem det mera gratitudine sine ullo præcedenti pacto, generaliter loquendo non erit Simoniacus, ut habetur in Cap. *Quidquid* 101. caus. 1. q. 1. Dixi: *generaliter loquendo*; quia ob specialem Tridentini prohibitionem (Sess. 24. de Refor. Cap. 18. et Sess. 21. de Refor. Cap. 1.) Examinatores occasione examinis ad Parochiales nec ante, nec post examen possunt absque Simoniæ vitio aliquid accipere; sicut et Episcopi pro collatione Ordinum, et etiam Tonsuræ, imo etiam pro Dimissorialibus, aut Testimonialibus. Et proinde esset simoniacus etiam qui ex mera gratitudine aliquid daret.

318. Quid dicendum, si detur aliquid pro Missa, aut Sacramentorum administratione?

℟. Si detur, aut accipiatur tamquam motivum, aut pretium rei sacræ, seu laboris intrinseci in

his, cæterisque sacris Functionibus, vel verbi Dei prædicatione requisiti, erit Simonia. Vide Prop. 45. et 46. damnatam ab Innoc. XI. *At accipere* (*ut* Angelicus (2. 2. q. 100. a. 3.), *aut dare aliquid pro sustentatione ministrantis, secundum ordinem Ecclesiæ, et consuetudinem adprobatam*; licitum est. Et hoc constat etiam ex Cap. *Ad Apostolicam* 42. *de Simonia* unusquisque enim, qui in commodum alterius se occupat, debet ex justitia ab eo sustentari juxta illud Christi (Luc. 10. 7.): *Dignus est operarius mercede sua.*

319. Q. Quare dicitur in definitione Simoniæ (n. 312.) *spirituale, vel spirituali adnexum?*

℞. Quia est Simoniacum dare, aut accipere aliquid tamquam pretium non solum pro *re spirituali*, ut essent Sacramenta, Sacramentalia, Preces, Præsentatio, aut Collatio etc. Beneficii, Absolutio, Dispensatio, et hujusmodi; sed etiam pro *re Spirituali adnexa*, ut esset Jus patronatus, Pensiones, reditus Beneficiorum, Suffragium ad Beneficia obtinenda, labor intrinsecus pro celebratione Missarum, et administratione Sacramentorum, et omnes res consecratæ, aut benedictæ, quæ connexionem quamdam habent cum re spirituali.

320. Q. Quale peccatum est Simonia?

℞. Quando Simonia deliberate committitur, est gravissimum peccatum contra Religionem, et Justitiam, quod materiæ parvitatem non admittit, dummodo invincibilis ignorantia non excuset. Communis. Et a Patribus vocatur *execrabile flagitium, flagitium piaculare*. Dixi: *contra Religionem*; quia est species Sacrilegii, per Simoniam sancta indigne tractari; *contra Justitiam*, quia per Simo-

niam usurpatur dominium rerum, quod non habetur; et idcirco obligat ad restitutionem, ut dicetur infra. Videamus nunc divisionem, dubia, ac pœnas Simoniæ.

Paragraphus I.

De Simoniæ divisione.

321. Q. Quotuplex est, et quomodo dividitur Simonia?

℞. Dividitur primo in eam, quæ est juris Divini, et in eam, quæ est juris Ecclesiastici. Secundo dividitur in Mentalem, Conventionalem, Realem, et Confidentialem. Simonia *juris Divini* committitur, dum pro temporali datur, aut promittitur dari res spiritualis, vel spirituali adnexa, ut supra n. 319.; et hæc est prohibita, quia est intrinsece mala. Simonia *juris Ecclesiastici* committitur, cum datur, vel promittitur spirituale pro spirituali contra prohibitionem Ecclesiæ propter periculum, seu speciem Simoniæ; et hæc est mala, quia prohibita. Communis.

322. Q. Quænam sunt illa, quæ velut *simoniaca* ab Ecclesia prohibentur?

℞. Prohibetur: 1.° permutare unum Beneficium cum alio, vel illud resignare in favorem alicujus, vel pensionem ex Beneficio resignato reservare absque Superiorum auctoritate (ex Cap. *Quæsitum* 5. Cap. *Cum olim* de rer. permutat.): 2.° Vendere Chrisma, seu Oleum Cathecumenorum, vel Infirmorum (ex Cap. *Non satis de Simon.*): 3.° Vendere quædam Officia temporalia, quæ ad regimen Ecclesiæ temporale spectant, uti Officia Æconomi, Sacristæ, Procuratoris Ecclesiæ etc.

(ex Cap. *Consulere* 38. de Simon.); et alia, quæ videre licet apud Auctores.

323. Q. Quænam est Simonia *Mentalis?*

℟. Est illa, quæ intra mentem sistit; et committitur, cum quis habet intentionem aliquid dandi, vel accipiendi, nihil autem dans, vel accipiens; aut cum reapse dat temporale cum intentione accipiendi spirituale, aut econtra, sine ullo externo pacto nec tacito, nec expresso. Ut cum Episcopo quis inserviat cum hac intentione in mente retenta, ut pro mercede Ordinem, aut Beneficium sibi conferat. Et licet hæc mentalis Simonia sit grave peccatum, nullam tamen inducit pœnam Canonicam. Sic Communis per textum in Cap. *Tua nos* 34. de Sim.

324. Q. Quænam est Simonia *Conventionalis?*

℟. Est illa, quæ committitur cum mutuo pacto expresso, vel tacito dandi, vel recipiendi spirituale pro temporali, vel temporale pro spirituali etc. pacto tamen non impleto vel ex neutra parte, vel ex una parte tantum. Et licet hæc conventionalis Simonia sit gravius peccatum, nullam pariter Canonicam pœnam inducit. Sic Communis per textum in Cap. *Cum essent* 13. *de Simonia.* Et hoc non solum si nihil datum sit, aut receptum; sed etiam, si spirituale, ex. gr. Beneficium jam datum esset, sed temporale nondum receptum; aut datum sit temporale, non recepto spirituali etc. Arguitur ex Cap. *Ex litteris* 11. *de Constitutionibus.*

325. Q. Quænam est Simonia *Realis?*

℟. Est pactio ex utraque parte completa saltem inchoative. Ut si collatum sit Beneficium, Ordo, aut aliud spirituale, aut spirituali adnexum (n. 319.), et etiam temporale saltem ex parte sit

jam receptum. Et hæc *realis*, et completa Simonia est illud gravissimum peccatum, de quo supra; et inducit gravissimas pœnas Canonicas, de quibus infra n. 337., et sequentibus.

326. Q. Quænam est Simonia *Confidentialis?*

℟. Est illa, quæ committitur, cum quis dat, confert, aut resignat alicui Beneficium Ecclesiasticum, vel ad illud præsentat, eligit, aut præsentatum, electumve instituit, aut confirmat cum certa confidentia, idest cum pacto expresso, vel tacito, ut illud ipsum Beneficium vel sibi, vel alteri deinceps cedat, resignet, vel ex eo certam pensionem, aut partem fructuum tribuat. Communis (ex Constit. *Romanum Pontificem* 85. Pii IV. et *Intolerabilis* 85. S. Pii V.). Et etiam hæc est grave peccatum, et suas pœnas inducit, ut pariter infra n. 341.

Paragraphus II.

De Variis dubiis circa Simoniam.

327. Q. Qui ficte promittit temporale pro habendo spirituali, erit ne simoniacus?

℟. Juxta Cajetanum (T. 2. Opusc. Tr. 9. q. 2.), Sotum (Lib. 9. q. 8. a. 1.), et alios, videtur, quod non: quia ficte promittens non intendit dare illud temporale, quamvis externe id verbis significet, nec dat. Et sic dicendum de eo, qui reciperet temporale ficte promittens, nec dans spirituale. Uterque tamen graviter peccaret, tum quia in re gravi deciperet, tum quia alterius peccato fieret cooperator; et teneretur ad restitutionem damnorum, si quæ fuerint secuta.

328. Q. Semper ne est Simoniacum vendere res sacras, aut spirituali adnexas?

℟. Nisi a jure prohibitum sit, ut (n. 322.) dictum est de sacris Oleis, non erit simoniacum eas vendere ratione materiæ, dummodo carius non vendantur, quia sunt sacræ etc. Hinc ratione materiæ, artificii vendi possunt vasa, et ornamenta sacra; Feudum, aut alius fundus, cui adnexum est Jus patronatus ad aliquod Beneficium, dummodo, ut dixi, carius non vendantur. Sic habens propriam sepulturam suis sumptibus constructam, non committit Simoniam, si eam vendat quoad materiale fundi, habito respectu ad solas expensas factas in illa ædificanda. Sicut non erit Simoniacum emere fundum pro construendo sepulchro. Ex prohibitione tamen Ecclesiæ (Cap. *Non satis* 8. *de Simon.*), nihil exigi potest, ut pretium pro sepeliendis cadaveribus, etiamsi adsit contraria consuetudo (Cap. *Ad apostolicam* 42. de *Simon.*).

329. Q. Semper ne est Simonia aliquid dare, vel accipere in dispensationibus?

℟. Si sermo habeatur de inferioribus Papæ, semper est Simonia aliquid accipere, vel exigere in pretium dispensationis, voti, juramenti, matrimonii, irregularitatis etc., et etiam pro absolutione a censuris, etiamsi detur pro sustentatione Ministrorum (ex Cap. *Jacobus de Simonia*, et Trident. Sess. 25. Cap. 18. de Refor.); dummodo non detur, et exigatur per modum mulctæ ad causas pias applicandæ. Dixi: *de inferioribus Papæ*: quia Summus Pontifex ob plenitudinem suæ potestatis potest taxam aliquam stabilire vel per modum mulctæ, vel ad sustentationem Officialium, vel aliis de causis, ut expedire judicaverit, ut dictum est Lib. 1. n. 162.

330. Q. Est ne Simonia dare pecuniam Sacer-

doti nolenti gratis Sacramenta administrare?

℟. S. Thomas cum aliis, quos citat Lessius (Lib. 2. c. 35. n. 37.), dicit esse Simoniam; quia cum pecunia emerentur Sacramenta. Sed urgente necessitate adimplendi ex. gr. præceptum annuæ confessionis, et paschalis Communionis, vel recipiendi Viaticum, Extremam Unctionem, et multo magis Baptisma, et etiam, ut ait B. Ligorio (Lib. 3. n. 103.), ne careat frequenti usu Sacramentorum, ipse Lessius (n. 38.), cum aliis communiter dicunt, non esse Simoniam; quia illa pecunia non daretur ad emenda Sacramenta, sed ad redimendam injustam vexationem, supposito, quod fidelis jus habeat ad illa Sacramenta; seu potius esset illius indigni Sacerdotis peccatum permittere, quod justa interveniente causa, juxta eumdem Angelicum potest permitti quando ex Sacerdotis malitia provenit.

331. Q. Semper ne est Simonia dare temporale pro consecutione Beneficii?

℟. Si temporale detur directe pro Beneficio consequendo, erit Simonia (n. 319.). Si autem detur indirecte ad *redimendam vexationem*, ut ajunt, idest ad removenda obstacula, seu impedimenta, quæ ab aliquo ponuntur, ne Beneficium obtineatur, aut a Beneficio possesso perturbetur, tunc distinguendum; Si *vexatio erit justa*, et juste quis impugnetur, aut impugnari possit, erit pariter simonia. Communis ex Cap. *Cum pridem* 4. *de pactis* etc. Hinc erit Simonia, si quis daret temporale, ne alter ejus defectum detegat collatori, vel ne alius ad illud Beneficium concurrat; vel ne pro alio obsecret; vel ne habens aliquod jus, litem moveat, susceptamve prosequatur; vel ne electionem, præsentationem, collationem juste impugnet, et hujusmodi.

332. Q. Si *vexatio* esset *injusta*, posset dari temporale pro consecutione Beneficii ?

℟. Si *vexatio* foret *injusta*, idest illicite, et contra jus impediretur quis a Beneficio consequendo, tunc pariter distinguendum. Si hic habeat *jus in re*, seu in ipso Beneficio tam certum, et manifestum, ut nequeat rationabiliter in quæstionem adduci, quia in illo est electus, confirmatus, institutus etc. et injuste impediatur a capienda possessione etc. ex Cap. *Dilectus* 28. *de Simonia*, non erit Simonia dare temporale: quia hoc temporale non datur pro jure spirituali, quod jam supponitur habere, sed ad tollendas illas iniquas machinationes, vexationes etc., quas injuste patitur. Ne autem sub prætextu injustæ vexationis redimendæ vera committatur Simonia, consultius erit Episcopum consulere, ut S. Carolus Borromæus (Concil. 1. Prov. par. 1. pag. 14.) præscripsit pro sua Provincia.

333. Q. Quid dicendum, si quis non habeat *jus in re* ?

℟. Si jus, quod habere credit ad illud Beneficium, non sit certum, seu *in re*, sed dubium, et *ad rem*, tunc subdistinguendum. Iniquus vexator vel potest solum obesse, vel potest obesse simul, et prodesse. Si potest *obesse*, *et prodesse*, quia aliquo modo concurrere posset ad Beneficium conferendum, eligendo, ex. gr. confirmando, instituendo etc., tunc non liceret temporali injustam vexationem redimere: quia tunc illo temporali aperitur via ad Beneficium obtinendum. Communis. Sic colligitur ex Cap. *Matthæus de Simonia*, ubi damnatur qui, obtenta electione, pecuniam obtulit, ne alii electores impedirent confirmationem, ad quam nondum habebat jus certum, et acquisitum.

334. Q. Quid dicendum, si iniquus vexator possit tantum *obesse*, *et non prodesse*?

℟. Si iniquus vexator possit tantum *obesse*; non erit Simonia dare temporale ad hanc injustam vexationem redimendam. Communis. Ratio, quia hoc casu temporale non daretur pro acquirendo spirituali ex. gr. Beneficio, pro quo conferendo etc. nullam partem habet iniquus vexator, sed ne ponat injusta obstacula, accusando, calumniando etc. apud electorem etc. aut alio iniquo modo ejus electionem etc. impediendo. Dixi: *dare temporale*: quia ad injustam vexationem redimendam non licet dare spirituale; ex. gr. dare alicui Beneficium, ne te impediat ab alio Beneficio obtinendo. Communis: quia hoc casu daretur spirituale pro temporali (qualis est vexatio); quod esset aperta Simonia.

335. Q. Quando committitur Simonia dando, vel exigendo aliquid pro ingressu etc. ad Religionem?

℟. Si detur, vel exigatur directe, ut quis, vel quæ recipiatur ad vestitionem, professionem, est simonia. Communis ex Cap. *Non satis* 8. *de Simon*. Si autem detur, vel exigatur titulo honestæ sustentationis; praxis, et consuetudo obtinet, ut possit dari, et recipi etiam a Monasteriis opulentis, et præsertim in Monasteriis Monialium, in quibus, ut refert Fagnanus in Cap. *Non amplius*, Sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium, approbantibus Summis Pontificibus, permisit, ut dotales eleemosynæ persolvantur, etiam a numerariis Monialibus, tametsi numerus taxatus esset ad mensuram reddituum Monasterii.

336. Q. Est ne Simonia dare temporale, ut fiat aliquod opus bonum?

℟. Si temporale detur ex. gr. infideli, ut ba-

ptizetur; hæretico, aut peccatori, ut convertatur; juveni, ut fiat clericus; puellæ, ut fiat monialis; filio, ut sacramenta frequentet, et hujusmodi, non erit Simonia. Communis: quia in dictis casibus nullus intervenit contractus onerosus, sed solum gratuita promissio, seu donatio conditionata (et ob sanctissimum finem), quæ cedit non in commodum dantis, sed solum in spiritualem utilitatem recipientis, ut patet: dummodo, ut limitat Cuniliati (Tom. 1. Tr. 4. Cap. 13. §. 9. n. 9.), promissio non sit rei adeo excitantis, ut quis ob motivum principale rei promissæ acquirendæ ad actionem illam inducatur.

Paragraphus III.

De Pœnis contra Simoniacos latis.

337. Q. Quænam sunt pœnæ Simoniæ?

℟. Etiamsi quævis Simonia scienter commissa sit gravissimum peccatum, ut supra dictum est, pœnæ autem, quæ in vindictam tanti sceleris ab Ecclesia infliguntur, sunt tantum inflictæ ob Simoniam *Realem* (n. 325.), quæ committitur pro ingressu ad Religionem, pro collatione Ordinum, et pro Beneficiis Ecclesiasticis; sicut et ob Simoniam *Confidentialem* (n. 320.). Communis per textum in Cap. *Presbyter* 3. etc.

338. Q. Quænam sunt pœnæ ob Simoniam *realem pro ingressu ad Religionem* (vide n. 335.)?

℟. Sunt tres. 1. Excommunicatio Papæ reservata, quam per Extravag. 1. *de Simonia* incurrunt ipso facto singuli sive dantes, sive recipientes. 2. Si accipiens sit integra Communitas, aut Capitulum, etiam Suspensio ab Officiis Capitularibus

in Conventu etiam Papæ reservata. 3. Quod Simoniacus scienter professus, licet valida sit ejus professio, debet post judicis sententiam in arctius Monasterium detrudi (Cap. 15. *de Simon.*).

339. Q. Quænam sunt pœnæ Simoniæ pro Ordinibus?

℟. Sunt pariter tres. 1. Excommunicatio Papæ reservata, quam ex Extravag. 2. *de Simon.* ipso facto incurrunt tam ordinans, quam ordinatus, et quicumque alius ad Simoniam cooperator fuit: 2. Quod taliter scienter ordinatus remanet suspensus ab exercitio omnium Ordinum; et si in tali suspensione aliquem actum Ordinis exerceat, incurrit Irregularitatem, et privationem omnium Officiorum, et Beneficiorum, ac inhabilitatem ad ea; et si sit Regularis, privationem vocis activæ, ac passivæ: quæ pœnæ ex Constit. Xisti V. *Sanctum, et salutare*, reservatæ sunt pro absolutione Summo Pontifici, licet Simonia esset occulta: 3. Quod ordinans per triennium remanet suspensus a collatione omnium Ordinum, et etiam primæ Tonsuræ, et interdictus ab ingressu Ecclesiæ (ex citata Constit.).

340. Q. Quænam sunt pœnæ Simoniæ in Beneficiis?

℟. Tres pariter sunt, præter alias pœnas per Judicem infligendas. 1. Excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt qui Beneficium, aut Officium Ecclesiasticum etiam Regulare suscipiunt, conferunt, aut quovis modo procurant: 2. Quod hujusmodi Beneficii, aut Officii collatio, electio, provisio etc. sit ipso jure nulla; et proinde ita provisus tenetur sub animæ suæ damnatione illud sponte dimittere, omnesque fructus restituere, si quos percepit: 3. Quod

taliter electus etc. inhabilis fit ad illud Beneficium, aut Officium obtinendum, nisi Papa dispenset. Excipe, si Beneficium sit simplex, et Simonia commissa fuit, ipso ignorante, nec ratam habente: quia hoc casu post liberam resignationem potest Episcopus dispensare (Extrav. 2. *de Simon.* Cap. *Nobis fuit* 27. et Cap. penult. *de Electione* etc.).

341. Q. Quænam sunt pœnæ Simoniæ *Confidentialis?* (Vide Q. 251.).

℟. Sunt quinque: 1.ª est Excommunicatio Papæ reservata contra utrumque contrahentem. At si sit Episcopus, incurrit tantum interdictum ab ingressu Ecclesiæ: 2.ª est privatio ipso jure non solum Beneficii, in quo commissa est Simonia, sed etiam aliorum Beneficiorum, ac Pensionum legitime obtentorum: 3.ª inhabilitas ad illud, et ad alia Beneficia obtinenda, nisi Papa dispenset: 4.ª quod Beneficium ita nulliter acquisitum solus Papa potest inde conferre: 5.ª quod præfatæ pœnæ incurrantur, etiamsi ex sola dimittentis intentione Simonia confidentialis fuerit completa. (Pius IV. Constit. *Romanum Pontificem* 85. et S. Pius V. Constit. *Intolerabilis* 85.).

342. Q. Qui Beneficium obtinet per Simoniam ab alio commissam, incurrit ne in præfatas pœnas (n. 340. 341.)?

℟. Si commissa fuit, ipso sciente, et non contradicente, et multo magis consensiente, tunc incurrit, et idem est, ac si ipse Simoniam commiserit. Communis. Si autem commissa fuit Simonia, ipso nesciente, aut contradicente, censuras non incurrit: quia si hujusmodi ignorantia, aut contradictio excusat a culpa, multo magis excusat a pœna. Cum autem hæc collatio etc. etiam hoc casu sit nulla ex Cap. *Sicut tuis* 33. *de Si-*

mon. debet Beneficium dimittere una cum fructibus extantibus, quos ex Beneficii redditibus percepit. Fructus autem bona fide consumptos non teneretur restituere, nisi ex illis factus fuerit ditior. Ita S. Thomas (2. 2. a. 6. ad 3.).

343. Q. Taliter promotus semper ne teneretur Beneficium dimittere?

℟. Si Simonia malitiose commissa fuit ab alio in odium promoti, ut scilicet irritam reddat collationem, tunc ex Cap. *Nobis fuit* 27. de Simon. etc. non teneretur dimittere. Item non teneretur dimittere qui expresse protestatur contra simoniam committendam, et nihilominus, ipso ignorante, aut contradicente simonia committatur. Ita ex Cap. *Sicut tuis* 33. *de Simon.* Dixi : *ipso ignorante :* quia si non obstante sua protestatione, aut contradictione, ipse sciret, Beneficium ab alio *simoniace* pro se obtineri, et ipse obtineat, ex citato Capite teneretur dimittere. Et juxta multos nec teneretur dimittere qui ignoranter Beneficium simoniace recepisset, et per triennium bona fide possidisset.

344. Q. Cui restituenda sunt simoniace accepta?

℟. Si Simonia commissa sit circa Beneficia Ecclesiastica, restitutio facienda est Ecclesiæ, in qua Beneficium existit, ex Cap. *De hoc* 21. *de Simonia*; vel ut dicunt multi Doctores cum S. Thoma (2. 2. q. 100. a. 6. ad 3.), etiam pauperibus Superioris arbitrio. Si Simonia commissa sit pro ingressu in Religionem, quod simoniace est receptum, retineri potest in communibus usibus Monasterii, non autem Superioris, aut alicujus particularis personæ. Ita in Extravag. *Sane* 1. *de Simonia.* Si autem Simonia in aliis materiis sit commissa, pretium simoniace acceptum restituendum est domino, prout de jure.

NOTA.

345. Cum Simonia committatur præcipue in materia Benificiali, ut aliqua notitia de hac habeatur, agamus hic etiam de Beneficiis Ecclesiasticis, sola tamen principaliora hoc loco annuendo, cætera autem, sicut de obligationibus Beneficiatorum videbimus Lib. III. dum agemus de Beneficiatis, Canonicis, Parochis, etc.

APPENDIX.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

Caput unicum.

346. Q. Quid est Beneficium Ecclesiasticum?

℟. Ut communiter definitur a Theologis, est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter Officium aliquod spirituale auctoritate Ecclesiæ constitutum. Dicitur *jus perpetuum*, quia hi proventus Ecclesiastici ex sua natura perpetuo durare debent, ita ut post mortem Beneficiarii hoc jus non extinguitur, ut accidit in pensionibus, quæ expirant obitu Pensionarii, sed transit ad Beneficiarios successores. Dicitur etiam *auctoritate Ecclesiæ* etc., quia ad Ecclesiæ Prælatos pertinet Officia spiritualia instituere, ex. gr. recitationem Divini Officii, celebrationem Missarum etc. eisque Officiis perpetuos proventus adnectere.

347. Q. Cui conferenda sunt hæc Beneficia?

℟. Conferri possunt, et debent Clerico, qui saltem sit tonsuratus, procreatus ex legitimo Matrimonio, cælebs, bonæ famæ, idoneus ad sua

Officia exequenda, et constitutus in legitima ætate saltem annorum quatuordecim inceptorum, nisi aliter Beneficii Fundator disposuerit, aut Beneficium illud requirat aliquem Sacrum Ordinem cum majori ætate. Pro Canonicis autem Cathedralium requiritur generaliter ætas 22. annorum completorum, pro Parochis ætas 25. annorum inceptorum, aut saltem sint in illa ætate, ut infra annum possit quis ordinari Sacerdos (Vide Sacros Canones hæc statuentes apud Ferraris V. *Ætas* a n. 10. ad 25. et V. *Beneficium* Art. 5. a n. 1. ad 13.).

348. Q. Quomodo Beneficia conferuntur?

℟. Generaliter loquendo tribus modis conferuntur. Primo per electionem factam ab electoribus, sed a Superiore confirmatam. Secundo per præsentationem factam a legitimo Patrono, ob quam Superior cogitur instituere præsentatum, si hic sit idoneus. Tertio per liberam collationem, qua Superior sua ordinaria auctoritate Beneficium cui vult, dummodo sit idoneus, libere confert. (Cap. *Bonæ memoriæ* 3. §. finali *de Postul*. Cap. *Nobis* 15. de *Jurepatron*. Cap. *Relatum* 4. *de conces. Præbendæ*.). Si autem Beneficium sit Parochiale, vide infra n. 350.

349. Q. Quo tempore Beneficia sunt præsentanda, vel conferenda?

℟. Si præsentatio ad Beneficium sit de jure patronatus laicorum, fieri debet intra quadrimestre post habitam notitiam vacationis Beneficii. Si Patronus sit Ecclesiasticus, intra sex menses. Et hoc quatuor, vel sex mensium tempore elapso, patroni perdunt pro illa vice jus præsentandi, et Collatio Beneficii devolvitur ad Ordinarium, idest ad eum, ad quem pertinet instituere præsentatum.

(ex Cap. *Quoniam de jure patronat.* ex Cap. *unico* §. *Verum* de jure etc. in 6.). Et generaliter loquendo omnia Beneficia intra sex menses conferri debent, quibus elapsis, jus conferendi devolvitur illa vice ad immediatos Superiores (Vide Ferraris supra art. 3. a num. 69. ad 110.).

350. Q. Qui præferendi sunt in Beneficiis?

℟. Circa Beneficia curam animarum habentia præferendi sunt, et sub gravi illi, qui reputantur digniores, idest utiliores Ecclesiæ, et Populo (Trident. Sess. 24. Cap. 1. et 18. de Reform.). In ceteris autem Beneficiis curam animarum non habentibus, licet esset optandum, ut pariter digniores præferrentur, nihilominus a mortali facile excusantur qui in hujusmodi Beneficiis conferendis prætermittunt digniores, dummodo alter sit vere dignus, et idoneus. Et sic tenet Rota (Par. 10. recent. dec. 262. n. 1. et 2.).

351. Q. Beneficia obligant ne eorum possessores ad residentiam?

℟. Beneficia, quæ habent adnexam curam animarum, obligant, et sub gravi omnes eorum possessores, idest Episcopos, Parochos, Concuratos etc. ad residentiam, ita ut si Episcopi ultra tres menses infra annum, et Curati etc. ultra duos menses absque legitima causa per Superiorem cognita, et adprobata absint, mortaliter peccent, et fructus non faciant suos, quos debent vel in fabricam Ecclesiæ, vel in pauperes etiam ante Judicis sententiam impendere. Sic Tridentinum (Ses. 23. Cap. 1. de Reform.). Et pariter obligant ad residentiam illa Beneficia, quæ habent onus Chori; ita ut Canonici ceterique Choro addicti si ultra tres menses absint, graviter peccent, et ad restitutionem tenentur, ut dicetur Lib. III. lo-

quendo de obligationibus Canonicorum, et Parochorum n. 85.

352. Q. Unus potest ne habere plura Beneficia?

R/. Si illa Beneficia sint incompatibilia, ut si essent in eadem Ecclesia, eorumque onera eodem tempore adimplenda essent (Vide Ferrar. V. *Beneficium* art. 6. n. 55. etc.); aut si obligent, ut supra, ad residentiam personalem, quantumvis sint tenui, absque gravi culpa ab eodem non possunt retineri. Habetur clare in Tridentino (Sess. 24. Cap. 17. de Refor.). Si autem quis habeat Beneficium, quod ad honestam sustentationem non sit sufficiens; ex eodem Concilio (ibid.) aliud Beneficium cum Episcopi dispensatione potest ei conferri, quod ad residentiam non obligat; etiamsi secundum per se esset sufficiens. Sic solide probat Fagnanus (in Cap. *Cum dudum* 18. de Præbend. n. 57. et 59.). Si quis autem habeat duo Beneficia, etiamsi ad honestam sustentationem insufficientia, absque Papæ dispensatione non posset tertium habere, et retinere. S. C. Concilii 10. Maj 1607. et 15. April. 1628.

353. Q. Qui primum Beneficium sufficiens habet, potest ne obtinere aliud?

R. Minime, et quidem sub gravi (ex Cap. *Quia in tantum* 5. *de Præbend.*); dummodo primum non renuntiet. Nec prodest consuetudo contraria habendi plura Beneficia; quia hujusmodi consuetudo utpote contraria juri naturali, corruptela potius est appellanda, et Apostolica auctoritate reprobatur (ex Cap. *Consuetudinem* 1. *de Consuetud.* in 6.). Nec prodest, quod aliud, vel alia Beneficia impetraverit a Papa: quia *dispensatus ad obtinendum non est dispensatus* ad retinendum. Sic respondit Rota coram Clemente VIII.

(Decis. 233. n. 26.). Et si Papa dispensavit, vel credidit, alia Beneficia ad honestam sustentationem non esse sufficientia; vel alia Beneficia renuntiatum iri.

354. Q. Quando unum Beneficium dici potest sufficiens?

℟. Licet certa regula pro omnibus tradi non possit, cum diversa sit conditio personarum, locorum, ac temporum; generaliter autem loquendo juxta Navarrum (in Miscellan. cap. 62. n. 146.), et affert Rotæ decisionem, illud Beneficium dicitur sufficiens Ecclesiastico sano, si reditus ad minus sufficiant ad modestam conducendam habitationem, ad alendum mediocriter se, personasque vere necessarias juxta sui status, et officii conditionem, ad hospitalitatem exercendam, ad remuneratorias donationes faciendas. Et hoc, etiamsi possit is vivere de proprio. Beneficiatus autem *contentus sit*, ut monet Tridentinum (Sess. 25. Cap. 1. de Ref. *modesta supellectili, victu frugali; nihilque in reliquo vitæ genere appareat, quod simplicitatem, ac vanitatum contemptum non præseferat.*

De II. Præcepto Decalogi.

355. Q. Quæ sunt verba secundi Præcepti, et quid in eis præscribitur?

℟. Hæc sunt verba: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, quibus verbis duo præscribuntur: unum præcipitur, alterum vetatur. Præcipitur, ut Dei, Sanctorumque nomen honoretur. Prohibetur ne hæc sancta nomina contemnantur. Quod videbimus in sequenti Tractatu.

TRACTATUS III.

De Voto, *Juramento*, *Blasphemia*, *et Perjurio*.

356. Q. Quomodo Dei, Sanctorumque nomen honoratur, et contemnitur?

℟. Honoratur, cum hujusmodi sacra nomina reverenter, et devote proferuntur. Honoratur etiam Fide, Spe, Charitate, et Religione. Et honoratur etiam Voto, et Juramento. Contemnitur autem Blasphemia, et Perjurio. De Fide, Spe, Charitate, Religione, Blasphemia, et Perjurio locuti sumus supra in explicatione 1. Præcepti. Agemus nunc de Voto, et Juramento, de quibus in sequentibus Articulis.

ARTICULUS I.

De Voto.

357. Q. Quid est Votum?

℟. Votum ex S. Thoma (2. 2. q. 88.), *est promissio voluntaria*, *et deliberata facta Deo de meliori bono*, *et possibili*. Dicitur promissio, quia includere debet voluntatem se obligandi, per quod distinguitur a proposito, quod voluntatem se obligandi non includit. Licet rudes verbum *promissionis* quandoque accipiant pro simplici *proposito*, dicendo in sacramentali Confessione: *Promitto*, *me non amplius peccaturum*, cum tamen id non voveant. Imo etiamsi aliquis dicat: *Promitto facere hanc rem*: si non habeat intentionem se obligandi, erit pariter simplex propositum, et non votum.

358. Q. Quare dicitur : *Promissio voluntaria ?*

℟. Quia cum Votum sit actio moralis, debet esse voluntaria. Hinc qui emittit votum ex ignorantia, aut errore circa substantiam rei votæ, seu circa causam finalem, votum non obligat. Unde qui vovisset Ecclesiæ donare suum calicem, quem putabat argenteum, cum sit aureus; vel vovisset jejunium pro sanitate patri reddita; et hic non fuisset ægrotus, vel obiisset; ad nihil tenetur. Dixi : *circa substantiam* etc. quia si error versaretur circa qualitatem, votum tenet. Et proinde qui vovit dare eleemosynam cuidam pauperi feminæ, quam putabat virginem, tenetur dare, licet illa sit vidua.

359. Q. Quare dicitur: *Promissio deliberata ?*

℟. Quia cum voti obligatio sit gravissima, requiritur intentio, deliberatio, et libertas perfecta. Unde vota emissa ante usum rationis, vel in ebrietate, vel ex subitaneo motu, vel ex animi passione judicium, et deliberationem perturbante non obligant. Si autem quis certus sit de voto emisso, et dubitet de deliberatione, an scilicet usum rationis haberet, quamvis post septennium voverit, vel dubius sit an revera fuerit ebrius, tenet votum; quia cum de ejus existentia jam constet, et dubitetur tantum de causa excusante, tunc juxta B. Ligorio, et alios, quos citat (Lib. 3. Tr. 2. n. 196.) judicandum est in favorem voti.

360. Q. Quare dicitur : *Promissio facta Deo ?*

℟. Quia cum Votum sit actus latriæ, soli Deo debetur. Unde vota, quæ aliquando fiunt Sanctis, intelligenda sunt facta Deo in honorem Sanctorum, ut ex communi acceptione Ecclesiæ dicunt Salmaticenses (Cap. 1. de Voto n. 29.), sicut ædificantur Templa, et altaria Deo in honorem San-

ctorum. Et si quis a sua promissione Deum excluderet, et sponderet tantum in honorem Virginis, vel alicujus Sancti aliquid se facturum; hæc promissio non esset votum.

361. Q. Quare dicitur: *de meliori bono?*

℟. Quia quod vovetur, non solum debet esse bonum, sed esse debet bonum, quod melius sit, quam ejus oppositum. Hinc votum nubendi absolute loquendo non tenet, quia matrimonium non est bonum melius cœlibatu, aut Virginitate matrimonio oppositis. Dixi: *absolute loquendo*: quia si cui in particulari foret unicum remedium liberandi se a peccatis incontinentiæ, hoc casu per accidens matrimonium esset huic melius, quam cœlibatus, et virginitas, quam jam perdidit juxta illud Apostoli (1. Cor. 7. 9.: *melius est nubere, quam uri*; et proinde esset verum votum.

362. Q. Votum, quod ex metu emittitur, potest ne dici *promissio voluntaria, et deliberata*, et proinde obligans?

℟. Si metus proveniat ab intrinseco, ut sunt vota ex. gr. jejunandi, non amplius adeundi illam domum suspectam, et alia, quæ ob timorem mortis emittuntur in infirmitate, in naufragio, occasione pestis, etc.; vel si metus proveniat ab extrinseco, idest ab alio incussus ex. gr. ab hoste, a latrone, aut alio homine; at hujusmodi metus rationem non perturbet, promissio reputatur *voluntaria, et deliberata*, et proinde obligans: dummodo hujusmodi metus ab extrinseco non sit gravis, et injuste incussus ad extorquendum votum. Ita Communis.

363. Q. Quid dicendum, si metus incutiatur ad extorquendum votum?

℟. Si hujusmodi metus sit gravis, et injuste

incussus; ut si latro diceret alicui: *Aut. vove mihi centum ducata in eleemosynam daturum*, *aut te occido*: hujusmodi votum non obligat; non quia non sit voluntarium, sed quia hujusmodi vota jus irritat; ut patet ex Cap. *Perlatum*. 1. de iis, quæ vi, etc. et Deus non acceptat, ne det vim injustæ coactioni; et *Deus*, ut inquit S. Bonaventura (in 3. dist. 39. a. 3. q. 2.) *vult sacrificia voluntaria*, *non coacta*. Metus autem levis, qui de facili potest rejici, juxta probabiliorem, et communem, ut dicunt Salmaticenses (Cap. 1. n. 161.) non irritat votum.

364. Q. Quotuplex est Votum?

℟. Multipliciter dividitur. Primo in solemne, et simplex. *Solemne* est, quod ut tale acceptatur ab Ecclesia, et sunt hæc duo, Votum *Castitatis*, quod majoribus Ordinibus est adnexum, et Votum *Professionis religiosæ*. *Simplex* est illud, quod caret hac solemnitate, et privatim Deo fit. Secundo dividitur in explicitum, et implicitum. *Explicitum* est, quo expressis verbis aliquid Deo promittitur; ut cum quis dicit: *Voveo jejunare*, et similia. *Implicitum* est illud, quod fit per liberam actionem habentem aliquod votum adnexum. Hinc qui libere sacrum Ordinem suscipit, censetur perpetuam Castitatem vovere, quæ his Ordinibus est adnexa.

365. Q. Quæ alia Voti divisio datur?

℟. Dividitur tertio in absolutum conditionatum, et pœnale. *Absolutum* est illud, quod sine ulla conditione emittitur, ut qui vovet castitatem vel perpetuam, vel ad tempus. *Conditionatum* est illud, quod sub aliqua conditione emittitur, qua conditione impleta, votum obligat; ut qui vovet peregrinari ex. gr. Si pater convalescat. *Pœnale*

est illud, quo aliqua pœna subeunda vovetur, si quid efficiatur, aut omittatur. Ut si quis eleemosynam dare voveat, si ludat. Ludendo, ad eleemosynam tenetur.

366. Q. Datur ne alia divisio Voti?

℟. Dividitur quarto in personale, reale, et mixtum. *Personale* est illud, quo promittitur nuda actio personæ, ex. gr. qui vovet jejunare. *Reale*, quando quis promittit aliquid de sua substantia, ut votum donandi Calicem Ecclesiæ. *Mixtum* denique, quod participat de reali, et personali. Ut qui vovet Sanctuarium visitare, ibique Calicem donare. Quæ autem sit Voti Materia, Obligatio, Cessatio, Commutatio, in sequentibus Capitibus videbitur.

Caput I.

De Materia Voti.

367. Q. Quid est Materia Voti?

℟. Omne, quod non solum est bonum, sed melius bonum, ut dictum est in Definitione (n. 357. et 361.), et possibile, et possit a seipso adimpleri, est materia Voti, quæ potest voveri. Dixi: *possibile*: quia si quis ex. gr. voveret vitare omnia peccata venialia, cum hoc sit moraliter impossibile sine speciali Dei gratia, hoc votum non teneret, nisi ex speciali divino impulsu hoc fieret. Potest tamen esse materia Voti vitare aliqua in specie peccata venialia, ex. gr. mendacia, curiositates etc. quia ordinaria Dei gratia potest hoc adimpleri.

368. Q. Quare dictum est: *possit a seipso adimpleri?*

℟. Quia quod ab aliis debeat adimpleri, non est materia voti, nisi isti alii Votum illud ratificent. Hinc si Pater ex. gr. filium Religioni voveret, filius patris voto non teneretur, nisi filius ratificaret, et sponte vellet Religionem ingredi. Sic pariter votum factum ab aliqua Communitate servandi ex. gr. aliquod festum, jejunium etc. obligat solum voventes, non autem successores, nisi hi ratificaverint (arg. *Citatis juribus*). Et hæc Communitatum vota pluries rejecit S. C. Rituum, et præsertim in *Urbevetana* 6. Octobris 1696.

369. Q. Opera aliunde præcepta vel a Deo, vel ab Ecclesia, sunt ne materia Voti?

℟. Maxime. Nihil enim obstat, quominus Religionis vinculo aliquis se adstringat ad opus præstandum vel omittendum ex. gr. non furandi, vel jejunandi diebus Quadragesimæ, etiamsi ex Lege divina, et Ecclesiastica ad id teneatur. Imo hujusmodi bona opera facta ex voto juxta Communem sunt magis meritoria: quia duplicem continent honestatem; et Deo plus dat qui ex voto bonum operatur: quia ultra bonum dat Deo etiam voluntatem, quam ei adstringit.

370. Q. Res indifferens est ne materia Voti?

℟. Cum Votum debeat esse de meliori bono, patet, rem indifferentem, et vanam non esse Voti materiam, dummodo ex aliqua circumstantia non transeat in bonam. Unde etiamsi ludere, vel non ludere sit per se indifferens, si quis autem votum emittat non ludendi, ut temporis, et suæ pecuniæ vitet jacturam, et multo magis si hoc votum efficiat ad evitandas rixas, blasphemias, et alia peccata, quæ in ludis solet committere, cum hi fines sint boni, et sancti, votum erit validum, et obligans.

Caput II.

De Obligatione Voti.

371. Q. Quæ, et quanta est obligatio Voti?

℟. Est tanta, quanta vel quantitas materiæ permittit, vel vovens sibi imponit. Unde si materia sit levis ex. gr. si voveris unum *Pater*, et *Ave*, vel non proferre leve mendacium, obligatio erit levis, et transgressio pariter levis. Si autem materia sit gravis ex. gr. si voveris jejunare, Missam celebrare, et similia; obligatio per se loquendo erit gravis, et transgressio pariter gravis. Communis.

372. Q. Quare dictum est: *per se loquendo?*

℟. Quia etiamsi materia sit gravis, vovens sub levi posset se obligare, si vovendo tacite, vel expresse hoc intendat. Communis. Ratio; quia sicut est in libertate voventis obligare se quoad substantiam, ita etiam quoad modum. Hoc autem procedit quoad Vota simplicia; nam quoad Vota solemnia, quæ fiunt in Sacra Ordinatione, et Professione religiosa, non potest quis se obligare sub levi. Dixi: *si tacite, vel expresse hoc intendat*: quia aliter judicandum est juxta qualitatem materiæ.

373. Q. Quo tempore Vota sunt implenda?

℟. Si vovens sibi tempus præfixit; ex. gr. jejunandi in Vigilia Conceptionis, illo die debet jejunare; et si absque legitima causa non jejunet, peccat contra Votum. Si autem tempus non præfixit; tunc quamprimum commode potest; debet quis adimplere. Communis. Et clare desumitur ex Cap. 23. Deuteronomii, ubi dicitur: *Cum votum voveris Domino, non tardabis red-*

dere . . . . . et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.

374. Q. Quæ dilatio in votis adimplendis reputatur peccaminosa?

℟. Si votum sit in perpetuum obsequium Dei ex. gr. ingrediendi in Religionem, jejunandi singulis Feriis sextis, et similia, dilatio ultra sex menses generaliter loquendo reputatur graviter peccaminosa (Vide B. Ligorio Lib. 3. n. 221.), nisi adsit justa causa dilationis prudentum judicio. Si autem votum sit in obsequium temporale, ex. gr. visitare tale Sanctuarium, facere unum jejunium, recitare tot Rosaria etc. differunt inter se Doctores. Generaliter autem dilatio duorum, aut trium annorum, nisi adsit legitimum impedimentum, reputatur pariter graviter peccaminosa. Vide B. Ligorio ibid.

375. Q. Vovens absque intentione se obligandi, aut non exequendi promissum, tenetur voto?

℟. Si votum sit simplex, non tenetur: quia qui vovit absque intentione se obligandi, non promissionem, sed propositum efformavit, ut supra n. 357. et clare patet ex Cap. *Litterarum* 3. *de Voto, et Voti redemptione*. Et idem dicatur de eo, qui vovit nesciens voto adnexam esse obligationem. Si autem habuit intentionem se obligandi, juxta Communem (B. Ligorio ib. n. 201.) ad votum tenetur, licet vovisset absque intentione exequendi promissum: quia obligatio voti non pendet ab intentione implendi, sed a voluntate se obligandi, quæ jam adest. Si autem votum sit solemne, ut votum Castitatis in sacra Ordinatione, et Professione religiosa, licet non teneretur vi voti, teneretur ex præcepto Ecclesiæ: quia qui voluntarie suscipit sacrum Ordinem, et

profitetur in Religione, vult etiam obligationes adnexas. Vide B. Ligorio. Lib. VI. n. 809.

376. Q. Quid dicendum de eo, qui dubitat, an habuerit intentionem se obligandi?

℟. Qui certus est, se emisisse votum, aut deliberate se protulisse verba, quæ verum votum, et veram exprimant promissionem, dicendo ex. gr. *Voveo*, vel *promitto Deo, et Beatæ Virgini servare castitatem*; et adhibita morali diligentia, dubitat, an habuerit veram intentionem se obligandi, voto tenetur: quia deliberate vovendo, præsumitur habuisse voluntatem se obligandi, nisi aliunde constet de opposito, cum nemo censeatur dicere, quod in mente non habuit. Sic clare dicitur in Lege *Labeo 7. ff. de supellect. leg.*

377. Q. Dubius, an aliquod votum emiserit nec ne, tenetur ad illud?

℟. Si facto diligenti examine, nulla appareat ei conjectura probabilis, quod revera emiserit, et in suo dubio remaneat, non tenetur: quia, ut dicit Glossa (in C. *Cum sunt* de Reg. jur. in 6.): *in dubio nullum præsumi obligatum*; et cum tanta sit, et tam gravis obligatio voti, nullus tenetur huic subjici obligationi absque rationabili fundamento.

378. Q. Qui certus est de voto emisso, et dubitat de adimplemento, tenetur ne ad votum?

℟. Si facto diligenti examine, nulla probabilis conjectura ei appareat, quod impleverit, et in suo dubio remaneat, tenetur: quia cum obligatio sit certa, certa etiam debet esse satisfactio; et cum hoc casu votum possideat, in dubio (ut legitur in Cap. *Ad aures 6. de Præscriptionibus*) melior est conditio possidentis.

379. Q. Vota possunt ne, et debent per alios impleri?

℟. Si votum sit personale, ex. gr. jejunandi, peregrinandi, orandi etc. per seipsum debet impleri, nisi vovens voluisset se obligare adimplere per alium in casu impotentiæ; quia tunc teneretur implere; et expensas, si quæ sunt necessariæ, subministrare. Si autem votum sit reale, ex. gr. donandi Calicem, faciendi eleemosynam, et similia, possunt etiam per alios impleri. Imo si talia vota realia non implevit vovens, obligatio transit ad hæredes, ut ex Leg. *Si quis* ff. de *Pollicitationibus*, deductis expensis pro funere, pro debitis solvendis, pro legitima descendentibus, vel ascendentibus danda, et similibus.

Caput III.

De Voti Extinctione, et Irritatione.

380. Q. Qui votum emisit, potest ne ab ejus adimplemento deobligari?

℟. Quatuor modis potest quis deobligari, Extinctione, Irritatione, Dispensatione, et Commutatione. De Extinctione, et Irritatione in Capite præsenti, de Dispensatione, et Commutatione in sequentibus agetur.

381. Q. Quomodo cessat voti obligatio per *extinctionem*?

℟. Cessat primo, quando cessat finis principalis. Hinc qui vovit dare eleemosynam Petro pauperi, si evadat dives, non amplius tenetur. Secundo, quando voti executio redditur impossibilis, vel illicita. Ut si quis Missæ auditionem quotidie vovit, quando infirmus in lecto decumbit, non tenetur. Sic ad peregrinationis votum non tenetur, qui absque peccato, vel periculo peccandi illam suscipere non potest.

382. Q. Extinguitur ne aliis de causis voti obligatio?

℟. Extinguitur tertio per notabilem rerum mutationem. Hinc qui vovit Ecclesiam ex. g. ædificare, si postea pauper evadat, durante hoc statu paupertatis, non tenetur. Quarto denique vota personalia extinguuntur per Professionem religiosam. Sic habetur ex Cap. *Scripturæ* 4. *de Voto*. Dixi: *Vota personalia*, quia *Vota realia*, (n. 366.), si sint acceptata, non extinguuntur; cum hoc casu alterius præjudicium adesset. Communis.

383. Q. Quid est Voti *Irritatio*?

℟. *Irritatio* Voti juxta S. Thomam (2. 2. q. 88.), est sublatio obligationis voti facta ab eo, cujus dominativæ potestati subjecta est vel persona vovens, vel materia voti, seu res promissa. Et proinde *irritare* idem sonat, ac nullum reddere votum, cùm hac differentia, quod quando potestas est in personam, dicitur *Irritatio directa*, et votum irritatur pro semper, neque umquam reviviscit, nisi persona vovens conscia de infirmitate sui voti, tempore habili confirmet, aut renovet. Si autem potestas sit in materiam voti, vel in rem promissam, *Irritatio* erit *indirecta*, per quam suspenditur tantum voti executio, quod tempore habili reviviscit.

384. Q. Qui possunt irritare vota *directe*?

℟. Primo est Pater, qui omnia vota filiorum impuberum, idest eorum filiorum, qui annum 14. non compleverint, si sint masculi; et annum 12. si sint fœminæ. Communis (per texum in Cap. 30. num. et Cap. *Puella* caus. 20. q. 2.). Secundo quoad hos impuberes filios possunt irritare qui patris vices gerunt, ut sunt avus, si pater obie-

rit, aut longe distet; tutor, qui in locum patris succedit; et horum defectu mater, etiamsi non sit tutrix, nisi sit alius, qui impuberis imbecillitati provideat. Hi omnes talium impuberum personalia vota pro semper possunt irritare, et reddere nulla; quia impuberes propriæ voluntatis non sunt domini.

385. Q. Sunt ne alii, qui *directe* possint vota irritare?

℟. Quoad vota simplicia Religiosorum professorum possunt hæc *directe* irritari non solum a Papa, sed etiam ab eorum Superioribus Generalibus, Provincialibus, et Localibus, dummodo votum non sit de arctiori Religione profitenda. Communis per citatum Textum *Puella*, et in Cap. *Licet* 18. de *Regularibus*, quia Religiosi dependent omnino a voluntate Superiorum. Quod auctores extendunt ad Superiorissas Monialium quoad suas subditas. Denique juxta probabiliorem (B. Ligorio Lib. 3. n. 234.) etiam maritus potest *directe* irritare vota personalia suæ uxoris, licet non præjudicent usui matrimonii, prolis educationi, vel domesticæ gubernationi; ut ex Cap. 3o. Numer. clare dicit Angelicus (2. 2. q. 88. a. 8. ad 3.); quia ad pacem familiæ valde expedit, quod uxor totaliter dependeat a voluntate mariti, sine cujus consensu non voveat.

386. Q. Quis *indirecte* potest vota irritare?

℟. Pater potest *indirecte* irritare, seu potius executionem suspendere illorum votorum, quæ emiserint filii puberes, qui excedunt annum duodecimum, si sint fœminæ, et annum quartumdecimum si sint masculi: dummodo ejusmodi filii non sint emancipati, et vota emissa familiæ gubernationi obsint, ut essent vota peregrinationis,

jejuniorium etc. quæ œconomiæ familiari obessent. Nam vota, quæ regimen domesticum non impediunt, ut sunt vota castitatis, religionis, precum, et similia, non possunt a patre irritari. Et idem dic de tutore puberis usque ad annum 25. in iis, quæ eorum nocent potestati.

387. Q. Qui alii possunt *indirecte* irritare?

℟. Superiores Regulares possunt irritare, seu suspendere usquedum sunt in Novitiatu, illa vota Novitiorum, quæ eorum gubernationi adversantur. Item uxor potest indirecte irritare illa mariti vota, quæ derogant vitæ sociali, et usui dominii, quod habet in corpus mariti, ut esset alibi habitare, seorsim cubare, debitum non petere, longam suscipere peregrinationem etc. Domini pariter possunt irritare illa vota famulorum, et ancillarum, quæ obstant justo famulatui sibi debito. Cessante autem famulatu, vota illa reviviscunt. Et denique Superiores omnes vota suorum subditorum irritare possunt, quæ opponuntur eorum regimini, administrationi etc. Communis.

388. Q. Irritatio voti facta absque justa causa, est ne valida, et licita?

℟. Quoad validitatem semper est valida: quia qui habet potestatem dominativam, jure suo semper potest uti. Communis. An autem sit licita? Controvertitur. Sed probabilius videtur, peccari venialiter: quia qui absque justa causa irritat, jure suo abuti videtur.

Caput IV.

De Voti Dispensatione.

389. Q. Quid est Voti Dispensatio, et quis potest dispensare?

℟. Dispensatio est relaxatio, seu condonatio Voti ob justam, et rationabilem causam nomine Dei facta ab habente in foro externo spiritualem jurisdictionem in voventem. Communis. Et hanc potestatem jure ordinario habent 1.° Papa respectu omnium fidelium in omnibus votis. 2.° Episcopus respectu suorum subditorum (Vide Lib. 1. n. 153. et 154.). 3.° Prælati Regulares ab Episcopi jurisdictione exempti (non vero non exempti, nisi ex Episcopi commissione, vel ex consuetudine id sit illis concessum, neque Superiorissæ Monialium) respectu suorum Religiosorum, et Novitiorum. Et eamdem facultatem habent Legati a latere, et Nuntii in locis sibi commissis, Capitulum Sede vacante, et Abbates jurisdictionem Episcopalem habentes. Communis.

390. Q. Quare dictum est: *jure ordinario*?

℟. Quia jure delegato potest dispensare quicumque delegatus sit a supradictis jure ordinario dispensantibus (Vide Lib. 1. n. 156. et 157.); et ex privilegio dispensare possunt cum suis pœnitentibus etiam sæcularibus Confessarii Regulares approbati Ordinum mendicantium, ac in eorum privilegiis communicantium in omnibus votis, in quibus jure ordinario possunt Episcopi. Sic, ut refert Ferraris (V. *Votum* art. 3. n. 77.), expresse habetur ex pluribus privilegiis Summorum Pontificum Innocentii VIII. Eugenii IV. Martini V. ac aliorum, ut videre est in Com-

pendiis Privilegiorum Ordinis Dominicanorum.

391. Q. Sunt ne aliqua Vota reservata?

℟. Sunt Papæ reservata Vota sequentia, primo Vota solemnia; secundo Vota, quæ emitti solent in Congregationibus S. Vincentii a Paulo, SS. Redemptoris, Passionistarum etc. perseverandi in eis (quæ perseverandi Vota dispensari possunt etiam ab earum Superioribus Generalibus); tertio quinque Vota sequentia, idest Castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, Peregrinationis ad limina Apostolorum Romam, ad S. Jacobum Compostellam, et ad Terram Sanctam Jerusalem etc. Sic eruitur ex Extravag. *Etsi Dominici* 5.

392. Q. Vota prædicta semper ne sunt Papæ reservata?

℟. Quoad quinque Vota, de quibus supra, si necessitas dispensandi urgeat, nec facilis sit accessus ad Papam, ex. gr. imminet periculum scandali, rixarum, infamiæ etc. si hic, et nunc non contrahatur matrimonium ab habente votum simplex Castitatis perpetuæ; ex præsumptivo Papæ consensu hoc casu etiam Episcopi, aliique Episcopalem jurisdictionem habentes dispensare possunt. Sic Communis ex Cap. *Quoniam* (13. caus. 1. q. 7. dist. 1.). Insuper prædicta quinque Vota ex communi Doctorum sententia (Ligorio supra n. 258. Not. 3.) cessant esse reservata, 1. si emissa sint ex obligatione levi; 2.° si emissa sint ex metu etiam levi ab alio incusso; 3.° si non sint plene deliberata, aut de deliberatione dubitetur; 4.° si votum sit disjunctivum, ex. gr. Religionis, vel jejunii; 5.° Si Religio, quam vovit, non sit approbata.

393. Q. Quid, si extra casum necessitatis, ut supradicta quinque Vota dispensentur?

℟. Qui prætextu privilegiorum dispensaret vel solum commutaret prædicta quinque Vota, non solum Dispensatio esset nulla; sed hujusmodi dispensantes, vel commutantes subjicerentur excommunicationi Papæ reservatæ. Ita ex Extrav. *Etsi Dominici gregis 3. de pœnis, et remiss.*

394. Q. Vota possunt ne dispensari absque causa?

℟. Ex definitione (n. 389.) clare patet, ad dispensationem requiri justam, et rationabilem causam: aliter foret potius dissipatio, quam dispensatio, cum potestas dispensandi data sit *in ædificationem*, ut inquit Apostolus (2. Cor. 10. 8.), *et non in destructionem*; et proinde tam qui scienter dispensat sine justa causa, quam qui hujusmodi Dispensationem scienter petit, et acceptat, graviter peccant pro gravitate materiæ; et dispensatio esset nulla. Sicut econtra graviter peccaret negans dispensationem, quando adest causa justa. Communis. Vide Lib. 1. a n. 160. etc.

395. Q. Quænam sunt justæ causæ ad dispensandum?

℟. Sunt 1° honor Dei, bonum Ecclesiæ, status, et etiam familiæ: 2.° major profectus voventis: 3.° periculum morale sæpius violandi votum, vel etiam magna difficultas in exequendo: 4.° imperfecta deliberatio in vovendo; 5.° notabilis difficultas superveniens voti executioni. Hic autem nota, quod si dispensatio vergeret in præjudicium alterius, etiamsi interveniret justa causa, votum non posset nec dispensari, nec commutari. Hinc votum de danda eleemosyna ex. gr. Ecclesiæ, vel pauperi ab his acceptata non potest dispensari, nec commutari, nisi hi remittant, et jus acquisitum condonent. Communis.

396. Q. Quid in dubio, an causa dispensandi sit justa?

℟. Juxta Ferraris (V. *Votum* art. 3. n. 64.), et alios, quando causa non appareat ita sufficiens ad omnino dispensandum, tunc facultatem habens dispenset, et commutet juxta regulas mox dandas. Imo etiam si causa sit sufficiens, expedit, ut aliqua commutatio semper admisceatur exemplo Summorum Pontificium, ut patet in Cap. *Venientes* 2. et alibi; et ut sapienter dispositum est in Bulla S. Cruciatæ huic Regno Neapolitano concessa, ubi num. IV. datur facultas Confessario juxta regulas Ecclesiæ, et pro sua prudentia dispensandi, et commutandi vota simplicia in alia pietatis opera respondentia.

Caput V.

De Voti Commutatione.

397. Q. Quid est Voti commutatio, et quis potest commutare?

℟. Commutatio Voti est subrogatio alterius materiæ loco ejus, quæ Voto erat promissa, sub eadem obligatione. Communis. Omnes autem, qui facultatem habent dispensandi (389. 390. 391. 392.), habent etiam commutandi, licet non e converso, juxta fere communem Doctorum sententiam (Vide Ferr. V. *Votum* art. 3. n. 120.); et expresse habetur in Cap. *Ex parte* 27. *de Decimis*, ubi sic legitur: *ubi majus conceditur* (quod certe est facultas dispensandi) *mimus concessum esse videtur*. Imo si commutatio voti fiat in opus evidenter melius, idest et Deo gratius, et spirituali saluti voventis utilius, potest fieri e-

tiam auctoritate propria: dummodo votum illud non sit reservatum (n. 139.), nec in alterius præjudicium vergat. Vide supra n. 391.

398. Q. Pro hujusmodi commutatione requiritur ne causa?

℟. Si commutatio fiat in opus evidenter melius, (n. 397.) potest fieri etiam sine causa. Aliter semper aliqua justa causa requiritur. Et si commutatio velit fieri in opus notabiliter minus, causa gravior requiritur, ut esset vel imperfecta voventis deliberatio, vel difficultas exequendi, vel damnum grave incurrendum, vel majus bonum speratum, et hujusmodi. Aliter commutatio foret graviter illicita, utpote facta cum abusu potestatis, ut omnes concedunt, et juxta probabiliorem etiam invalida. Videantur quæ supra dicta sunt de Dispensatione n. 394. et 395. Licet pro Commutatione causa minus gravis requiratur.

399. Q. Quænam regula servanda est in hujusmodi commutationibus?

℟. Una, et certa regula pro omnibus tradi non potest. Generaliter autem loquendo, nisi circumstantiæ, et causæ aliud exigant, Votum personale mutetur in personale, reale in reale, mixtum in mixtum (n. 366.), corporis afflictivum in pariter afflictivum etc.; et attendatur etiam quod ad Dei honorem, et ad voventis salutem magis conducat. Unde votum disciplinæ, aut cilicii mutari potest in jejunium pariter corporis afflictivum; votum peregrinationis ad aliquod Sanctuarium cum visitatione alicujus Ecclesiæ una cum eleemosyna illarum expensarum, quas vovens juxta sui status conditionem pro illa peregrinatione esset facturus; et denique pro quocumque Voto commutando potest etiam superaddi Confessio, et Communio,

quæ rite facta multum ad Dei honorem, et ad salutem voventis conducit.

400. Q. Si is, cujus votum mutatum est, malit implere primum, potest ne?

℟. Maxime. Cum enim Voti commutatio facta sit in favorem voventis, censetur facta cum hac tacita conditione, *si ei placuerit*. Et licet quando commutatio facta sit in melius jam acceptatum, dissentiant Doctores, probabilius tamen, et communiter affirmatur: quia semper verum est, commutationem factam esse in favorem voventis. Videatur B. Ligorio (supra n. 248.).

401. Q. Quid differunt inter se Voti Extinctio, Irritatio, Dispensatio, et Commutatio?

℟. In hoc differunt, quod *Extinctio* nullius auctoritate interveniente, cessat, et Votum amplius non obligat (n. 381. et 382.). Per *Irritationem* factam ab habente potestatem dominativam tollitur obligatio Voti; et quamvis absque causa Irritatio fiat, erit valida (n. 383. etc.). *Dispensatio* est condonatio voti Dei nomine facta; et rationabilis causa debet intervenire, aliter invalida, et illicita (n. 389. etc.) Et *Commutatio* est subrogatio alterius operis loco operis promissi. Et etiam hæc fieri debet cum causa, ut dictum est n. 396. et sequentibus.

ARTICULUS II.

De Juramento.

402. Q. Quid est Juramentum?

℟. Est expressa, vel tacita Dei invocatio in testem dicti, vel facti. Sic ex S. Augustino (Serm. 18. de verb. Jacob. Apost.). Dicitur invocatio

expressa, cum nomen Dei explicite nominatur, ut cum dicitur: *Juro per Deum*, *Testis est mihi Deus*, *Per Christum*, et similia. Dicitur invocatio *tacita*, cum res sacra, vel nobilior aliqua creatura invocatur, in qua singulariter relucet, vel residet Creator: ut cum juratur *per Evangelia*, *per Crucem*, *per Fidem Christianam*, *per Sanctos*, *per Animam*, *per Templum*, *per Cœlum*, *per Terram*, *per Sacramenta* etc., vel invocando quamcumque aliam creaturam cum additione *Dei*, ex. gr. *juro per hunc ignem Dei*, *per hoc vinum Dei*, et similia.

403. Q. Sunt ne aliæ formulæ Juramenti?

℟. Sunt quædam formulæ, quæ ambiguum habent sensum, ut sunt hæ: *Scit Deus*, *Coram Deo loquor*, *Deus videt*, *ita est* etc. Quæ formulæ si *enunciative*, idest per modum narrationis pronuntientur, non sunt juramenta. Secus, si *invocative*, sive cum intentione invocandi Deum: Hæ autem formulæ: *Per fidem meam* (dummodo non intelligatur *Fides Christiana*), *In fide Christiani*, *Religiosi* etc. *In veritate* etc. regulariter loquendo non sunt juramenta: hisce enim expressionibus fides humana tantum exprimitur. In praxi tamen intentio loquentis, et circumstantiæ sunt semper consulendæ.

404. Q. Quotuplex est Juramentum?

℟. Multiplex. Et primo dividitur in assertorium, et promissorium. *Assertorium* est illud, quo affirmatur, vel negatur aliquid præsens, aut præteritum. Ut si dicatur: *Juro*, *hoc ita esse*, *vel fuisse*, *vel non*. *Promissorium* est illud, quo afaffirmatur, vel negatur aliquid futurum, ex. gr. *Juro me hoc esse facturum*, *vel non facturum*. Dividitur secundo in solemne, et simplex. *Solemne*

est illud, quod solemni ritu, et forma emittitur coram Superiore Ecclesiastico, Judice, Notario, ut solet fieri in professione Fidei, in Judiciis, in Homagiis, in juramento Fidelitatis, et hujusmodi. *Simplex* est illud, quod fit private per simplicem Dei invocationem. Communis.

405. Q. Datur ne alia divisio Juramenti.

℞. Maxime. Dividitur enim etiam in imprecatorium, et comminatorium. Juramentum *imprecatorium* est illud, quo jurans vel sibi, vel aliis malum aliquod a Deo imprecatur, nisi verum sit quod asserit, vel promittit. Ut si dicatur: *Deus me puniat, nisi hoc verum sit. Comminatorium* est illud, quo jurans comminatur alicui aliquod malum facturum, ex. gr. *Si iterum hoc facis per S. Petrum te occidam* etc. Horreant Cristiani hujusmodi horribilia juramenta.

406. Q. Quot modis fieri potest Juramentum?

℞. Quatuor modis, mente, nutu, facto, et verbo. *Mente*, quando intra se Deum invocat pro sua assertione. *Nutu*, quando interrogatus quis, an aliquid juret, ipse vel oculis, vel capite, vel manum, digitumve extollendo annuit. *Facto*, quando obblatum sibi ad jurandum, vel Evangelium, vel calamum, vel aliquod aliud, tangit; vel tangit suum pectus, ut solent facere coram Judice, aut Notario Sacerdotes. *Verbo* denique, quando aliquis vel profert, vel scribit verba juramentum indicantia. Quando autem Juramentum sit licitum, obliget, ejusque obligatio cesset, vel tollatur, videbitur in sequentibus Capitibus.

Caput I.

De Juramenti liceitate.

407. Q. Juramentum est ne licitum?

℟. Si cum debitis fiat conditionibus, non solum est licitum, sed est actus Religionis, seu Latriæ, quo Deum ut summam veritatem agnoscimus. Sic enim legitur Deuteronomii Cap. 6. v. 13: *Dominum Deum tuum timebis .... ac per nomen ejus jurabis.* Et revera Apostolus (2. Cor. 1. 23.) sic dicit: *Ego autem testem Deum invoco*, et etiam aliis locis juravit (Rom. 1. Galat. 1. 1. ad Timoth. 5.). Et si Matth. Cap. 5. v. 34. legitur: *Ego autem dico vobis non jurate omnino*, hæc Christi prohibitio intelligi debet de juramento absque debitis conditionibus emisso. Communis.

408. Q. Quænam conditiones requiruntur ad juramentum?

℟. Tres conditiones requiruntur, ut legitur Jeremiæ Cap. 4. v. 2. Veritas, Judicium, et Justitia. Sic enim ibi: *Jurabis ..... in veritate, in judicio, et in justitia. Veritas* exigit, ut jurans existimet certo, rem ita se habere. *Judicium* exigit, ut cum discretione, prudentia, reverentia, et in solo necessitatis casu juretur. *Justitia exigit, ut quod juratur, sit res justa.*

409. Q. Juramentum absque dictis conditionibus emissum est ne semper peccatum?

℟. Maxime, cum hac tamen differentia: quod si in juramento deficiat solum *judicium*, non est nisi veniale peccatum, dummodo absit periculum jurandi falsum; quia talis defectus opponitur solum prudentiæ; et hæc irreverentia non videtur

de se gravis. Communis. Dixi : *dummodo absit periculum jurandi falsum* : quia si hoc adsit periculum, ut accidit in illis, qui habent consuetudinem jurandi quavis minima occasione, est moraliter impossibile, hujusmodi consuetudinarios semper attendere, an verum jurent; et proinde juxta omnes versantur in statu peccati mortalis.

410. Q. Quid dicendum, si deest *Veritas?*

℟. Semper peccatur graviter, etiamsi mendacium, quod juratur, sit leve, ut constat ex prop. 24. proscripta ab Innocentio XI. Ratio, quia gravissima injuria Deo irrogatur eum adducendo in testem falsitatis, et tale Juramentum dicitur *Perjurium*, de quo supra a n. 299. etc. Hinc qui jurat tamquam verum, quod putat esse falsum, aut de quo dubius sit; item quando jurat facere quod implere non intendit juxta Communem; aut quando promissis juramento firmatis absque legitima causa stare non vult; etiamsi materia jurata sit levis, ut probabilius sentiunt S. Augustinus (Epist. 125. ad Alip.), et S. Thomas (2. 2. q. 89. a. 7.), semper peccat mortaliter.

411. Q. Quid si desit *Justitia?*

℟. Si quis juret facere rem peccaminosam, sive sit gravis juxta omnes, ut si quis juret, se aliquem interfecturum; sive sit levis, ut si quis juret leve mendacium prolaturum, ut probabilius sentit B. Ligorio cum aliis, quos citat (Lib. 3. n. 146.), semper peccat graviter : quia non levis, sed gravis irreverentia videtur Deum invocare in testem peccati quamtumvis levis. Si autem sub juramento affirmat rem etsi graviter malam a se commissam, generaliter loquendo peccat leviter juxta probabiliorem (Ligorio ibid.).

412. Q. Quare dictum est: *generaliter loquendo?*

℟. Quia posset etiam graviter peccare vel ob complacentiam, quam experitur in narrando suas iniquitates; vel si juramentum alicui graviter noceret, ut qui, sicut bene advertunt Salmaticenses cum eodem B. (ibid.), juramentum assumeret ad confirmandum gravem detractionem: quia tunc juramentum sumeretur ut medium ad alterius infamiam certiorem reddendam; et proinde graviter peccaret non solum detrahendo, sed etiam jurando.

413. Q. Quot peccata committit qui jurat aliquod malum faciendum?

℟. Duo, ob duplicem malitiam, quæ concurrit: unum, quia vult malum; alterum, quia suam perversam intentionem juramento corroborat. Et qui juraret absque intentione illud malum exequendi, adhuc graviter peccaret; et esset perjurus; quia a suo juramento *veritas* deest. Hic autem advertendum cum eodem Ligorio (supra), quod ex defectu deliberationis, et advertentiæ multoties excusantur a gravi qui ex impetu iræ jurant se occisuros, aut aliud malum facturos: dummodo (adderem) in illis juramentis non sint habituati, et hunc perversum habitum non curent emendare.

414. Q. Potest ne jurari cum restrictione mentali?

℟. Si restrictio sit *pure mentalis*, idest, quæ nullo modo ab aliis percipi possit, est graviter peccaminosa, ut patet ex Propositionibus 26. 27. et 28. damnatis ab Innocentio XI. Hinc si quis interrogatus ex. gr. an habeat librum, juret, se non habere, intelligens in mente sua non habere

in crumena, quem tamen habet domi, patet, quod juret mendacium, et proinde esset perjurus.

415. Q. Quid dicendum, si restrictio non esset *pure mentalis*?

℟. Si restrictio non esset *pure mentalis*, idest, quæ ex adjunctis circumstantiis innotescere posset; in casu necessitatis juxta omnes (B. Ligorio ibid. n. 151.), est licita: dummodo non fiat in judicio, aut in contractibus, in quibus damnum adesset alterius; quia tunc juraret cum *veritate*. Hinc si Confessarius interrogatus ab impio, an ex. gr. uxor confessa sit de tali peccato, potest, imo debet et etiam cum juramento, si urgeatur, respondere, se nihil scire, intelligendo intra se, quod possit communicare, seu ut *hominem*: quia ex circumstantia sigilli Sacramentalis potest intelligi, nihil Confessarium scire, quod possit communicare.

416. Q. Juramentum potest ne exigi ab eo, qui scitur certo falsum juraturus?

℟. Auctoritate privata minime. Sic enim statuitur in Cap. *Ille*, *qui* 5. caus. 22. q. 5. et alibi. Ratio, quia juramentum dari debet ad sciendam veritatem. Cum enim in supposito casu non solum non sciretur verum, sed sciretur falsum, qui tale exigeret juramentum absque ulla utilitate et animam proximi, et animam propriam perderet, ut recte dicit S. Augustinus relatus in dicto Cap. *Ille*, *qui*.

417. Q. Quare dictum est: *auctoritate privata*?

℟. Quia id ex Communi licet Judici ad istantiam partis. Et quamvis cum tali juramento parti læsæ Judex non prodesset, prodesset tamen Communitati, seu Reipublicæ: nam si Judex non

posset licite exigere juramentum ab iis, quos scit esse pejeraturos, possent perversi fingere se pejeraturos, et sic evitare Judicis interrogationes, quod in maximum Reipublicæ detrimentum cederet; et communis utilitas debet prævalere cuilibet juri privatæ personæ.

418. Q. Metu mortis, vel alterius mali gravis, potest ne jurari falsum?

℟. Sic nonnulli ausi sunt affirmare tempore S. Augustini, contra quos acriter pugnavit S. Doctor, præsertim Lib. 2. de Mendacio Cap. 18. Cum enim præceptum non jurandi falsum sit præceptum negativum obligat semper, et pro semper, ut ajunt Scholæ, et quidem sub gravi; et proinde nec timore mortis potest jurari quod falsum reputatur.

Caput II.

De Obligatione Juramenti promissorii, et de ejus Cessatione.

419. Q. Promissa juramento firmata semper ne sunt adimplenda?

℟. Quando res promissa sit honesta, et legitima causa non excuset, semper est adimplenda sub gravi, ut dictum est supra n. 410. Communis ex Cap. *Si vero* 8. *de Jurejurando*. Et hæc obligatio adest, etiamsi juramentum metu injusto sit extortum, dummodo absque peccato possit servari. Hinc qui juravit latroni pecunias soluturum, juramentum servare debet. Hæc autem juramenta solet Ecclesia relaxare, ut legitur in Cap. *Verum* 15. de Jurejurando. Dixi: *Si res promissa sit honesta*: nam si sit etiam leviter peccaminosa, ut si quis juret jocose mentiri, juramentum nul-

Iam parit obligationem ; *cum juramentum non sit vinculum iniquitatis* ; ut statuitur in Cap. *Inter cætera* Caus. 2. q. 4. et alibi , imo non potest adimpleri.

420. Q. Quænam causæ excusant ab adimplendo rem juramento firmatam ?

℟. Multæ. 1.° Si juramentum sit legitime relaxatum , ut infra. 2.° Si res promissa evadat impossibilis servatu vel physice , vel moraliter : *nemo* enim *potest ad impossibile obligari* ,. ut in Cap. *Nemo* 6. de reg. jur. in 6. 3.° Si res promissa sit contra jus Superioris , ut colligitur ex Cap. *Venientes* 19. *de Jurejur*. 4.° Si is , in cujus favorem est juratum , remiserit : quisque enim potest juri suo renuntiare , ut in Cap. *Si de terra* 6. *de Privileg*. 5.° Si supervenerit notabilis mutatio ; ut qui juraret ducere puellam , quæ est sana ; si evadat claudicans , paralitica etc. non tenetur. 6.° Si altera pars in juramentis mutuis fidem non servaverit ex Cap. *Frustra* 75. *de reg. jur. in* 6.

421. Q. Sunt ne alia juramenta , a quorum executione quis excusetur ?

℟. Sunt illa juramenta , quæ vel sunt contra bonum commune , vel a Jure irrita declarantur. Hinc juramenta metu extorta super Professione Religiosa , Sponsalibus , Matrimonio , et Renunciatione , quæ a Clerico requireretur , Fori Ecclesiastici , utpote bono communi contraria , non obligant ex Cap. *Diligenti de Foro competenti.* Sicut non teneret renunciatio , nec obligatio etiam juramento firmata facta a Novitio absque licentia Episcopi , aut ejus Vicarii intra duos proximos menses ante professionem : quia hæc juramenta irritat Concilium Tridentinum (Sess. 25. Cap.

16. de Regular.); nec suum effectum sortirentur, nisi secuta professione.

422. Q. Juramentum de re minus bona, vel indifferenti, obligat ne?

℟. Si juramentum factum sit Deo de re indifferenti, vel impeditiva majoris boni, non tenet: quia sicut in Voto, sic in Juramentis soli Deo factis respicitur opus perfectius. Sic statuitur in Summario Cap. *Pervenit.* 3. *de jurejurando*: *Non pejerat qui juramenti implementum in melius commutat.* Sed si juramentum factum sit alteri, non potest absque hujus consensu in aliud etsi melius mutari. Communis ex Cap. *Cum contingat* 28. *de jurejurando.* Hinc qui juravit dare Cajo pauperi decem ducata, absque hujus consensu non potest dare Titio pauperrimo, etsi esset melius.

423. Q. Obligatio Juramenti transit ne ad hæredes?

℟. Etiamsi juramentum ex parte jurantis sit *personale*, fit tamen *reale* ex parte ejus, cui juratur. Hinc licet juramentum defuncti quoad *reatum perjurii* non transeat ad hæredes; obligatio autem exequendi voluntatem defuncti etsi non juratam transit ad hæredes. Sicut ex virtute Justitiæ transit ad Successores juramentum, quod factum est Prædecessoribus; et proinde, ut ex Cap. *Veritatis* 14. *de jurejurando*, qui obedientiam, fidelitatem etc. Regi, Prælato, aut aliis Superioribus juravit, eamdem debent etiam Regibus, aliisque Superioribus successoribus, quin novum emittant juramentum.

424. Q. Quomodo cessat obligatio Juramenti promissorii?

℟. Cessat. 1.° Remissione illius, in cujus favo-

rem fuit præstitum : quisque enim potest juri suo renuntiare, ut dictum est n. 420. 2.° Irritatione. 3.° Commutatione. 4.° Dispensatione, ut supra dictum est de voto (n. 383.). Juramentum enim eodem modo, et ab iisdem irritari, commutari, et dispensari potest, ut dictum est de Voto. Recolantur ergo quæ ibi sunt dicta : cum hac solum exceptione, quod in juramento præstito in favorem alterius, et ab eo acceptato non potest commutari, nec dispensari absque ejus consensu, nisi bonum commune id exigat; vel si is, in cujus favorem juramentum fuit præstitum, per injuriam, per vim, vel metum gravem illud non extorserit.

De III. Præcepto Decalogi, et I. Ecclesiæ.

425. Q. Quid in his Præceptis præscribitur?

℟. De festorum sanctificatione in his loquitur; et duo præscribuntur, unum præcipitur, et alterum diebus festis vetatur. Quod videbimus in sequenti Tractatu.

TRACTATUS IV.

De iis, quæ diebus festis præcipiuntur, et vetantur.

426. Q. Quid diebus Festis præcipitur, et vetatur?

℟. Præcipiuntur opera bona, et vetantur opera servilia, et quasi servilia. Quis autem Festa instituit; quæ sint opera bona, quæ præcipiuntur; quæ opera servilia, et quasi servilia vetita; et quis ab horum Præceptorum observantia excusetur, in sequentibus Capitibus videbimus.

Caput I.

De Festorum institutione.

427. Q. Quis Festa instituit?

℟. Etsi institutio Festorum, et obligatio ea sanctificandi sit de jure positivo, oritur tamen a jure naturali, quod dictat, aliquod tempus divino cultui esse destinandum. Hoc tempus in Lege veteri ex divina institutione erat dies Sabbati. At in Lege nova *Apostoli, et Apostolici viri*, ut inquit S. Augustinus (Serm. 25. de Temp.) loco Sabbati subrogarunt *diem Dominicam*, quia hoc die *Redemptor noster a mortuis resurrexit, et in ipso Spiritus Sanctus super Apostolos descendit*. Et etiam Ecclesia suos dies festos instituit.

428. Q. Quænam sunt Festa instituta ab Ecclesia?

℟. Quamvis antiquitus plurima Festa observarentur; decursu tamen temporis in variis Regnis, et Provinciis fuerunt diminuta. Et in hoc utriusque Siciliæ Regno per Constitutionem F. M. Pii Papæ VII. quæ incipit *Paternæ charitati* editam 16. Apr. 1818. varia Festa fuerunt abrogata; et præter dies Dominicos sequentia tantum Festa sub præcepto et Missam audiendi, et ab operibus servilibus abstinendi retinenda indulsit.

429. Q. Quæ sunt hæc Festa retinenda?

℟. Sunt Festa Circumcisionis D. N. J. C. Epiphaniæ, Purificationis, Annunciationis, S. Joseph, Ascensionis, Corporis Christi, S. Joannis Baptistæ, SS. Petri, et Pauli, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis B. V. M. Festum omnium Sanctorum, et Nativitatis D. N.

J. C. Et insuper pro Urbe Neapolis etiam Festa S. Januarii, ac S. Antonii de Padua; et pro Urbe Panormi Festum S. Rosaliæ V.

430. Q. Quid insuper fuit statutum in dicta Constitutione circa Festa?

℟. Statutum fuit, ut Festa Patronorum principalium, quibus est adjunctum præceptum abstinendi ab operibus servilibus, transferantur cum respectiva Officiorum, et Missarum celebratione ad proximum diem Dominicum, eoque impedito, ad diem Dominicum proxime sequentem pariter non impeditum. Pro iis locis vero, qui cuperent, Festa suorum Patronorum principalium diebus antiquis sub utroque præcepto celebrare, idem Pontifex aliam fecit Constitutionem, quæ incipit: *Per apostolicas* die 15. Octobris ejusdem anni.

431. Q. Quid in hac Constitutione præscribitur?

℟ Permisit Pontifex Episcopis, ut re cum suis Capitulis mature perpensa, inspectis Populorum, Locorumque peculiaribus circumstantiis, Populorum votis indulgeant: ea tamen lege, ut quando res sit de Patronis Diœcesum, præceptum non protendatur ultra Civitatem principalem, vel ultra ea loca, quæ cum peculiari Patrono careant; Festum Patroni Diœcesis ex Rubricarum præscripto celebrare tenentur.

432. Q. Episcopi possunt ne Festa instituere?

℟. Licet pro tota Ecclesia universali solus Summus Pontifex, et Concilia Generalia possint Festa instituere; attamen etiam Episcopi de Jure communi (in Cap. 1, distict. 3. de Consecr. etc.) valent in propria Diœcesi, vocato Clero, et Populo, dies Festos instituere, ad quos etiam Regulares exempti juxta Trident. (Sess. 25. Cap.

12. de Regular.) teneantur. Jure autem novo ab Urbano VIII. in Constit. *Universa* 83. hortantur Episcopi, *ut ad servandā ubique æqualitatem studeant abstinere* ab institutione aliorum Festorum.

433. Q. Præceptum dies Festos sanctificandi obligat ne sub gravi?

℟. Maxime, et etiam præciso scandalo, et contemptu. Et hoc constat tum ex Communi Doctorum sensu, et Fidelium persuasione; tum quia ejus materia est gravis ad Dei cultum pertinens; tum denique, quia Propositio contraria damnata fuit ab Innocentio XI. (Prop. 52.).

Caput II.

De iis, quæ diebus Festis præcipiuntur.

434. Q. Quid diebus Festis præcipitur?

℟. Etiamsi ex jure divino, et naturali nullus sit actus præscriptus, ex Ecclesiæ autem præcepto (Cap. *Vice illius, de Tregua etc.*) in omnibus Dominicis, aliisque Festis de præcepto omnes utriusque sexus fideles usum rationis habentes tenentur et sub gravi ad audiendam integram Missam ab eodem Sacerdote celebratam cum devotione mentis, et cordis affectu, atque etiam corporis compositione, et modestia, ut præscribit Trident. (Sess. 22. de observ. in celebr. Missar.). Hinc qui integram Missam culpabiliter non audit, semper peccat: venialiter; si pars modica omittatur; mortaliter, si notabilis pars non audiatur.

435. Q. Quænam omissio reputatur pars notabilis?

℟. Dissentiunt inter se Doctores. Communiter autem, ut apud B. Ligorio (Lib. 3. n. 310.) reputatur pars notabilis, et proinde graviter peccaminosa, si omittatur ab initio ad totam Epistolam, dummodo deinde usque ad finem Missæ assistatur; si non assistatur Consecrationi, et Sumptioni; imo etiamsi unius speciei consecrationi non assistatur, quia probabilius Sacrificium in Consecratione consistit. Et quoad Canonem etiam modicæ partis omissio ex. gr. a Consecratione ad *Pater noster* reputatur notabilis, et proinde graviter peccaminosa. Qui autem recedunt ab Altare pro accipiendo vino, hostia, thure, etc. non peccant, dummodo sit ad breve tempus, et ab Ecclesia non exeatur: quia hoc ordinatur ad Missam.

436. Q. Qui integram Missam non potest audire, tenetur ne ad ejus partem?

℟. Affirmative: quia sicut qui non potest recitare Matutinum, et Laudes, tenetur recitare illam partem divini Officii, quam potest, ut constat ex Propositione 54. damnata ab Innocentio XI. sic qui integram Missam aliqua ex causa audire non potest, tenetur ad illam, quam potest audire. Et hæc sententia in praxi est tenenda, ut ait Pater Zaccharia citatus a B. Ligorio (ibid. n. 310. q. 2.); et sic eo modo, quo, potest, Ecclesiæ præcepto satisfacit.

437. Q. Pro satisfaciendo præcepto ubi Missa est audienda?

℟. Etiamsi Ecclesia optaret (Trident. Sess. 22. Decr. de observ. in celebr. Mis.) ut quisque in propria Parochia Missam audiret, ubi diebus Festis Parochi pro ovibus suis Missam celebrare, easque divini Verbi pabulo nutrire tenentur: ni-

hilominus in quocumque loco Missa audiatur, ex Communi satisfacit præcepto, exceptis Oratoriis privatis, quæ existunt in domibus Laicorum, quæ forinsecus januam non habent, in quibus soli in privilegio expressi Missæ præcepto satisfaciunt. Imo si Ecclesia non sit capax omnes fideles recipiendi, etiam illi, qui sunt extra Templum, possunt satisfacere, dummodo sint juncti multitudini protensæ, usque ad altare, unumque corpus efficiant, etiamsi Sacerdotem celebraturum non videant.

438. Q. Qui in Missa audienda recitat aliquas preces, satisfacit ne præcepto?

℟. Maxime, etiamsi ex obligatione illas recitat, ut qui recitat Horas Canonicas, aut Orationem ex Voto debitam, aut Pœnitentiam injunctam a Confessario (dummodo hic aliter non disposuerit), aut conscientiam suam examinat, actusque doloris dicit: quia ut ait Communis, hæc omnia non impediunt attentionem in Missa requisitam, et omnia ad Dei cultum ordinantur. Ob quas rationes satisfaciunt etiam Musici, Organistæ, Tibicines etc., dummodo simul attendant ad id, quod agitur in Altari.

439. Q. Præter Missam sunt ne alia opera diebus Festis præcepta?

℟. Sub gravi unicam solam Missam, et etiam in Nativitate Domini Ecclesia præcipit. Sed vi præcepti naturalis, ac divini quisque fidelium aliis piis operibus vacare deberet, et præsertim suscipiendo Sacramenta Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ, plures Missas audiendo, sacris Functionibus interveniendo, infirmos visitando, sacras Conciones audiendo, devotas preces recitando, et similia, ut verificetur, se diem Festum sanctifica-

re. Imo rudiores homines ignorantes Mysteria Fidei, et alia, quæ sub gravi obligatione scire tenentur, si aliis diebus non possint commode addiscere, tenentur sub gravi ea addiscere die Festo, Doctrinam Christianam, et Catechesim frequentando: aliter propriæ saluti non consulerent.

440. Q. Quomodo Missa est audienda?

℟. Qui Missam audit, debet 1. esse moraliter præsens, ita ut audiat, vel videat celebrantem, dummodo a multitudine, cum qua junctus est non impediatur. 2. Debet audire cum intentione saltem *implicita*, *et virtuali* Deum honorandi, placandi, orandi, eique gratias agendi. 3. Debet audire cum attentione tam externa, quam interna, ut supra n. 248. etc. dictum est de recitantibus Horas Canonicas. Recole ibidem dicta cum debitis exceptionibus.

Caput III.

De iis, quæ diebus Festis vetantur.

441. Q. Quid diebus Festis vetatur?

℟. Vetantur 1.° opera servilia, quæ per servos fieri solent, ut terras colere, fabricare, sculpere, onera portare, et generaliter loquendo omnia, quæ artificibus competunt lignariis, ferrariis, argentariis, etc. Et hæc vetantur sub gravi nisi parvitas materiæ, idest labor infra duas horas juxta Communem, non reddat peccatum leve.

442. Q. Quid aliud his Festis vetatur?

℟. Vetantur 2.° opera forensia, ut judicium criminale, ferre sententiam, juramentum judiciale præstare, et etiam partes audire, examinare, etc. Non est autem vetitum sententiam ferre Ex-

communicationis, Suspensionis, ac Interdicti; nec præstare juramentum extrajudiciale extra occasionem contractum. 3.° Vetatur exercere mercaturam, nundinas, mercatus, etc. dummodo aliqua rationabilis causa non excuset, ut dicitur Capite V.

443. Q. Sub hoc præcepto vetitum est ne etiam peccatum?

℟. Multi, et graves Auctores sunt pro parte affirmativa: quia, ut inquit Christus (Joan. 8. 34.): *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Sed cum tantum metaphorice peccatum dicatur opus servile, idcirco multi alii, et pariter graves Doctores probabilius, et longe communius asserunt, peccatum, etsi opponatur fini extrinseco præcepti, utpote quod impediat conjunctionem cum Deo, non autem opponi substantiæ præcepti, et proinde non opponi huic præcepto: quia, ut ait Angelicus (1. 2. q. 100. a. 9.), finis præcepti non cadit sub præcepto.

444. Q. Peccatum die Festo commissum erit ne saltem gravius?

℟. Circumstantia diei Festi addit quidem deformitatem quamdam peccato, et eo magis in Festis illis, in quibus præcipua recoluntur nostræ Religionis Mysteria, ut esset Natalis, Pascha, Corpus Christi, etc. et etiamsi non sint de præcepto, ut esset dies in Cœna Domini, Parasceve etc. Hæc autem deformitas non ad violationem præcepti, sed ad speciem ingratitudinis erga divina beneficia spectat; et culpam venialem magis, vel minus gravem non excedit. Melius autem erit, si in confessione hæc etiam circumstantia confiteatur, dicendo, se illa peccata etiam die Festo commisisse, ut magis ad dolorem excitetur.

445. Q. Iter agere est ne vetitum die Festo?
℟. Itineratio sive fiat pedibus, sive fiat equo, curru, navi, lectica, etc. cum communis sit tam servis, quam dominis, et liberis, generaliter loquendo non est prohibita. Communis. Et licet dubitetur de itinerante in lectica ab hominibus portata, in urbe Neapolis, inquit B. Ligorio (ibid. n. 275.), communiter fit. Dixi: *generaliter loquendo*: quia itinerari cum jumentis, curribus, navigiis etc. onustis mercibus est per se servile, et proinde prohibitum nisi rationabilis causa excusat. Sic juxta Cuniliati (Tract. VI. Cap. 1. §. 3. n. 11.) fatentur omnes.

446. Q. Venatio, et piscatio sunt ne vetita?
℟. Si magno apparatu, et labore fiant, ut contingit in venatione ferarum, et piscatione maritima, et lacuum sunt opera servilia, et proinde prohibita. Aliter in Cap. 3. *de Feriis* frustra dispensasset Pontifex in piscatione halecum cum conditionibus ibi expressis. Si autem venatio, et piscatio sit moderata, et fiat sine magno apparatu, ut venatio leporum, avium, piscatio in flumine communiter permittuntur, cum etiam a nobilibus viris exerceantur, et proinde non sint opera totaliter servilia: dummodo nihil eorum, quæ ad piam Festorum celebrationem necessaria sunt, prætermittatur. Vide B. Ligorio ibid. n. 283.

CAPUT IV.

De Causis excusantibus a Missa in Festis.

447. Q. Quid excusat ab auditione Missæ?
℟. Duæ sunt causæ, quæ communiter credun-

tur excusare. *Impotentia*, et *Charitas*. Impotentia triplex est: spiritualis, naturalis, et moralis. *Spiritualis* consistit in impedimento canonico, ob quam excusantur publice excommunicati, et interdicti, qui de facili absolutionem nequeunt obtinere. *Impotentia naturalis*, est illa, qua laborant graviter infirmi, vel convalescentes, quibus obsit foras prodire (videantur quæ dicta sunt de Horis Canonicis n. 255. et 256.); qui in carcere, vel in navigatione detinentur; qui necessario inhabitant in locis, ubi non est Sacerdos; qui de mandato Superioris domo non egrediuntur etc.

448. Q. Quomodo excusat *Impotentia moralis?*

℟. Excusat illos, qui judicio prudentum juxta qualitatem personæ, status, sexus, loci, temporis etc. nimium distent a loco celebrationis; ita ut absque gravi incommodo illuc accedere nequeant, præsertim, tempore pluviæ, nivis, venti vehementis, si via sit incommoda, si persona sit imbecillis salutis, et hujusmodi. Item ob impotentiam moralem excusantur qui custodiunt castra, urbem, domum, gregem, infantes, et aliæ personæ, quæ ex officio necessario occupantur, si aliam personam substituere non possint. Communis.

449. Q. Sunt ne alii, qui *ob impotentiam moralem* excusentur?

℟. Maxime: ut si quis non haberet vestes suo statui convenientes, sine quibus magno rubore suffunderetur. Non excusaretur autem, si valde mane, vel in Ecclesia remota Missam posset audire, ubi Populus concurrere non solet. Item si puella sciens turpiter ab aliquo concupisci, Ecclesiam adeundo, semel aut iterum Missam omittat, ut dictum est supra n. 165. Item ad evitandam infamiam, carcerationem, periculum mortis, aut

alicujus gravis mali vel sui ipsius, vel proximi tam spiritualis, quam corporalis, et hujusmodi. Vide Ligorio ibid. n. 324. etc.

450. Q. Quomodo excusat *Charitas?*

℞. Quando ob subveniendum proximo graviter indigenti Missa audiri non potest. Ut si occurrat incendium extinguendum; grave peccatum proximi, vel aliud grave malum etiam temporale impediendum; si infirmus solus relinqui non possit etc. His causis excusantibus addi possunt consuetudines aliquarum regionum, in quibus tempore luctus stricte conjuncti domo exire non solent, vel puerperæ tot diebus post partum ab Ecclesia arcentur, quousque a Sacerdote benedicantur, et similes consuetudines. Hæ autem consuetudines ubi non sunt, non sunt introducendæ. Communis.

451. Q. Qui Missam audire non potest, tenetur ne ad alia opera bona?

℞. Etiamsi Ecclesia nihil præscribat, ex vi autem præcepti naturalis, et divini Deum præsertim diebus festis colendi, æquum videtur, et per preces, et per alia pietatis, et misericordiæ opera, et specialiter per actus Fidei, Spei, Charitatis, et Contrictionis, quomodo melius potest, hunc defectum suppleat. Audiatur S. Augustinus (ap. Stampò sic): *Qui ad Ecclesiam venire non potest, saltem in domo sua oret; et non negligat Deo reddere pensum servitutis.*

Caput V.

De Causis opera vetita permittentibus in die Festo.

452. Q. Quænam causæ permittunt opera vetita in die Festo?

℟. Sex generaliter enumerantur a Theologis: Dispensatio, Pietas, Charitas, Utilitas, Consuetudo, ac Necessitas. *Dispensatio*, justa interveniente causa, dari solet a Romano Pontifice per totum Orbem, ab Episcopis, aliisque quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus pro respectivis suis subditis; et quando facilis non datur accessus ad Episcopum, vel ejus Vicarium, etiam Parochus pro aliquo casu particulari cum suis parochianis potest dispensare. Communis. (Vide supra Lib. 1. a n. 153. 154. et 155.). Et urgente necessitate, si Dispensator nequeat adiri, censet Suarez cum aliis, quos citat Ligorio (Lib. 3. n. 288.) posse sufficere etiam dispensationem præsumptam.

453. Q. Quid permittit *Pietas*?

℟. Illa opera permittit, quæ licet sint servilia, cultum tamen Dei proxime respiciunt, ut circumferre in Processionibus Cruces, Statuas, Imagines, pulsare campanas juxta Communem; et juxta multos etiam Ecclesiam purgare, candelabra, et vasa portare, Altaria ornare, machinas construere pro SS. Eucharistia exponenda, et similia, præsertim si hæc præveniri non potuerint. Dixi: *proxime respiciunt*: quia quæ *remote* tantum ad Dei cultum concurrunt, ut Ecclesiam dealbare, lapides pro Altari, seu Ecclesia construenda etc. non permittuntur, nisi accedat dispensatio.

454. Q. Quid permittit *Charitas*?

℟. Permittit quæ necessaria sunt ad conservationem salutis propriæ, et etiam alienæ, et ad evitandum grave malum sibi, vel aliis imminens. Hinc licite possunt diebus festis medici, et chirurgi curare infirmos, pharmacopolæ medicamina

pro illo die necessaria conficere; ceterique omnes incendium extinguere, domum, tectum, aut aliud ædificium ruinam minitans fulcire etc. Ita ex S. Thoma (2. 2. q. 122. a. 4. ad 4.). Communis. Ac si ad evitandum malum corporis permissum est aliquod opus servile, multo magis juxta plures ad evitandum aliquod peccatum, quod difficiliter evitaretur.

455. Q. Quid permittit *Utilitas?*

℟. Permittit quod necessarium creditur ad exprimendam publicam lætitiam, ut arcus triumphales extollere, ignes artificiales ordinare, vias domuumque prospectus parare etc. vel occasione alicujus Festivitatis, vel in adventu, ortuve magni Principis, vel ob victoriam relatam, et similia: dummodo talia præveniri non potuerint: quia talia lætitiæ signa sunt reipublicæ moraliter necessaria, ut inquit Ligorio (ibid. n. 304.). Recte tamen monet Suarez (ibid.) præstare in hoc casu petere dispensationem.

456. Q. Quid permittit *Consuetudo?*

℟. Dummodo consuetudo sit legitime introducta (Vide Lib. 1. n. 189. et seqq.), et ab Ecclesiæ Prælatis tolerata, permittit multa opera, quæ per se essent vetita, ut mercatus, nundinas exercere, barbas radere, præsertim agricolarum, artificum, itinerantium etc.; iter agere lectica ab hominibus portata, vel navigio a remigatoribus ducto; iter inceptum prosequi cum jumentis, curribus, vel navigiis onustis mercibus etc.; et quidquid n. 455. diximus, permitti ob publicam lætitiam.

457. Q. Quid aliud diebus Festis permittit *Consuetudo?*

℟. Permittit agricolis ad præcavenda damna,

quæ ob procellas, et pluvias etiam improvisas solent evenire, permittit fœnum, segetesque congregare, olivas, castaneas, ceterosque fructus colligere, ne subripiantur, aut a pluvia abducantur; aliquos fructus delicatos excerpere ut recentiores, et saniores habeantur; cibos etiam voluptuosos præparare, quæ sunt necessaria ad usum quotidianum perficere, ut sternere lecta, domum verrere, utensilia culinaria lavare, et similia. Sapienter tamen monet doctissimus Suarez (Cap. 21. n. 4.), hujusmodi consuetudines non esse extendendas, sed quoad fieri potest, coarctandas ad eas res, quæ die præcedenti convenienter præparari non possunt, vel commode non conservantur.

458. Q. Quid permittit *Necessitas?*

℟. Permittit opera illa, quæ sunt necessaria, et absque gravi incommodo, vel damno nec omitti, nec differri, nec præveniri possunt, et quæ semel cœpta interrumpi non possunt. Hinc excusantur instauratores pontium, viarum publicarum, et similium, quæ moram non patiuntur; piscatores halecum, et thynnorum, et similium piscium, qui certis dumtaxat diebus capi possunt; sartores laborantes necessaria pro nuptiis, vel funeribus, fabri ferrarii itinerantium equos ferrantes; coqui, aliique animalia occidentes, excoriantes, deplumantes pro victu præparando, nisi præveniri potuerint; coquentes vitrum, calcem, tegulas, et similia, quorum coctio plures dies requirit, etc.

459. Q. Quæ alia propter *necessitatem* diebus festis permittuntur?

℟. Permittitur transferre, vendere, emere, et præparare quæ sunt necessaria pro victu tam hominum, quam jumentorum; aliquo casu urgente etiam iter inchoare cum jumentis, carribus,

et navigiis onustis; sic permittitur famulis, et ancillis suas vestes occulte reficere, si aliis diebus non possunt, aut si et coacti sint ab heris, ut etiam pro ipsis laborent, nisi sit cum scandalo, aut in Festi contemptum. Hi autem famuli consulendi sunt, ut de alio hero se provideant. Sic Sacra Congregatio Concilii (2. Aug. 1631. ap. Crispino Visita Pastor. Par. 3. §. 15. n. 16.) *censuit, licere diebus festis dare operam rebus ad victum necessariis, ac tempore perituris, præsertim tempore vindemiarum, ac messium, ac recollectionis fructuum.* Et ob eamdem rationem excusantur veri pauperes, qui ut alere possint suam familiam, absque scandalo laborant, et quicumque alius in vera versetur necessitate. In dubio autem dispensatio (n. 452.) petatur.

460. Q. Die festo licet ne molere, panes conficere, coquere, animalia laniare?

℟. Hæc sunt opera vere servilia, et proinde vetita, nisi legitima consuetudo, aut vera necessitas occurrat. Hinc si aliis diebus ob penuriam venti, vel aquæ non possit ad molam concurrentibus satisfieri, si ob defectum farinæ etc. non possit panis confici; si interveniat concursus Festorum, aut emptorum multitudo, et panis desit; si animalia pridie non potuerunt occidi, vel non sufficiant, ut potest evenire in oppidis populosis, vel in concursu emptorum; vel ubique tempore æstivo, ne carnes contaminentur: tunc ob hanc necessitatem poterunt hæc opera permitti. Vide Ligorio ibid. n. 398. etc.

Caput VI.

De Oratoriis privatis.

461. Q. Quæ sunt illa Oratoria, quæ appellantur privata?

℟. Sunt illa loca, quæ in domibus laicorum assignata sunt pro Missæ celebratione, quæ forinsecus januam non habent. Dixi: *quæ forinsecus januam non habent*, quia si januam forinsecus habeant, tunc sunt Oratoria publica, seu publicæ Cappellæ. Sicut Oratoria publica reputantur illa Oratoria, quæ existunt in domibus Cardinalium, Episcoporum, in Seminariis, Conservatoriis, in domibus Religiosorum, et aliorum privilegiatorum, etiamsi januam forinsecus non habeant, in quibus publicis Oratoriis quicumque Missam audiendo, præcepto Ecclesiæ satisfacit, ad differentiam Oratorii privati, in quo soli privilegiati, ut supra diximus n. 437. præcepto satisfaciunt.

462. Q. Quid notandum circa hæc privata Oratoria?

℟. Multa. 1. Ut in his Oratoriis Sacramenta absque Episcopi licentia nequeunt ministrari, et nequidem Eucharistiæ, ut declaravit Benedictus XIV. in Encyclica ad Primatem, Archiepiscopos, et Episcopos Poloniæ 2. Junii 1751. 2. Ut Missa nequeat in his celebrari absque præsentia illius, vel illorum, quibus Indultum directum est. 3. Ut illi solum, qui in Privilegio sunt nominati, præcepto Ecclesiæ in festo satisfaciant, et ex consuesudine etiam qui Missæ inservit. 4. Ut aliæ Indulti clausulæ observentur.

463. Q. Quæ sunt hæ clausulæ?

℟. Clausulæ, seu conditiones, quæ in hujusmodi Indultis apponi solent, variæ sunt, quæ debent verificari. Hinc qui recurrit pro hoc Indulto obtinendo si exposuerit se esse *nobilem*, *vel nobilium more* vivere, si hæ conditiones non verificentur, Indultum non prodest. Pariter si in Indulto dicatur: *Oratorium cum altari decenter muro extructo*, *ornate*, *et ab omnibus domesticis usibus libero*: si Oratorium non sit ornatum, vel si pro aliis domesticis usibus inserviat; aut Altare etiamsi ligneum, a muro amoveri possit, et Altaris portatilis imaginem præseferat, (ut declaravit S. R. C. 3. Dec. 1661.) Indultum nec valet.

464. Q. Quæ aliæ conditiones apponuntur?

℟. Ut Oratorium *per Ordinarium loci prius visitetur*, *et approbetur*, *ac de ipsius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura*. Hinc qui Indultum obtinuit, non propria auctoritate sibi potest statuere Oratorium, sed licentia Ordinarii, sub quo nomine non solum Episcopi, sed etiam Vicarii Capitulares, Vicarii Generales, et quicumque alius jurisdictionem habet quasi Episcopalem, qui justa interveniente causa, hujusmodi licentiam revocare possunt.

465. Q. Quid aliud superest notandum circa hujusmodi Oratoria?

℟. Quod absque speciali privilegio una tantum Missa in diem possit in eis celebrari: Imo in die festo *Paschatis*, *in Feria V. in Cœna Domini*, et in Festis *Ascensionis D. N. J. C. Pentecostes*, *SS. Apostolorum Petri*, *et Pauli*, *Annunciationis*, *et Assumptionis B. V. M. Omnium Sanctorum*, *Nativitatis Domini*, *ac Epiphaniæ*, nec una Missa absque specialissima con-

cessione potest in eis celebrari, ut ex Indultis, et Decreto S. R. C. 17. Novembris anni 1607.

466. Q. Hujusmodi privata Oratoria debent ne benedici?

℟. Convenit quidem, ut hujusmodi Oratoria, antequam Missæ Sacrificium in eis celebretur, aqua benedicta aspergantur, et super illa recitetur communis, ac generalis Precum formula, quam pro benedictione novæ domus Rituale Romanum assignat, ut sentit Catalanus, et alii relati a Gardellini S. R. C. Assessore: *numquam* autem *benedicantur ritu præscripto in Rituali Romano pro publicis Oratoriis*. Ita decrevit S. R. C. die 11. Martii 1820.

De IV. Præcepto Decalogi.

467. Q. Quænam sunt verba hujus quarti Præcepti?

℟. Hæc sunt: *Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

TRACTATUS V.

468. Q. Quid in iis verbis præscribitur?

℟. Duo: unum præcipitur, et alterum vetatur. Præcipitur, ut genitores, aliique ascendentes a filiis, cæterisque descendentibus honorentur. Vetatur, ne ipsi dehonorentur. Et sicut Ecclesiæ Præsides, Pastores, et Sacerdotes, ut docet Cathechismus Romanus (de 4. Præc. n. 8.), et etiam alii Superiores veniunt sub nomine *Patrum*; de mutuis obligationibus, quæ inter hos omnes intercedunt, in hoc Tractatu disserremus, et in

primis videbimus, quid in filiiparentes, et parentes in filios debent.

ARTICULUS I.

De iis, quæ filii in parentes debent.

469. Q. Quid filii debent in parentes?

℟. Ea, quæ filii debent in parentes, sicut etiam (etsi non cum tanto rigore) in avos, avias, soceros, patruos, avunculos, amitas, materteras, aliosque ascendentes, est amor, obedientia, et reverentia: quæ omnia sub illo verbo *Honora* comprehenduntur. Nam qui parentes etc. honorat eos insimul amore, obedientia, et reverentia prosequitur. Et hæc in sequentibus Capitibus videbimus.

Caput I.

De Amore, quem filii in parentes debent.

470. Q. Qualis debet esse amor iste?

℟. Debet esse specialis, internus, et externus. Si enim alios propinquos, imo etiam extraneos, et inimicos ipsos debet unusquisque sub gravi diligere, ut supra dictum est agendo de Charitate erga proximum a num. 86. et sequentibus; quo magis, et quo majori obligatione debet unusquisque diligere eos, a quibus post Deum suam existentiam, et vitam repetere debet? Si ergo qui ceteros homines *non diligit*, *manet in morte* (1. Joan. 3. 14.); multo magis manet in morte, et est damnatus qui proprios parentes, aliosque ascendentes non diligit.

471. Q. In quo consistit amor *internus*?

℟. Consistit in hoc, quod filii debent parentes ex corde diligere, malum eis non optare: præsertim vero pro eis orare, ut, si in gratia sint, in ea perseverent; si in peccato, convertantur, et etiam debita cum humilitate eos corrigendo; ut num. 123. supra diximus cum S. Thoma; patienter tolerare eorum exprobrationes, etsi injustas, punitiones, molestias, insipientias, ceterosque defectus præsertim in senectute: eo magis quod tot filiorum molestias, inquietitudines etc. debuerunt parentes tolerare præcipue in infantia, et pueritia.

472. Q. Quomodo peccant filii contra hunc *internum* amorem?

℟. Peccant, et graviter quidem, generaliter loquendo, si odio habeant eorum parentes etc. si optent eis mortem, sive ut liberius vivant, sive ut hæreditatem celerius consequantur, ut constat ex prop. 5. et 7. damnatis ab Innoc. XI. si tristentur de eorum recuperata salute; si invident eorum felicitatibus, et bonis; aut si eis aliud malum imprecentur. Et hoc, etiamsi parentes forent inquieti, molesti, improbi, ebriosi, lusores, dilapidatores bonorum familiæ, aut aliis vitiis dediti. Communis. Et ratio: quia etsi molesti, et improbi, non desinunt esse parentes, qui ut supra, sunt interne diligendi, et juxta Domini præceptum *honorandi*.

473. Q. Quid importat amor *externus*?

℟. Importat, ut bonum, quod filii interne parentibus etc. optant, opere etiam in occasionibus eis manifestent, et quoad bona spiritualia, et quoad bona temporalia. Hinc quoad *bona spiritualia* debent eos reverenter monere de defectibus præsertim gravibus (n. 123); non impedire eorum justas

eleemosynas, restitutiones, legata, et alia opera bona, testamenta etc. In eorum gravibus infirmitatibus curare, ut tempore proprio, et mente sana recipiant Sacramenta; et si morbus ingravescat, offerre secundum proprium statum pro eis eleemosynas, quæ *faciunt invenire misericordiam, et vitam æternam.* (Tob. 12. 9.); offerre Sacrificia, et alia opera bona, ut bene moriantur, et salventur.

474. Q. Et post parentum etc. mortem, quid Filii etc. debent?

℟. Debent in primis juxta proprium statum funeralia, et Sacrificia pro eis celebrare; et si parentes etc. legata reliquerint, intra tempus præscriptum eis satisfacere, et tempore non præscripto, satisfacere quam prius (Cap. *Si hæredes* 6. de Testam. et Leg. *Cum res* 47. ff. de Legatis 1.), idest saltem infra sex menses, cessante legitimo impedimento. Et hoc sub gravi, ut communis Doctorum censet. Hæredesque meminerint divinæ maledictionis, et *ruinæ*, quæ etiam in hoc mundo, ut experientia docet, *in eis multiplicabitur*, præter peccatum mortale, non solum, si legata non impleant, sed etiam in *tempore suo Sacrificium Deo non offerant*, ut eruitur ex Psalmo 105. v. 28. et 29. et ex Numeris Cap. 9. v. 13.

475. Q. Quoad *bona corporalia* quid filii etc. debent in parentes etc.?

℟. Debent per se, vel per alios servitium, et assistentiam personalem, qua indigent, eis exhibere præsertim in infirmitate, et senecta; eos afflictos, et infirmos consolari, subministrare victum, et vestitum, si egeant (quamvis eorum culpa in miseriam inciderint, et etiamsi nil a parentibus hæreditaverint); a carcere liberare; in propriam

domum recipere; infamiam impedire; et alia necessaria ministrare, etiamsi ipsi filii uxorem filiosque sustentandos habeant, ut dictum est num. 99. hujus Libri. Et hæc necessaria sustentatio est juris tam stricti, ut si quis filius in Religionem intrare statuisset, juxta S. Thomam (Quodlib. 3. q. 6. a. 16.), et etiam vovisset, non deberet, si parentes ejus assistentia indigerent, quin alius eis posset subvenire, quia in hoc casu Votum non solum non esset de meliori bono, sed de malo, præcepti divini adimpletionem impediens.

476. Q. Quomodo peccant filii etc. contra amorem externum in parentes etc.?

℟. Peccant, si obligationes, de quibus supra (num. 473. 474. et 475.) non implent. Insuper peccabunt, si torvis oculis eos aspiciant, si aspere, et dure loquantur; si verbis injuriosis, sarcasmis, contumeliis, maledictionibus eos afficiant; multo magis si auderent eis minari, percutere, et similia, quæ ex genere suo essent peccata lethalia, imo peccata duplicata, quia non solum peccarent contra charitatem, justitiam etc. sed etiam contra pietatem, gratitudinem etc. ita eos tractando, a quibus vitam, alimenta, servitia, et alia præsertim in infantia receperunt. Et hoc currit, etiamsi parentes etc. essent improbi, molesti, injurii etc.

Caput II.

De Obedientia, quam filii etc. in parentes debent.

477. Q. Quænam est hæc Obedientia?

℟. Ut colligitur ex S. Thoma (2. 2. q. 104.

a. 2.): Obedientia quoad substantiam, est prompta executio voluntatis parentum et non solum in rebus facilibus, et placentibus, sed etiam in rebus arduis, et displicentibus. Si autem non solum *prompte*; sed etiam *simpliciter*, et *hilariter* parentum voluntatem filii exequantur, tunc perfecta erit obedientia, ut inculcat Apostolus (Ephes. 6. 5.): *Obedite in simplicitate cordis vestri*; et in 2. ad Corinthios (9. 7.): *Hilarem datorem diligit Deus.*

478. Q. Quare dixisti: *prompta executio?*

℟. Quia si aliquis filius paternam voluntatem exequatur, sed post tot repetita præcepta, post tot preces, malo animo, murmurando de patre etc. non tam exerceret virtutem obedientiæ, ut S. Bernardus (Serm. 3. de Circumcis.), quam potius malitiam sui cordis occultaret, et suam superbiam: qui enim operis executionem videt, eum reputaret obedientem, cum reapse non sit.

479. Q. In quo consistit *simplicitas*, *et hilaritas* in obediendo?

℟. *Simplicitas* consistit in obediendo parentibus, ac si Deo ipsi quis obediret; Et hoc faciendum, aut parentes sint discreti, sive sint indiscreti; aut comiter, sive aspere præcipiant. *Hilaritas* autem consistit, quando filius *non ex tristitia*, *aut ex necessitate*, ut inquit Apostolus (supra ad Cor.) sed alacriter, hilarique vultu etiam res asperas, et displicentes exequatur. Et ut filii promptius, simplicius, et hilarius parentibus obediant, considerent, non tam ipsis, quam Deo potius parere, a quo, ut ait idem Apostolus (Coloss. 3. 23.) retributionem promptæ, simplicis, hilarisque Obedientiæ recipient.

480. Q. Semper ne est obediendum parentibus etc.?

℟. Nisi præcipiant peccaminosa, vel quæ læsiva sunt juris filiorum, ut administrare bona Ecclesiæ, castrentia, quasi castrensia (ex S. Thoma 2. 2. q. 101. a. 2. et 4.), semper est obediendum; dummodo legitima causa non excuset. Dixi: *peccaminosa*: quia si parentes præciperent opera servilia diebus festis absque vera necessitate, perjuria, ultiones, furta, usuras, immodestias, aut alia peccaminosa, et etiam solum periculosa, ut frequentare choreas, comædias, tabernas, et similia contra Dei præcepta, non solum filii non tenentur, sed nec debent obedire. Et his casibus tota cum humilitate adinstar Apostolorum deberent eis respondere: *si justum est . . . . . . vos potius audire, quam Deum, judicate* (Actor. 4. 19.).

481. Q. Quale peccatum est parentibus etc. non obedire?

℟. Si inobedientia versetur circa res parvi momenti, est peccatum veniale, nisi adsit contemptus, vel filii dent occasionem parentibus etc. committendi peccatum mortale, ex. gr. blasphemandi, imprecandi, et similia: quia tunc ratione contemptus, aut scandali (Vide Lib. 1. de Peccat. n. 225. et 226.) esset peccatum grave. Si autem versetur inobedientia in rebus spectantibus ad salutem animæ, ad bonos mores, ad rectam gubernationem domus, in materia notabili, erit peccatum mortale: Ut illi filii, qui non obstante parentum præcepto, nolunt frequentare Sacramenta, Doctrinam Christianam, preces; vel volunt frequentare tabernas, pravorum societates, ludos vetitos, amores profanos; vel notabiliter sunt negligentes in apprehendendo scientias, professiones, artes, ut suo tempore possint his sustentare familiam, et vicem reddere parentibus.

482. Q. Tenentur ne filii in electione status obedire parentibus?

℟. Per se non tenetur. Ut enim supra (n. 480.) dictum est, filii non tenentur obedire in iis, quæ læsiva sunt sui juris. Cum autem status electio sit libera, et in hoc Deo, et non hominibus sit parendum; si ergo filii ad statum clericalem, religiosum, matrimonialem etc. vocatos se sentiant, non tenentur obedire parentibus, qui statum diversum postularent. An autem, sicut filii liberi sunt in eligendo statu conjugali, liberum sit etiam independenter a parentibus sumere quem, vel quam maluerint, videbimus infra, dum agetur de Matrimonio Lib. IV. n. 370., et 464.

Caput III.

De reverentia, quam filii etc. parentibus etc. debent.

483. Q. In quo consistit hæc reverentia?

℟. In eo consisfit, quod memores filii a parentibus vitam recepisse, iisque Deum usum esse, ut animam, et mentem donaret, parentes respiciant, ut suos superiores, dominos, legislatores, et quasi reges familiæ, et cum hac intima persuasione eis obsequium præstent juxta regulas honestatis, et juxta morem patriæ, eis assurgendo, caput aperiendo, manum deosculando, digniorem locum cedendo, et simila.

484 Q. Quomodo debet esse hoc obsequium?

℟. *In opere, et sermone, et in omni patientia* (legitur Eccle. 3. 9.). Tunc ergo parentes etc. *opere* honorantur, quando non solum filii assurgunt, caput detegunt, etc. sed insuper quan-

do in negotiis magni momenti, in professione, aut arte capienda, in itinere præsertim longo faciendo, parentes consulunt; ab eis utpote expertioribus dependent, et similia. Et sicut electio status, et præsertim contractus matrimoniales sunt negotia maximi momenti, in his filii parentes maxime consulere debent: etiamsi, si divinæ filiorum vocationi parentes opponantur, non sint obediendi, ut supra (n. 482.).

485. Q. Quando parentibus præstatur obsequium *sermone*?

℟. Quando filii cum parentibus loquentes, non solum humilitate, modestia, submissione utpote superioribus loquuntur, præsertim si de aliquo defectu debent eos monere: sed insuper abstinendo verbis duris, asperis, contumeliosis, imprecationibus, sarcasmis etc. numquam de eis obloquendo, eorum defectus non solum non manifestando, sed occultando. Et hoc, etiamsi parentes etc. essent importuni, molesti, fastidiosi, humoris asperi etc. quia cum omnibus his defectibus non desinunt esse superiores.

486. Q. Quid sibi vult *omni patientia*?

℟. Hoc significat, quod memores filii, et conscii de tot molestiis, clamoribus, pœnis, laboribus toleratis præsertim in eorum infantia, et pueritia a parentibus; de tot noctibus absque somno transactis etc. etiam ipsi patienter sufferant parentum etc. molestias, defectus, objurgationes etsi injustas, et indebitas; et hæc patientia præsertim elucere debet in parentum infirmitate, senectute, cum eorum molestiæ, inquietitudines, et indigentiæ soleant plerumque crescere.

487. Q. Quando, et qualiter peccatur contra obsequium parentibus etc. debitum?

℟. Quando aliquis filius a providentia in clariorem, et nobiliorem statum elatus, suos parentes in egestate, et ignobilitate relictos fingit non agnoscere, arcet domo, a mensa, a conviviis etc. Hic communiter creditur peccare mortaliter: quia erubescit, et renuit ut superiores proprios parentes agnoscere: nisi forte in aliqua rara circumstantia admissio parentum in aliquod grave damnum filio redundaret; quia pater ex. gr. cognitus est ut infamis, proditor, publico supplicio affectus. etc. Hoc enim casu si filius retineat in corde amorem filialem postea patri manifestandum, communiter excusatur saltem a peccato gravi: quia in hoc casu pater non deberet contristari, nec esse rationabiliter invitus. Peccatur etiam contra hoc obsequium factis, et dictis.

488. Q. Quando peccatur *factis*?

℟. Cum filii denegant parentibus signa communia reverentiæ juxta morem patriæ, conditionis, ut assurgere ad ejus ingressum, caput detegere, manum deosculari, et similia, quæ tamen non videntur esse peccata mortalia; nisi aliquis filius ex contemptu, vel quia parentibus non vellet subdi, hoc faceret; aut si ipse sciret, ex hac omissione parentes valde contristandos. Peccatur etiam *factis*, et graviter quidem, si quis filius auderet proprios parentes etsi leviter percutere, manum, aut instrumentum levare ad percutiendum; illos etiam de vero crimine in foro accusare: dummodo non sit crimen hæresis, proditionis, vel conjurationis in principem, et alius corrigendi modus non adsit.

489. Q. Quando peccatur *verbis*?

℟. Peccabunt filii, et graviter quidem, quando in parentum etc. præsentia deliberate proferunt

contra ipsos imprecationes etiam absque animo pravo, verba contumeliosa, injuriosa, ex. gr. vocando eos *mentecaptos*, *ebrios*, *fures*, *fagos*, *bestias*, et similia verba graviter contristantia, præsertim si ad gravem iram eosdem provocent: quia in his casibus reverentia graviter violatur. Sentiunt autem aliqui, vocando parentes *stupidos*, *ignaros*, *senes*, et similia, non graviter lædi reverentiam. Videatur B. Ligorio Lib. 3. n. 334.

490. Q. Quare in IV. Decalogi præcepto adduntur illa verba: *Ut sis longævus super terram?*

℟. Ad ostendendum, etiam in hac vita Deum remuneraturum filios, qui parentes honorant; sicut econtra puniturum filios, qui huic desunt præcepto. Et hoc ipsum ex aliis sacræ scripturæ locis comprobatur: *Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore.* Sic Eccl. 3. 7. Econtra: *Qui maledicit patri, aut matri, extinguetur lucerna ejus.* Sic Prov. 20. 20. *Qui honorat patrem suum jucundabitur in filiis* (Eccli. 3. 6.), idest filios obedientes, et bonos habebit. Econtra qui non honorat, nec honorabitur, imo exacerbabitur a filiis: quia, ut inquit Christus (Marci 4. 24.): *eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Apprehendant filii etc. Et si aliquando succedit, filios bonos rapi a morte, raptus est (ut legitur Sap. 4. 11.) *ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.*

ARTICULUS II.

De iis, quæ parentes debent in filios.

491. Q. Quid parentes, aliique ascendentes debent in filios, nepotes, ceterosque descendentes?

℟. Ea omnia debent, quæ necessaria sunt ad educationem tam corporalem, quam civilem, quam spiritualem. Quid autem circa hæc tria objecta parentes in filios debeant, in sequentibus Capitibus videbimus.

Caput I.

De Educatione corporali.

492. Q. Ad quid pro educatione *corporali* parentes tenentur?

℟. Ad aliud tenentur ante filiorum ortum, ad alia post ortum. *Ante ortum*, statim ac se concepisse compererint, pro prole concepta debent parentes orare, ut ad lucem eveniat, et sic baptismalibus aquis ablui possit. Debent matres abstinere a saltationibus incompositis, a gravia pondera extollendo, a conatus efficiendo, et ab omnibus iis, quæ abortum causare solent: et hæc sub gravi. Sub gravi pariter tenentur patres de uxoris salute curam habere, non dure tractare, non percutere, nec alia gravi vexatione afficere cum magno periculo prolis jam conceptæ, et cum periculo abortus.

493. Q. Ad quid parentes tenentur *post ortum prolis*.

℟. Tenentur in primis necessario lacte illam nutrire. Et si mater sit sana, et lacte sit provisa, nutriat per se suam prolem, nec erubescat facere quod sanctæ, et nobiles Matronæ Sara, Rebecca, et Anna, et ipsa Virgo Maria fecerunt, quæ proprio lacte suos partus nutrivere; et etiam temporibus nostris fecit, et facit Augusta nostra Regina Maria Isabella, seu *Elisabeth* uxor Francisci I. regni utriusque Siciliæ Regis, quæ propriis mammis suos partus enutrivit, et nutrit. Et sciant matres, quæ possunt, et nolunt, saltem a levi culpa non excusari. Si autem non possint, inquirant pro posse nutricem sanam, et morigeram: cum lacte enim defectus tam physici, quam morales in prolem sæpe transfundantur.

494. Q. Ad quid aliud tenentur matres?

℟. Tenentur sub gravi invigilare de vita, et valetudine suæ prolis; cavere, ne suffucationis periculo illam exponant, ut faciunt illæ matres crudeles, aut nutrices, quæ absque repagulo in proprio lecto retinent. Hoc peccatum est reservatum fere in omnibus Diœcesibus, si proles annum non compleverit; et in hac nostra Diœcesi si suffocatio eveniat, incurritur etiam excommunicatio, præter gravissimum peccatum suffocationis sobolis. Tenentur etiam matres, et nutrices dum coram viris præsertim juvenibus lactant infantes, suum pectus cooperire ne scandalo sint inspicientibus, et ne alienis peccatis graventur. Et ob eamdem scandali rationem caveant ne filii grandiusculi denudati incedant; aut cubent in parentum lecto; aut masculi cum fœminis.

495. Q. Ad quos spectat nutritio filiorum?

℟. Primis tribus annis spectat ad matrem, quæ

tenetur lactare, et nutrire (ex lib. 9. Codic. de patria potest.), et si ipsa non possit, spectat ad patrem. Sicut ad patrem pertinet providere filiis necessaria ad victum, vestitum, habitationem, medicinalia etc. ab eorum infantia usquedum filii, et filiæ sibi providere queant. Et hæc debentur filiis etiam spuriis (ex C. *Cum haberet*), atque etiam illi, qui ad instar filii Prodigi sua bona dissipasset: quia non cessaret esse filius ab ipsa natura patri commendatus.

496. Q. Quid dicendum, si pater non posset, vel nollet filiis providere?

℟. Si pater non posset ob inopiam, ad omnia prædicta teneretur mater; et si etiam hæc esset impotens, tenerentur avi, et proavi primum paterni, et in horum defectu materni. Ac si etiam ipsi non possent, tenerentur (sed non cum tanto rigore) ceteri consaguinei præsertim propinquiores. Si autem pater ob frequentandos ludos, commessationes, aut alia vitia, familiæ curam negligeret, unusquisque videt, quo gravi peccato hujusmodi pater esset reus, et quo rigore talibus vitiis abstinere debeat, etiam ut familiæ posset providere.

Caput II.

De Educatione Civili.

497. Q. Ad quid pro *civili* filiorum educatione parentes tenentur?

℟. Juxta numerum filiorum superfluas expensas resecare, parce vivere, honestis negotiis, artibus, professionibus sedulo vacare, ut necessaria lucrentur non solum pro familia sustentanda, sed etiam ut sufficiens patrimonium pro sui status

conditione filiis relinquant, et filiabus dotem parent, uti et sub gravi tenentur, ne a statu juste acquisito decidant. Tenentur pariter curarei, ne filii vivant otiosi, sed aliquam artem, seu professionem addiscant, eis subministrando expensas necessarias juxta eorum statum, et capacitatem; et sic honeste vivant, et ad vitia non ruant.

498. Q. Parentes possunt ne Hospitalibus filios exponere?

℟. Si filii sint legitimi, absque gravi peccato juxta omnes id fieri nequit, nisi tanta esset parentum inopia, ut filios nullo modo sustentare possent: quia agerent contra pietatem naturalem, abdicando a se filios, quos tot rationibus diligere, et curare debent. Si autem filius sit illegitimus, tunc ad vitanda scandala, vel ob crimen occultandum licite possunt exponere. Parentes autem, si modum habent, tenentur recompensare expensas Hospitali, nisi in contrarium constet de mente testatoris, vel diversa adsit consuetudo.

499. Q. Ad quid tenentur parentes in electione status suorum filiorum?

℟. Cum status electio sit libera, ut diximus n. 482. et attendenda sit divina vocatio, patet, parentes absque gravi peccato non posse minis, vi, fraude, dolo, utpote libertatem adimentibus retrahere, aut etiam indirecte inducere filios ad matrimonium, ad religionem, aut alium statum, nisi justam, et rationabilem habeant causam. Imo si parentes, aut quivis alius mulierem invitam cogerent, aut simpliciter consulerent ad vestiendum habitum religiosum, aut ad emittendam professionem, inciderent in Excommunicationem latam in Tridentino (Sess. 25. Cap. 18. de Re-

form.), quam incurreret etiam quivis mulierem volentem ab habitu religioso vestiendo, aut a professione emittenda retraheret.

500. Q. Quid ergo parentes possunt in electione status propriorum filiorum, nepotum?

℟. Cum status electio multoties non attendatur a Deo vocante, sed fiat absque consilio, ex libidine, ex persuasione alicujus, aut quia sic promisit ille filius, aut filia, propinquis, sodali, amicæ etc. parentes cum deberent esse expertiores, ac prudentiores filiis, debent his exponere obligationes, pondera, pericula illius status, quem cupiunt amplecti, insinuare illis, ut multis precibus Deum orent pro cognoscenda divina vocatione; ut probum, doctum, et discretúm Confessarium consulant. Et si transacto tempore sufficienti post dictas experientias, persistant in illa intentione, eis debent indulgere, et absque peccato non possent contradicere.

501. Q. Quid dicendum, si filius, aut filia matrimonium se indignum contrahere vellent?

℟. Hoc casu parentibus consulerem, ut hujusmodi filio, aut filiæ dedecus, quod ex tali matrimonio in familiam redundaret, ostendant; scandala forsan, et rixas, quæ subsequentur; aliud matrimonium paris conditionis ei proponant; minitentur, se ei daturos solam legitimam (quæ in hoc Regno Neapolitano juxta Legem in Codice Civili (Lib. 3. Tit. 2. n. 829.) est dimidia pars hæreditatis dividenda inter omnes filios, et filias); differant etiam per aliquod breve tempus præstare consensum, si aliquod scandalum evitandum hanc dilationem permittat. Et si filius, vel filia non resipiscat, eum, vel eam cum sua sinant benedictione.

502. Q. Etsi aliquis filius, aut filia in contemptum parentum matrimonium contraxerit, possunt ne a parentibus exhæredari?

℟. Hoc unico motivo nequaquam. Jura enim in casibus tantum ibi expressis (inter quos non adest casus matrimonii contracti in contemptum parentum) permittitur. Imo si filius sit major annis triginta, et filia annis vigintiquinque, juxta Sanchez, et alios, quos citat B. Ligorio Lib. 3. n. 337. tenerentur parentes legitimare; et respective dotare, etiamsi matrimonium foret indignum, idest redundans in dedecus familiæ; et si sint minoris ætatis, si matrimonium sit paris conditionis, pariter tenentur. Dicunt autem dicti Auctores, quod si matrimonium contractum a filio minore 30. annis, et a filia minore 25. annis redundaret in dedecus familiæ, tunc parentes tenerentur tantum ad sustentandum hujusmodi filium, et filiam si unde vivere non habeant, saltem ex jure Canonico, et naturali (Lig. ib. n. 949.).

503. Q. Quando filii possunt exhæredari?

℟. Cum jura permittant, posse exhæredari filios, qui gravi crimine contra parentes se alligent, dicit B. Ligorio cum variis Doctoribus, quos citat, et sequitur (ibid.), si filius, vel filia, rejectis honestis nuptiis propositis a parentibus, ad vitam luxuriosam se dederint, posse privari. Quod enim crimen majus isto? Sed etiam in hoc casu, non essent eis deneganda alimenta, ut communius, et longe probabilius tenent Salmaticenses, et alii (ibid.).

Caput III.

De Educatione Spirituali.

504. Q. In quo consistit Educatio *spiritualis?*

℟. In adimplendis quatuor obligationibus, quas parentes habent in filios, illos scilicet informando Instructione, bono Exemplo, Vigilantia, et Correptione. *Instructione* primum, docendo filios per se juxta eorum capacitatem, et talentum Doctrinam Christianam, incipiendo a facilioribus, et magis necessariis; et cum adultiores fiant, instruant super Confessione, et Communione facienda, et super aliis, quæ ad æternam salutem sunt necessaria.

505. Q. Quare dixisti: *per se?*

℟. Quia parentibus directum est divinum præceptum (Deuter. 11. 19.): *Docete filios vestros.* Si autem ipsi sint impediti, aut omnia, quæ necessaria sunt ad salutem, nesciant per se filios edocere; tunc debent et sub gravi curare, ut ab aliis instruantur, præsertim a Magistris, a Parochis, et ab aliis, qui in hac tam necessaria instructione occupantur, et obligent filios Ecclesias frequentare, ubi traditur Doctrina Christiana, fiunt instructiones; et sic proprias addiscant obligationes.

506. Q. Quid, præter Christianam Doctrinam, debent parentes filios edocere?

℟. Exemplo S. Tobiæ suos filios doceant, *ab infantia timere Deum, et abstinere ab omni peccato* (Tob. 1. 9.), ut a teneris unguiculis addiscant amare, et timere Deum, abhorrere ab immodestiis, a furtis, ab ultionibus, a mendaciis, ceterisque vitiis illius ætatis; instillent in eorum

animis reverentiam in templis, respectum Sacerdotibus, aliisque superioribus, et majoribus. Instillent sacramentorum frequentiam, devotionem in Deiparam, Angelum Custodem, et Sanctos; et fœminis presertim instillent amorem modestiæ, et puritati; horrorem vanitatibus, et pompis, quibus in baptismate renunciarunt, et similia. Et quando sunt adultiores, inculcent eis parentes, ut amores profanos, prava consortia, tabernas, ludos vetitos, ac alia vitia fugiant; ut eleemosynas pro viribus faciant, virtutes amplectantur; et quod sibi non volunt, aliis non faciant.

507. Q. In quo consistit *bonum Exemplum?*

℟. In hoc primum consistit, ut quas virtutes in filiis optant parentes, ipsi primi sequantur; et vitia, quæ nolunt in filiis, ipsi primi effugiant. Nisi enim parentes sint devoti, nec frequentent Conciones, Sacramenta, Missam, Orationem, elemosynas, ceterasque virtutes, frustra filiis inculcabunt. Item si parentes sint blasphemi, maledici, lusores, ebriosi, aliisque vitiis dediti, quomodo hæc filiis vetabunt? Sic si matres sint immodestæ, vanæ, virorum amatores, et proferant imprecationes, verba obscæna, et alia indigna faciant, tales erunt filiæ. Et caveant parentes juxta monitum S. Hieronymi ad Lætam, ne filii videant, aut audiant id, quod si ipsi facerent, aut dicerent, peccarent. O quot peccata! quot scandala!

508. Q. In quo consistit *Vigilantia?*

℟. Debent parentes persuasum habere, quod etiamsi timorem Dei in filiis instillent, bonoque exemplo illos præcedant; nihilominus multi, et multæ viam mandatorum non current, a bonoque

exemplo abhorrebunt. Debent ergo parentes invigilare, an filii juxta acceptam instructionem, et bonum exemplum reapse declinent a malo, et faciant bonum, fugiendo etiam ab illis, quæ ad malum inclinant, ut sunt libri amatorii, choreæ, tabernæ etc. et præsertim quoad fœminas videre, an inverecunde se ornent, an cum viris cujuscumque sint status amicitias ineant; an modestiam cæterasque virtutes proprio statui respondentes colant etc. ut si quid mali in eis aspiciant, a principiis obstent.

509. Q. In quo consistit *Correptio?*

℟. In hoc consistit, quod si non obstante instructione, bono exemplo, et vigilantia aliquis filius, aut filia non declinet a malo, nec faciat bonum, imo sit inobediens, inverecundus, rixosus, lusor, ebriosus, damnificator, amoribus profanis, aliisque vitiis deditus, parentes a principiis obstent, talem filium, aut filiam corripiant; et si verba, et monitiones non prosint, veniant ad respondentes punitiones etiam ab infantia. *Curva illos a pueritia* (Eccli. 7. 25.): *Qui diligit filium, assiduat illi flagella* (Eccli. 3. 1.): *Qui parcit virgæ odit filium suum* (Prov. 13. 24.). Ita Spiritus Sanctus etc. Et contremiscant ad punitionem Heli, qui quamvis aliquo modo suos filios *indigne agentes* corripuisset; quia tamen *verbis lenibus*, ut inquit Chrysostomus (Hom. 9. in 1. ad Timot.) *eos monuit*, *eum acrius coercere debuisset*, etsi aliunde probus, et sanctus, fuit a Deo punitus (1. Reg. Cap. 3.).

510. Q. Quid in facienda correptione est advertendum?

℟. Hoc maximopere advertendum, quod, etsi quando crimen est grave, non verbis lenibus,

ut faciebat Heli, sed acriter si filii reprehendendi, et puniendi; caveant tamen parentes, ne reprehensione nimis acri, vel (quod esset pejus) blasphemiis, imprecationibus, verbis obscænis, contumeliosis, aut aliter irritantibus filios suos ad iracundiam provocent, ut Apostolus monebat Ephesios (Cap. 6. v. 4.); ne filii irritati, verbis, aut factis impetant parentes. Sed correptio, et punitio procedat a charitate, quæ cupiat emendationem filiorum. Quomodo enim possunt emendari illi filii, qui animo irato, blasphemiis, imprecationibus, aut aliis peccatis reprehenduntur?

ARTICULUS III.

De aliis, quæ præcipiuntur in IV. Decalogi Præcepto.

511. Q. Quid aliud præcipitur in IV. Præcepto?

℟. Jam supra (n. 468.) dictum est, quod sub nomine *Patris* in sensu spirituali veniunt etiam Pastores Ecclesiæ, Sacerdotes, aliique Superiores. Postquam igitur in præcedentibus Articulis vidimus quid patres carnales debeant in filios, et filii in parentes, videamus nunc quæ Patres spirituales debeant in filios spirituales, et quid hi in suos Patres. Et postea videbimus etiam, quid sibi invicem debent Superiores, et Subditi temporales; sicut et de mutuis obligationibus aliarum personarum.

Caput I.

De mutua Obligatione Parochorum, et Populi.

512. Q. Ad quid tenentur Parochi in Populum?

℟. Parochi, et quicumque alius eorum vices gerant, ad multa tenentur: 1.° ad residentiam, 2.° ad Sacramentorum administrationem, 3.° ad celebrandum pro ipso, 4.° ad concionandum, 5.° ad tradendum Doctrinam Christianam, 6.° ad visitationem infirmorum, 7.° ad sublevandos pauperes, 8.° ad delinquentes corrigendos; et generaliter curare, ut odia extinguantur, scandala tollantur, Sacramenta pie, et fideliter recipiantur, Legesque tam divinæ, quam humanæ observentur. Communis.

513. Q. Quare Parochi ad residentiam tenentur?

℟. Ut præsto sint necessitatibus ovium sibi concreditarum (Pro obligatione residentiæ vide quæ dicta sunt supra n. 351.). Et hæc residendi obligatio est tam stricta, ut nec tempore pestis possint a Parochia abesse, ut Gregorius XIII. rescripsit S. Carolo Boromæo tunc Archiepiscopo Mediolanensi, permittendo tantum, ut Parochi per alium idoneum possint ministrare Sacramenta Baptismi, et Pœnitentiæ; et si non resederint, contra eos procedi, servata forma Tridentini (Sess. 23. Cap. 1. de Refor.). Et idem declaravit pro Episcopis, qui magis obligati sunt, eis permittendo, ut in locis tutioribus maneant, et inde provideant. Vide B. Ligorio Lib. VI. n. 233.

514. Q. Quando Parochi ad Sacramentorum administrationem tenentur?

℟. Quotiescumque fideles rationabiliter petunt, etiamsi in extrema necessitate non versentur, tenentur, et sub gravi. Communis, ut Salmaticenses cum aliis ap. Ligorio Lib. VI. n. 58. qui eodem loco dicit, excusari a mortali Parochum, illum, qui semel tantum, vel iterum extra necessitatem deneget, vel differat. Imo idem Beatus dicit, peccare Parochum, qui morosum, et difficilem se reddit in hoc. Insuper Parochi, ut monebat S. Carolus (act. p. 4.), quacumque hora dici, vel noctis vocati sint, ad Sacramenta infirmis ministranda, nullam moram interponant: imo populum præmoneant, ut cum opus fuerit, libere se accersant, nulla habita ratione temporis, vel loci.

515. Q. Tempore pestis tenentur ne Parochi ad Secramenta administranda ?

℟. Idem Gregorius XIII., adprobans decretum S. C. Concilii 12. Octobr. 1576. declaravit, *teneri tantum ad duo Sacramenta saluti necessaria, nempe Baptismum, et Pœnitentiam; posse autem hæc ministrare vel per se, vel per alium idoneum, ut Parochus possit audire Confessiones sanorum, qui alias eum reformidarent, si viderent, ipsum accedere ad pestilentes.* Quoad Sacramenta vero Eucaristiæ, et Extremæ unctionis licet laudandus esset Parochus, si pestilentibus ministraret; in illis oppidis tamen, ubi unus, vel alius Sacerdos existit, hoc non expediret, ne mortuo Parocho, remaneant sani, et infirmi absque Pastore, qui illorum confessiones possit audire, et cetera munia obire.

516. Q. Quando Parochi tenentur Missam applicare pro Populo ?

℟. Ex Constitutione Benedicti XIV. 19. Aug.

1744. Parochi, et quicumque curam animarum exercent, etiamsi tenues redditus habeant, tenentur sub gravi Missam applicare pro Populo omnibus diebus Dominicis, et festis diebus, et etiam in illis abrogatis in hoc Regno Neapolitano per Constitutionem Pii VII. *Paternæ charitati* 10. Aprilis 1818. ut ex pluribus decretis S. C. Concilii, et signanter in *Neapolitana*, et *Aquilana*, adprobante eodem Pontifice 18. Octobr. ejusdem anni. Concessit tantum idem Pontifex Benedictus XIV. posse Episcopos Parochis egentibus dispensare, ut in festis queant Missam applicare pro eleemosynam præbente, hac conditione, ut infra hebdomadam Missas pro Populo non applicatas remittant.

517. Q. Quando Parochi concionari tenentur?

℟. Ex jure Ecclesiastico (Trid. Sess. 5. Cap. 2. de Ref.) tenentur per se, vel per alios, si fuerint legitime impediti, saltem diebus Dominicis, et Festis solemnibus hanc implere obligationem, non obstante contraria consuetudine, neque exiguo populi numero. Et hæc obligatio est tam gravis, ut Parochi, qui uno mense continuato, vel etiam duobus, aut tribus discontinuatis infra annum non concionantur, non excusarentur a culpa gravi, ut sentiunt cummuniter Doctores, et per censuras, et alias pœnas ex eodem Tridentino possunt ab Episcopo compelli.

518. Q. Quare dixisti: *ex jure Ecclesiastico*?

℟. Quia cum etiam *ex jure divino* debeant Parochi verbi divini prædicatione oves, sibi commissas pascere, ut ex Tridentino (Sess. 23. Cap. 1. de Ref.), si Populus frequentiori prædicatione indigeat, tenentur Parochi etiam frequentius prædicare. Videatur Barbosa (de Offic. et

Potest. Paroch. p. 1. c. 14. n. 8.), qui de hoc agit. *Satis* autem *erit*, ut S. C. Concilii respondit Episcopo Melitensi, ut *Parochi etsi formaliter non prædicent*, *plebes sibi commissas pro sua*, *et earum capacitate pascant salutaribus verbis*, docendo, inquit Trid. (Sess. 5. Cap. 2. de Ref.) ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; vitia, quæ sunt declinanda; virtutes, quæ sunt exercendæ, ut pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant.

519. Q. Quando Parochi docere tenentur Doctrinam Christianam?

℟. Saltem diebus Dominicis, et aliis Festis, et etiam per censuras possunt negligentes ab Ordinariis compelli, non obstantibus privilegiis, et consuetudinibus. Ita pariter Tridentinum (Sess. 24. Cap. 2. de Ref.). Parochi autem, qui tempore hyemali, quo frequentius pueri, et puellæ concurrere solent ad Doctrinam, singulis diebus Doctrinam edocent, non videtur damnandi de mortali, si tempore messis, ubi non est concursus, Doctrinam omittant. Et hic obiter advertendum, quod, ut ab omnibus eadem docendi methodus servetur, ut inculcat Benedictus XIII. in Constit. *Etsi minime* 42. omnes et Parochi, et Magistri, et quivis alius nostræ spirituali jurisdictioni subjectus, qui in hoc sancto opere Doctrinam Christianam edocendi se occupat, utatur Compendio ad usum nostræ Marsorum Diœcesis hoc eodem anno 1825. edito Neapoli apud Xaverium Giordano.

520. Q. Quænam aliæ sunt Parochorum obligationes erga suos Parochianos?

℟. Illos visitare, si infirmi, ut præscribit Rituale Romanum; subvenire si egeni, ut dictum est supra a num. 103. etc. quod maxime intelligen-

dum est de Parochis; corrigere, si delinquant; ut pariter supra dictum est a num. 120. et præsertim n. 127. At pro correctione hic addendum superest, Parochos teneri etiam cum proprio incommodo auferre scandala. Et si quis sit incorrigibilis, et suo pravo exemplo sit aliis occasio peccandi, tenetur orare pro eo, et Episcopum certiorare; et ubi spes elucet emendationis, correctiones repetere. Vide B. Ligorio Lib. 3. n. 360. Alia de Parochis. Vide infra Lib. III. Cap. IV. art. 2. n. 540. et seqq.

521. Q. Ad quid tenentur Parochiani in Parochum?

℟. Sicut Parochus est pater spiritualis suorum parochianorum; qui tot labores pro eis sumere debeat diu, noctuque, et concionando, instruendo, Sacramenta administrando etiam cum periculo suæ vitæ; et debeat pro eis celebrare, subvenire, corrigere etc. Parochiani ergo debent in proprium Parochum illud idem, quod debent in parentes carnales, idest amorem, reverentiam; et in iis, ad quæ præcipienda jus habet, etiam obedientiam. Et si Parochi tenentur sub gravi suorum parochianorum vitia reprehendere, sub gravi pariter tenentur hi vitia deponere, scandala auferre etc. ita ut præter peccatum scandali etc. peccant etiam ob inobedientiam, quæ fit Parocho, et multo magis, si fiat proprio Prælato. Et insuper ubi Decimæ, aut aliæ oblationes solent Parocho præstari, sub gravi pariter juxta communem Theologorum sententiam præstare tenentur.

Caput II.

De mutua Obligatione Magistrorum, et Discipulorum.

522. Q. Ad quid tenetur Magister in Discipulos?

℟. Sive Magister sit publicus, qui doceat in Universitatibus, Seminariis, Collegiis etc. sive sit privatus, qui in domibus pueros instruat, duobus præcipue insistere debet, idest moribus efformandis, et scientias edocendo. *In bonis moribus* in primis, quod facile obtinebit, si ipse bono exemplo suos studentes præcedat. Si enim Magigister sit alicui vitio deditus, quo fructu virtutes, bonosque mores aliis poterit instillare? Ipse Quintilianus licet paganus, loquendo de Præceptore inquiebat (Lib. 1. Cap. 1.): *Ipse nec habeat vitia, nec ferat.*

523. Q. Ad quid aliud circa mores debet Magister suis Discipulis?

℟. Concilium Burdigense Cap. 8. ait: *Omnes autem Præceptores sive publici, sive privati Cathechismum, seu Doctrinam Christianam . . . . . juventutem docere . . . . . tenentur.* Et si Studentes doctrinam jam calleant, non omittat bonus Magister instillare identidem amorem erga nostram Sanctam Religionem, Sacramentorum frequentiam, vitiis horrorem, fugam pravorum sodalium etc. monita enim Magistrorum velut bona semina si non statim, suo tempore tamen fructificabunt. Et si quis Discipulorum sit incorrigibilis, *non ferat*, ut Quintilianus docet. Si sit Magister privatus, e sua schola expellat. Si sit publicus, Superioribus denuntiet, et sic expellatur, ne aliis perniciosus evadat.

524. Q. Ad quid tenetur circa scientias edocendas?

℟. In primis debet ipse studere, ut suo muneri recte possit satisfacere: tota charitate, et claritate, velut pater amans, suorumque studentum progressus cupidus suas faciat lectiones. Et meminerit, ideo stipendium sibi dari, ut sua attentione, diligentia, et assiduitate in edocendo, Discipuli sint suo tempore utiles Ecclesiæ, Familiæ, Reipublicæ. Magistri vero Universitatum meminerint etiam, quod si ipsi Doctoratus insignia dignis negent, aut indignis conferant, juxta S. Antoninum (3. n. tit. 5. §. 10. et alibi), cum aliis, essent rei culpæ mortalis, præsertim in Theologia, utroque Jure, et Medicina, ob grave damnum, quod Reipublicæ potest evenire: nam in Philosophia censet Cajetanus (V. *Doctor*), forte esse tantum veniale.

525. Q. Ad quid tenentur Discipuli in Magistrum?

℟. Data proportione debent amare, obedire, et honorare tamquam proprios parentes. Recole idcirco quæ supra dicta sunt a num. 470. etc. Peccabunt autem graviter, vel leviter juxta gravitatem, vel levitatem materiæ, si discipuli conviciis, aliisque verbis contumeliosis Magistrum afficerent; si in rebus, quæ pertinent ad bonos mores, et studia, Magistro non obtemperent, non attendendo, non studendo, præter alia peccata, de quibus se alligarent in familiam tum ob expensas inutiles, quas pro ipsis efficit, tum quia propria incuria remanendo in ignorantia, non solum non sunt utiles familiæ, sed sunt gravamini,

Caput III.

De mutua obligatione Dominorum, et famulorum.

526. Q. Ad quid tenetur Dominus in famulos?
℟. Cum Dominus, et Domina parentum vices gerat, tenetur quasi eamdem curam habere, quam habet in filios. Et propterea debet famulos, et famulas amare, instruere per se, vel per alios in doctrina Christiana, nisi calleant; dirigere charitative, bono exemplo præire; eorum moribus invigilare; observantiam præceptorum Dei, et Ecclesiæ ab eis exigere; hortari ad frequentiam Sacramentorum, aut saltem invigilare, ut temporibus statutis accedant; corrigere, si delinquant; si sint incorrigibiles, aut scandalo aliis, et præsertim familiæ, expellere; et maximopere curare, ne aliis occasionem præbeant peccandi. Et hæc quoad res ad animam pertinentes.

527. Q. Et quoad corporalia ad quid tenetur?
℟. Tenetur alimenta, et conventam mercedem tempore statuto eis præbere, si fideliter servierint; absque justa, et rationabili causa ante tempus conventum non dimittere; ita ut si temere dimittat, tenetur sub gravi damna compensare, quæ ex dimisso servitio illis obvenissent. Imo ex Lege *Qui operas* 36. et L. 16. ff. *Locati* hujusmodi Dominus in pœnam injustitiæ commissæ potest a Judice condemnari ad totam tribuendam mercedem. Dixi: *potest a Judice condemnari*, quia hujusmodi pœnæ locum non habent, nisi post Judicis sententiam. Communis.

528. Q. Quid ex dictis colligitur?
℟. Peccare graviter Dominum, vel Dominam,

si absque justa causa diebus festis vel impediat, ne famuli, et ancillæ Missam audiant, aut opera servilia illis imponat: Deus enim (Exodi 20. 10.) inquit: *Ne facias omne opus in eo* (idest die festo) *tu*, *et filius tuus*, *et filia tua*, *servus tuus*, *et ancilla tua*. Peccabit pariter, et graviter, si verbis graviter contumeliosis, et blasphemiis, aut imprecationibus illos increpet; si jubeat ea, quæ sine gravi culpa effici non possunt; si illis abuti velit ad committendum grave peccatum. Et generaliter peccabit Dominus graviter, vel leviter pro qualitate materiæ, si deficiat in supra indicatis, aut aliis obligationibus.

529. Q. Ad quid famuli tenentur in Dominos?

℟. Sicut Domini famulos, et ancillas debent respicere veluti filios; sic hi Dominos tamquam parentes debent amare, revereri, obedire, et insuper eis fideliter servire. Famuli ergo, et ancillæ, qui odio haberent, aut malum Dominis etiamsi discolis imprecarentur, gravius quam alii peccarent. Et idem dicendum, si verbis contumeliosis eos afficerent; si in rebus non vetitis prompte eis non obtemperarent; si in laborando, et custodiendo res Domini non essent fideles, aut permitterent, grave damnum inferri, aut in persona, aut in rebus Domini sui, cum possint impedire, vel clamando, vel Dominis annuntiando etc. et ad restitutionem tenerentur.

530. Q. In quo alio peccant famuli?

℟. Peccarent, si familiæ defectus, dissentiones, secreta, resolutiones etc. aliis revelant: graviter enim Domini contristarentur, si scirent. Peccarent, si absque justa causa ante terminum prefixum servire cessarent; et ad damnum, si quod Domino eveniret, compensandum tenerentur. Peccarent,

si obedirent Domino aliquid contra Legem Dei, vel Ecclesiæ præcipienti; aut si cooperarentur ad ejus peccatum, etiamsi id facerent, ne torvis oculis a Domino aspiciantur, ne male tractentur, ne a servitio expellantur etc. Et qui a culpa gravi famulos id facientes excusabant, damnati fuerunt ab Innocentio XI. (Prop. 51.): Deo enim potius obediendum est, quam Domino carnali.

531. Q. Si Dominus operæ pretium non det, potest ne famulus occulte se compensare?

℟. Si famulus, aut ancilla, aut quivis alius operam suam præstet, et quod sibi juste debetur, aliter accipere non possit, his casibus se compensare potest: si Dominus parum, aut nil pro opera præstita dedit; si justum conventum stipendium deneget; si stipendio minus justo sit a domino ad serviendum inductus. Dixi: *inductus*; quia si famulus, aut quivis alius ex se oblatus fuisset ad illam operam præstandam, jam suo juri cessisset, nec posset se compensare. Hic autem nota, quod famulus, aut ancilla non possent se compensare ex hoc motivo, quod operam suam majorem judicent salario, quod recipiunt, ut constat ex Prop. 37. proscripta ab Innocentio XI. Vide B. Ligorio Lib. III. n. 521., et 522.

532. Q. Quid præterea notandum circa operarios?

℟. Operarii, ut sunt agricolæ, sartores, muratores, fabri, lignarii etc., sicut Dominus his debet salarium, alimenta, et alia juxta pactum; sic hi operam suam fideliter Domino debent præstare: adeo ut si quis toto debito tempore operam suam non daret, vel juxta regulas artis male operaretur, non solum non posset accipere, aut retinere totum pretium conventum, sed teneretur

sub gravi compensare Dominum de damno, quod ex operibus male factis ei eveniret; quod præsertim agricolæ cavere debent: Si enim juxta artem non colant, nec terra, nec vites, nec arbores dabunt fructum suum.

Caput IV.

De mutua obligatione aliarum Personarum.

533. Q. Ad quid tenentur tutores, et curatores, erga pupillos, et minorennes, ac viceversa?

℟. Tutores, qui dantur pupillis usquedum compleant annos pubertatis, idest usque ad annum decimum quartum completum, si sunt masculi, et usque ad duodecimum completum, si sunt fœminæ, debent primo providere eorum bonæ educationi, et inde eorum bonis. Curatores autem, qui a Lege dantur minorennibus, seu illis, qui annos pubertatis compleverint usque ad annum vigesimum quintum completum, debent primo providere eorum bonis, et hinc in defectu aliorum debent etiam providere eorum bonæ educationi. Et tam tutores, quam curatores sub gravi suas obligationes implere tenentur, pupillosque, et minorennes tamquam filios considerare, eorumque negotia bene agere. Pupilli autem, et minorennes debent illis exhibere amorem, reverentiam, et etiam obedientiam tamquam parentibus in iis omnibus, quæ tutelam, et curatelam concernunt.

534. Q. Ad quid tenentur patrini, et matrinæ in suos filios spirituales, et hi in illos?

℟. Ideo Ecclesia in Baptismate, et Confirmatione instituit patrinos, et matrinas, ut qui bap-

tizantur, et confirmantur, præter parentes habeant alios, qui bonæ eorum educationi invigileut. Ad hæc ergo tenentur patrini, et matrinæ, ut docet S. Augustinus (Serm. 65. de Temp.), præsertim si parentes, aliique conjuncti sint negligentes, vel mortui: *Debent* (en verba S. Doctoris) *eos admonere, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant, et ante omnia Symbolum, et Orationem Dominicam eos doceant, Decalogum etiam, et quæ sint prima Christianæ Religionis rudimenta*: Filii autem, et filiæ spirituales debent in patrinos, et matrinas amorem, reverentiam, et obedientiam tamquam in parentes.

535. Q. Quid sibi invicem debent conjugati?

℟. Cum conjugati sint *duo in carne una* (Gen. 2. 24.), tam quoad animam, quam quoad corpus sibi subvenire debent, ut socialem possint ducere vitam. Et propterea debent sibi invicem debitum reddere; debent se invicem amare, patienter sustinere defectus alterius; in infirmitatibus, ceterisque indigentiis debent sibi mutuo assistere, ministrare, succurrere; ut viventes in pace, et charitate, onera matrimonialia ferant, filios christiane educent; ut inde una cum ipsis ad vitam perveniant sempiternam.

536. Q. Quid debet uxor in maritum?

℟. In iis, quæ respiciunt mutuum convictum, et regimen, uxor debet subesse viro suo, eique obedire. Ita Apostolus (Ephes. 5. 22.): *Mulieres viris suis subditæ sint sicut domino: quoniam vir caput est mulieris.* Et idcirco peccat uxor, si in habitatione, convictu, domusque administratione marito subesse renuat; si ipsi debitum obsequium non præstet; si quid notabile con-

tra viri voluntatem; et justam consuetudinem mulierum ejusdem status expendat in ludos, delicias, luxum, commessationes, et etiam in immodicas eleemosynas, nisi hæc omnia faceret ex bonis paraphernalibus, si habeat: uxor enim non potest pro suo arbitrio de rebus viri, imo nec de sua dote disponere.

537. Q. Quid vir debet in Uxorem?

R. Debet eam respicere non ut servam, sed ut sociam in convictu, habitatione, et in iis, quæ ad regimen familiæ spectant; nec irrationabiliter debet eam contristari. *Viri*, sic scribebat Apostolus ad Colosenses (3. 19.) *diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas.* Proinde peccabit vir, si absque gravi causa nolit cum ipsa convivere, si a domus regimine quasi servam, et extraneam penitus excludat (nisi sibi certo constet, uxorem potius dilapidare, quam augere aut saltem conservare rem familiarem); si verbis contumeliosis, et infamatoriis graviter affligat, vel percutiat, præsertim si foret gravida; si is in commessationibus, et ebrietatibus res familiares profundat, et uxor cum filiis vestitu, victuque necessario indigeat.

De V. Præcepto Decalogi.

Non occides.

TRACTAUS VI.

538. Cum in hoc V. Præcepto unum præcipiatur, et alterum vetetur, prius videbimus, quid in hoc Deus præcipiat, et hinc quid prohibeat. Sit igitur

ARTICULUS I.

De iis, quæ in V. Præcepto Decalogi præcipiuntur.

539. Q. Quid in hoc Præcepto Deus mandat?
℟. Varia sunt, quæ tam quoad animam, quam quoad corpus in hoc Præcepto præcipiuntur. Et *quoad animam* non solum Deus præcipit, quod nos vere amemus, et pacem habeamus cum nobismetipsis, et amicis, sed etiam cum inimicis, illos diligendo, benefaciendo etc., ut ex diversis Sacræ Scripturæ locis Cathechismus Romanus (de V. Præc. Decal.) edocet: ita ut Deus non tantum prohibeat homicidia, et ultiones; sud sub pœna æternæ damnationis præcipiat insuper, remittere injurias, earum obliviscі, et nec irasci cum proximo suo.

540. Q. Quid præcipitur quoad corpus?
℟. Præcipitur, ut unusquisque mediis licitis, et honestis conservet vitam corporalem tam propriam quam aliorum; et proinde præcipiuntur etiam quæ sunt necessaria ad vitam conservandam, ad salutem recuperandam. Et sicut absque cibo, potu, dormitione etc. vita conservari non potest; et si gravi infirmitate quis detineatur, absque medico, medicinalibus, præscriptisque remediis salus recuperari ut plurimum non possit, patet, hæc omnia præcipi. Cumque ebrietates, crapulæ, aliæque intemperantiæ saluti officiant, vitamque imminuant, etiam abstinentia ab his in quinto Decalogi Præcepto jubetur.

541. Q. Quid dicendum de eo, qui medicamina, et alia remedia respueret?
℟. Si medicamina, et remedia sint ordinaria,

et infirmus possit sumere, absque peccato non posset respuere. Dixi: *si sint ordinaria*: quia si medicamenta essent valde dispendiosa, nec facile comparabilia; et remedia essent extraordinaria, et nimis dura, ut esset abscissio brachii, cruris, et similia, non teneretur, nisi communi bono ejus vita reputetur necessaria. Ita communiter Salmaticenses cum aliis, quos citat B. Ligorio (Lib. 3. n. 372.). Et ob eamdem rationem dicunt citati Auctores per se loquendo non teneri puellam infirmam se exponere tactui medici in partibus pudentis, si hujusmodi operatio ei esset durior, quam mors ipsa. Teneretur tamen ad vitam conservandam manus alius fœminæ subire.

542. Q. Ad conservandam vitam tenetur ne mulier permittere violationem sui corporis?

℟. Etiamsi adsint Doctores, qui dicant, posse, sed non teneri, permissive se habendo, dummodo voluntate positive resistat, et consensus periculum absit: quia tamen hoc difficillimum est, et etiam quia quiescendo cooperaretur peccato, seu congressui alterius, atque etiam quia fornicatio est intrinsece mala; amplectenda est sententia Salmaticentium, et aliorum, quos citat, et sequitur idem B. Ligorio (ibid. n. 368.), qui dicunt, ad imitationem castæ Susannæ, et tot honestarum fœminarum debere potius mori, quam fœdari; ac despicere illam vitam, quæ absque violatione pudicitiæ conservari non potest.

543. Q. Licent ne austeritates corporales, si vitam abbrevient?

℟. Si quis has austeritates amplecteretur ad vitam abbreviandam, tunc non licerent: quia sibi vitam directe etiam per horam minuere non licet.

Si autem has asperitates (dummodo sint discretæ) amplecteretur quis ob zelum Deo placendi, ad compescendas rebelles passiones, ut fecerunt tot Sancti, et Sanctæ, tunc hujusmodi austeritates etsi indirecte possint vitam minuere, non solum erunt licitæ, sed erunt laudabiles. Si enim licet colonis in locis aeris insalubris laborare, studiosis dies, et etiam noctes in studio transigere, militibus navigantibus etc. tot ærumnis se exponere, ut corruptibilem coronam accipiant, etiamsi vitam sibi abbrevient: Cur ergo non licebit ad coronam immarcescibilem acquirendam? Vide B. Ligorio (ibid. n. 371.).

544. Q. Ad conservandam vitam suam, vel proximi teneretur ne quis aggressorem occidere?

℟. Licet non teneatur, dummodo conscius sibi non sit culpæ mortalis, et vita sua aut proximi non sit valde utilis bono communi; si aggressor sit injustus, potest eum occidere in actu aggressionis, cum moderamine inculpatæ tutelæ, idest si non possit vitam suam, vel proximi alio modo conservare, quam occisione injusti aggressoris. Ita communiter ex S. Thoma (2. 2. q. 64. a. 7.), S. Antonino, et aliis, quos citat et sequitur B. Ligorio (ibid. n. 380. et 386.); et hoc eruitur ex C. *Si vero* 3. ubi Alexander III. sic ait: *Cum enim vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittant* etc. Et sicut pudicitia, et integritas corporalis ex communi existimatione præstantior est vita, et ejus amissio fœminis honestis morte gravior, ut docet S. Ambrosius (Lib. 3. Offic.); hinc mulier præsertim honesta non peccat, si cum moderamine inculpatæ tutelæ aut ipsa, vel alius vim vi repellendo aggressorem occidat, ne violetur. Ita docet etiam S. Augustinus.

545. Q. Quare in supradicta responsione tot conditiones apposuisti ?

℞. Primo, quia si invasus *conscius sibi sit peccati mortalis*, prius consulere debet saluti suæ animæ, quam animæ invasoris. Dixi secundo: *Si vita sua vel proximi sit valde utilis*: quia hoc casu expedit, ut moriatur aggressor. Dixi tertio: *Si aggressor sit injustus*: quia si aggressor sit minister justitiæ, qui ex officio debeat ad carcerem, aut supplicium illum trahere, non potest occidi. Dixi quarto: *in actu aggressionis*: quia cessata pugna, non posset amplius eum occidere. Dixi quinto: *cum moderamine inculpatæ tutelæ*: quia si fugiendo, clamando, pugnis, leviter vulnerendo, aut aliis modis possit e manu invasoris eripi, tunc occidendo non excusaretur a peccato; sicut non excusaretur, si se defenderet ex odio, aut animo se vindicandi. Communis.

ARTICULUS II.

De iis, quæ in V. Præcepto vetantur.

546. Q. Quid vetatur in V. Decalogi Præcepto ?

℞. Vetatur homicidium, seu injusta hominis occisio, sicut et injusta mutilatio, percussio, vulneratio et alia, quæ mortem causare possint, et in Lege nova vetatur etiam odium, ira, et alia, de quibus jam supra locuti sumus a n. 132. etc. et Lib. 1. a n. 348. etc. Dixi: *injusta*; quia occisio justa non vetatur hoc præcepto, nec stricte dicitur homicidium. Occisio autem erit *injusta*, vel ex defectu auctoritatis, quando scilicet

qui occidit, non est auctorizatus ab habente potestatem; vel ex defectu culpæ, cum scilicet qui occiditur, est innocens; vel ex defectu debiti modi, quando scilicet in occisione debitus ordo non servatur, et est peccatum gravissimum. Quæ autem occurrunt tractanda circa hanc materiam, in sequentibus Capitibus disseremus.

Caput I.

De divisione homicidii.

547. Q. Quotuplex est homicidium?

℟. Primo dividitur in voluntarium et causale; secundo in qualificatum, et simplex. Homicidium *voluntarium* aliud est directum, aliud indirectum. Homicidium *directe voluntarium* est illud, quod per se est intentum, et procuratum vel *physice* per propriam actionem, ut si quis animo occidendi gladium vibret, sclopetum explodat, venenum porrigat, etc. vel *moraliter*, mandando scilicet, suadendo, permittendo, cum impediri possit saltem ex justitia, si non ex charitate.

548. Q. Quid est homicidium indirecte voluntarium, et casuale?

℟. Homicidium *indirecte*, seu in *causa voluntarium*, est, quando quis mortem alterius non intendit, voluntarie tamen ponit aliquam causam, aut actionem; sive aliquam actionem omittit, ex qua saltem probabiliter mortem secuturam prævidere poterat, et debebat: ut qui percutit mulierem gravidam, ex qua præter intentionem percutientis abortus fœtus animati sequitur; qui feram solutam absque cautela tenet, quæ hominem lacerat etc. Homicidium autem *causale* est illud,

quod præter intentionem fortuito accidit, et hoc utpote involuntarium culpa vacat. Ut qui credens occidere feram, hominem interficit. Quod si non adhibuit diligentiam ad discernendum, homo ne, an fera esset, esset homicidium *indirecte voluntarium*, et peccaminosum.

549. Q. Quid est homicidium qualificatum, et simplex?

℟. *Qualificatum* est illud, quod ex parte hominis occisi, vel ex modo occidendi aliquam continet specialem deformitatem, quæ cum addat novam malitiam, est in confessione explicanda. Si autem hanc deformitatem non contineat, homicidium erit *simplex*. Homicidium autem *qualificatum* subdividitur. Si enim quis occidat seipsum, vel propinquos, aut principem, vocatur *parricidium*. Si occidat personam sacram, ut Clericum, Religiosum professum, vel in loco sacro, dicitur *Sacrilegium*. Si occidat animo prædandi, erit *latrocinium*.

550. Q. Est ne aliud præterea notandum?

℟. Maxime. Si enim præmio promisso, vel dato alicui quis mandat occisionem, et mandatarius occidat, erit *assassinium*. Si sub specie amicitiæ, vel ex insidiis secuta sit occisio, vocatur *proditorium*, ad quod reducitur *procuratio abortus fœtus animati*. Si mors sequatur ex propinatione veneni, dicitur *veneficium*. Si autem occisio sequatur ope dœmonis, vel arte magica, vocatur *veneficium magicum*, quod est peccatum gravissimum contra Religionem involvens malitiam superstitionis, et commercium cum Dœmone.

Caput II.

De occisione, et mutilatione suimet.

551. Q. Licet ne umquam seipsum occidere?
℟. *Directe* numquam: quia homo non est dominus, sed tantum conservator, et custos suæ vitæ. Et si peccat contra justitiam, et charitatem qui alios occidit, multo magis qui occidit seipsum, quem plus quam alios diligere debet. Hinc nemini licet absque gravissimo peccato se occidere pugione, veneno, inedia, projiciendo se in ignem, in altum mare, aut alio modo sibi vitam eripere, quocumque motivo id faciat. Et si legitur de S. Apollonia, quæ in ignem se injecit, et de aliquo Sancto, qui vitam sibi eripuerunt, credendum est vel speciali impulsu Spiritus Sancti ad hoc esse determinatos, vel excusari ignorantia invincibili, qua crediderint, licitum esse suicidium, ob amorem Religionis, castitatis, etc.

552. Q. Licet ne saltem *indirecte* se occidere?
℟. Si adsit justa, et rationabilis causa, licet; aliter nec licet se occidere, nec mortem sibi accelerare absque gravi culpa. Communis. Hinc graviter peccaret qui vitæ pertæsus, jejuniis, et vigiliis (vide sup. n. 543.) consulto sibi mortem accelerarет. Item qui intemperanter dant se potationibus, libidinibus, aliisque excessibus cum præviso periculo tot exemplis comprobato, a medicis prænunciato lethales morbos contrahendi, et mortem sibi accelerandi. Item qui gravi, et mortali morbo laborans respuit remedia, et medicamina ordinaria, et communia, facileque comparabilia juxta proprium statum (vide n. 541.), nisi reapse possit ea sumere. Et idem dicerem de

funambulis, et de iis, qui per globum aereostaticum volunt se elevare, cum tot etiam temporibus nostris in his periculis positos miserabili morte vitam finire conspeximus, aut audivimus.

553. Q. Quando adest justa causa se *indirecte occidendi*, aut mortis periculo se exponendi?

℟. Quando quis impulsus Charitate, quam Deo, vel sibi, vel proximo debeat, hoc faciat. Ut sancti Martyres, qui ne Fidem abnegare viderentur, martyrio se exponebant nec mortem effugiebant. Item qui prædicant Evangelium in partibus infidelium: qui in incendio domus, vel navis, se ex alto præcipitaret, vel in mare se dejiceret, præsertim si aliquam spem haberet mortem evadendi. Vide B. Ligorio (Lib. 3. n. 367.). Item qui Sacramentorum administratione, vel alio modo pestilentia infectis inservit: qui se non defendit aggressoris occisione, ne aggressor ab ipso occisus damnationem incurrat æternam, dummodo ipse in statu gratiæ se reperiat, aut speret contritionis actu illam recuperare, quod non videtur dubitandum ob excessum charitatis erga suum aggressorem. Vide tamen n. 545.

554. Q. Licita est ne mutilatio?

℟. Mutilatio, seu abscissio alicujus membri corporis humani, sive fiat in se, sive fiat in alium, per se loquendo, est illicita: quia homo sicut non est dominus suæ vitæ, sic nec est dominus, sed tantum conservator suorum membrorum. Communis. Dixi: *per se loquendo*: 1.° quia auctoritate judicis sicut homo potest vita privari, sic etiam et membro; 2.° quando abscissio membri necessaria reputatur ad conservandam vitam, quæ aliter conservari non posset. Ita S. Thomas (2. 2. q. 65. a. 1.), et alii communiter. Hinc juxta

probabiliorem non licet; nec se, nec alios castrare, nisi hæc operatio necessaria sit ad conservandam vitam; et proinde fieri non potest nec ad servandam castitatem, quæ aliis mediis servari potest (S. Thom. ibid.); et multo minus ad servandam vocem etiamsi pro solo cantu Ecclesiastico.

555. Q. Sunt ne pœnæ contra occidentem, vel mutilantem seipsum?

℟. Si absque justa causa voluntarie, et deliberate, sive directe, sive indirecte (n. 547. 548. 552. 553.) aliquis homo sibi eripit vitam, per sacros Canones privatur sepultura Ecclesiastica, et Ecclesiæ suffragiis. Non privatur autem, si id faceret ex furore, amentia, excessu gravissimæ tristitiæ, hypocondriæ, turbata phantasia, ut fere evenit, vel si ante mortem vera pœnitentiæ signa dederit. Mutilatio, seu abscissio alicujus membri facta absque causa, ut supra (n. 554.) inducit irregularitatem, ut dicetur Lib. V. Tract. 2. paragr. IV.

Caput III.

De occisione furis, et nonnatorum.

556. Q. Licet ne furem occidere?

℟. Si fur veniat animo etiam occidendi, licet eum occidere sed cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut supra n. 544. Colligitur ex Cap. 22. Exodi: *Si effringens fur domum, sive effodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis: quod si orto Sole hoc fecerit, homicidium perpatravit.* Et ratio est: quia *fur nocturnus*, ut deducit S. Augustinus (in illum locum), *discerni non potest, an veniat animo etiam occidendi. At fur diurnus*

poterat quippe discerni , quod ad furandum , non ad occidendum venerit.

557. Q. Licet ne occidere furem, qui veniat animo tantum furandi?

℟. Magni nominis Doctores (ap. Ligorio Lib. 3. n. 383.) dicunt si res sint magni momenti, et non possint aliter aut defendi, aut recuperari quam per mortem diripientis, licere. Et revera Innocentius XI. (Prop. 31.) damnavit eos, qui ajebant, pro conservatione unius aurei posse furem occidi. At ex citatis verbis tam Exodi, quam S. Augustini videtur probabilior sententia contraria. Si enim fur diurnus non potest occidi, quia *poterat discerni quod ad furandum, non ad occidendum venisset* : ergo eum, qui ad furandum venit dumtaxat, occidere non licet. Limitarem pro casu, quo bona illa necessaria sint ad vitam conservandam : hoc enim casu velut vitæ aggressor posset ille fur considerari.

558. Q. Quomodo nonnati possunt occidi?

℟. Quando causatur abortus fœtus animati. Et si directe, et malitiose causetur, est peccatum gravissimum: quia privatur fœtus ille non solum vita corporali, sed etiam vita æterna; et hoc gravissimum peccatum inducit omnes illas pœnas, quæ in Constit. Xisti V. statuuntur contra homicidas, ut suo loco videbitur; et insuper inducit excommunicationem majorem, quæ absolvi potest ab Episcopis, et a specialiter delegatis ab his; inducit Irregularitatem etiam respectu cooperantium; inducit inhabilitatem ad omnia Officia, et Beneficia ecclesiastica dispensabilem a solo Papa; et post sententiam Judicis etiam privationem Officii, et Beneficii prius obtenti, et depositionem, ac degradationem, et privationem privilegii Canonis.

559. Q. Qui rei evadunt hujusmodi peccati?

℟. Omnes illæ mulieres gravidæ, quæ nullam curam habent fœtus, quem in utero gestant, gravia onera sublevando, immoderate saltando, vel alia faciendo, quæ ex experientia sciunt abortum causare. Et insuper rei sunt hujusmodi gravissimi peccati etiam omnes illi, qui abortui fœtus animati cooperantur venenis, medicamentis, percussionibus etc. seu dando opem, consilium, favorem etc. Hi omnes malitiose agentes hoc gravissimo peccato se alligant; et effectu secuto supradictas pœnas incurrunt. Mulier autem, quæ sibi causat abortum, juxta sententiam Salm., et aliorum, quam B. Lig. L. 3. n. 394. q. V. probabiliorem vocat; excommunicationem non incurrit.

560. Q. Numquam ne licet abortum procurare?

℟. *Directe*, idest applicando medium, aut medicamen, quod per se tendit ad expellendum fœtum, semper est illicitum, graviterque peccaminosum, et in nullo casu potest cohonestari nec ad conservandam quidem vitam matris periclitantis, et multo minus ad præcavendam infamiam, et etiam mortem puellæ prægnantis, etiamsi fœtus esset certo inanimatus, ut constat ex prop. 34. damnata ab Innocentio XI. In unico casu posset directe fœtus expelli, si certo noscatur, fœtum illum mortuum esse.

561. Q. Quare dixisti: *directe*?

℟. Quia *indirecte* ejectio fœtus, quæ contingit, dum mulieri remedium applicatur, quod per se, et directe tendit ad recuperandam sanitatem matris, ex quo per accidens, et præter intentionem fœtus ejectio sequitur, potest esse licita, sed in hoc unico casu, quando scilicet ex prudenti medicorum judicio valde probabile esset, quod non adhibito illo, ut supra, remedio, tam fœtus, quam mater morituri

essent; eo vero adhibito, saltem mater possit salvari. Nam si matre pereunte, speretur fœtum posse supervivere, et baptizari, tunc juxta probabiliorem nec *indirecte* procurari posset abortus: dummodo non credatur, abortum probabiliter sequi, etiamsi remedium non sumatur; hoc enim in casu juste consulitur vitæ matris. Vide B. Ligorio Lib. 3. n. 394.

562. Q. Abortus fœtus inanimati licet ne aliquando procurari?

℟. Etiamsi abortus fœtus inanimati post moderationem factam a Gregorio XIV. nullas inducat pœnas canonicas, illum tamen procurare *directe* numquam licet nec ad conservandam vitam matris periclitantis absque gravi culpa; quia licet homo non occidatur, proxime tamen vita hominis impeditur. Procuratio *indirecta*, ut num. præcedenti, est licita solum ad conservandam vitam matris periclitantis, quæ aliter moreretur. Sic probabilius, et communius (vide B. Lig. ibid.). Fœtus autem dicunt animari die quadragesimo, si sint masculi; die octogesimo, si sint fœminæ; licet sit res valde incerta; et multi medici sentiunt, a die conceptionis fœtum animari. Et proinde si a conceptione transacti sint dies quadraginta, cum nesciatur, an fœtus sit masculus, aut fœmina, recole dicta numero præcedenti.

563. Q. Licet ne occidere injustum invasorem honoris, aut falsos accusatores, falsos testes?

℟. Minime. Si enim cum moderamine inculpatæ tutelæ (n. 544.) vix licet injustum vitæ aggressorem occidere, quomodo licet occidere injustum aggressorem honoris, falsum accusatorem, aut falsum testem? eo magis quod horum occisione non recuperatur nec honor, nec res deperdita etc. Et oppositum dicentes proscripti fuerunt ab Alexandro VII. n. 17. 18. et ab Innocentio XI.

n. 30. Christus enim districte præcipit diligere, et benefacere etiam iis, qui nos persequuntur, et calumniantur, et non resistere malo. Invasor autem pudicitiæ si nullo alio modo possit a muliere repelli, juxta S. Antoninum, et alios ap. B. Ligorio (Lib. 3., n. 386.), licite potest ab ipsa occidi, *quia utitur suo jure naturali*, *quo vim vi repellere licet*, sicut etiam dictum est n. 544.

Caput IV.

De occisione facta in bello, et duello.

564. Q. Quid, et quotuplex est bellum?

℟. Bellum est publica armorum assumptio ad defendendum, vel vindicandum ab extraneis Rempublicam, seu Statum. Hoc duplex est, defensivum, et offensivum. *Defensivum* est, quando vis injusta repellitur. *Offensivum* est, quando quis aggreditur hostem ad faciendam justam compensationem, vel injuriam vindicandam. Hinc bellum distinguitur a seditione, seu bello civili, quod accidit, quando arma assumuntur inter incolas ejusdem Regni, una parte contra aliam dimicando.

565. Q. Bellum est ne licitum?

℟. Quoad bellum *defensivum* est semper licitum. Si enim etiam personæ privatæ se defendere, et vim vi repellere licet, multo magis est permissum Principi supremo. Bellum autem *offensivum* licet 1.° quando fit auctoritate Principis supremi, vel a Republica nullum cognoscente Superiorem; 2.° ex causa justa, scilicet ad vindicandam injuriam, quæ sit gravis, vel iam gravem habitura, aut ob compensanda gravia damna illata; 3.° cum justo moderamine, idest effugiendo quidquid crudelita-

tem sapit, et non prætergrediendo ordinarios limites. Et super hoc tam qui bellum indicit, quam Generales, et Duces viros sapientes, et probos consulant, ne errent.

566. Q. Quid licitum est in bello?

℟. Si bellum sit justum, licitum est jumenta ab hostibus abigere, domos, camposque expoliare, arma surripere, et etiam occidere. Quoad occisionem vero parcendum est innocentibus, ut sunt infantes, pueri, senes, amentes, mulieres, Clerici, Religiosi, dummodo hi arma non gestent, vel in rebus bellicis se se non immisceant, aggeres erigendo, aut similia: quia tunc aliorum sorte digni sunt; et etiam hi impune occiderentur. Dixi: *Si bellum sit justum*: Quia *si injustum* esset, in dictum scilicet sola nocendi voluntate, ulciscendi crudelitate, expoliandi aviditate, dominandi cupidine etc. tunc ex Can. *Quid culpatur* 4. caus. 23. q. 1. non licerent supradicta.

567. Q. In bello injusto possunt ne milites cogi ad belligerandum?

℟. Si bellum sit aperte *injustum*, ex dictis non possunt cogi. Si autem sit dubie injustum, quoad milites subditos, aut exteros jam inscriptos possunt cogi; et hi obedire tenentur: quia in dubio quisque Superiori debet parere; et quia Reipublicæ grave damnum inferretur, si ob militum dubia bellum esset suspendendum; cum non omnes belli causas possint rescire, nec scire expediat. Si autem milites non sint subditi, sed exteri ante bellum non stipendiatii, investigare debent de justitia belli, et perseverante dubio, non licet eis militare: quia ex una parte Principi extraneo obedientiam non debent; ex altera non debent se exponere periculo hostem injuste damnificandi. V. Lig. n. 408.

568. Q. Insidiæ sunt ne in bellis permissæ?
℟. Si insidiæ, aut stratagemmata non sint peccaminosa, ut hostium vestibus, aut militaribus signis uti, fugam simulare etc. (ex Cap. *Dominus noster* 2. caus. 23. q. 2.), licent; et Deo mandante, (Josue Cap. 8.) Josue fecit. Cum enim hæ insidiæ in omni bello sint consuetæ, si hostes falluntur, propria insipientia falluntur. Si autem insidiæ, aut stratagemmata sint peccaminosa, velut excubias inebriare, aliquem incitare ad occidendum Principem, ad prodendam civitatem, ad bellica tormenta absque pulvere explodenda; puteos, aquas veneno inficere, et similia, hæc absque gravi culpa non licent. Communis ap. Lig. Lib. 3. n. 410.

569. Q. Quæ alia non licent in bello?
℟. Non licet militibus ad hostes transmigrare, belli secrata revelare, stationem etiamsi periculosam deserere, ignaviter pugnare, absque Superiorum licentia, aut ante tempus completum a castris recedere, victoria nondum desperata fugere, et similia. Et qui hæc faceret, peccaret contra justitiam, quia milites stipendio conducuntur; peccaret contra Religionem ob violatum juramentum fideliter inserviendi; et peccaret contra charitatem propriam, quia si deprehendatur, certo mortis periculo se exponeret. Quæ sint pœne canonicæ contra belligerantes, videbitur suo loco.

570. Q. Quid, et quotuplex est duellum?
℟. Est duorum, vel etiam plurium conflictus. Est duplex. Publicum, et privatum. *Pubblicum, seu qui publica fit auctoritate*, est, quando Princeps juste belligerans, advertens, se imparem esse ad resistendum, proponit parti adversæ, ut ad finiendum bellum cum minori damno, duo,

vel plures inter se pugnent, ut fecit David cum Goliath; et qui vicerit, suo Principi victoriam reportabit. Et hoc *publicum* duellum utpote crudelis, et perniciosi belli gravaminibus non expositum, est licitum; ut fecit S. Wenceslaus Dux Bohemiæ cum Ladislao Duce Curimensi, et alii (Goritia Tab. 66.).

571. Q. Quid est duellum *privatum*?

℟. Duellum *privatum*, seu *qui privata fit auctoritate*, est conflictus inter privatas personas, quæ *ex condicto*, idest determinando locum, tempus, et arma ad pugnam ineundam invicem congrediuntur. Hoc *privatum* duellum numquam licitum est nec ad probandam innocentiam, nec ad veritatem demonstrandam, nec ad litem dirimendam, nec ad injuriam vindicandam, nec ad ignominiam evadendam, etiamsi duellum non acceptando, certe quis privandus esset officio, quo se, et familiam sustentat; aut fortunas suas conservare non posset.

572. Q. Cujusnam culpæ, et pœnæ sunt rei duellantes?

℟. Duellantium peccatum est gravissimum tam quoad eum, qui provocat, tam quoad eum, qui duellum acceptat: imo est duplex peccatum, et quia duellantes vitam alterius aggrediuntur, et quia sine justa causa vitam propriam mortis periculo exponunt. Pœnæ autem canonicæ, quæ ipsis infliguntur sunt. 1.° Excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt etiamsi pugna non sequatur. Et hanc excommunicationem incurrunt etiam publicæ auctoritates, quæ locum dant pro pugna, et quicumque alius, qui duellum suaserit, patrini, et qui de industria sunt spectatores. 2.° Quod duellantes, qui moriuntur

in conflictu ; aut etiam extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, privantur Ecclesiastica sepultura, etiamsi signa pœnitentiæ dederint, et fuerint etiam absoluti. Hæc omnia constant ex Tridentino Sess. 25. Cap. 19. de Ref. ex Constit. Gregorii XIII. *Ad tollendum*, ex Constit. Clementis VIII. *Illius vices*, ex prop. 2. damnata ab Alexandro VII. et ex Constit. *Detestabilem* Benedicti XIV.

De VI. et IX. Præcepto Decalogi.

Non mæchaberis, non desiderabis uxorem proximi tui.

TRACTATUS VII.

573. Q. Quid in his Præceptis præscribitur?
℟. Unum præcipitur, et alterum prohibetur. Præcipitur, ut unusquisque in suo statu sanctam castitatem, sive munditiem animæ, et corporis servet. Dixi : *in suo statu* : quia virgines candorem, quem e sinu matris traxerunt, illibatum custodire debent, saltem usquedum matrimonio jungantur. Conjugati castitatem servare debent, nihil illicitum, et matrimonii sanctitati inconveniens admittendo. Et personæ viduæ, sicut et omnes, qui in statu cælibati reperiuntur, aut castitatis voto sunt adstrictæ, nil contra puritatem nec in corde, nec in corpore admittant.

574. Q. Quid in dictis Præceptis prohibetur?
℟. Prohibentur peccata, quæ Castitatis virtuti adversantur, seu peccata inhonesta, quæ juxta Apostolum (Ephes. 5. 3.) nec nominari deberent inter christianos, ut decet sanctos; peccata,

quæ tot animas (illuminemini mortales) æternis pœnis excruciandas tradunt; peccata, sine quibus, ut sentit B. Ligorio (Lib. 3. n. 413.), rari damnantur. Cum pro Alumnis Seminarii præcipue hoc scribatur Compendium, idcirco non omnia, quæ ad Confessarii notitiam spectant, hic discutientur. Quando autem Sacerdos proximus est ad audiendas confessiones, tunc et non prius in aliis Auctoribus, et præsertim apud B. Ligorio hanc materiam perlegat, sed admodum caute, et omnem curiositatem prorsus abjiciens. Imo eo tempore sæpe animum ad Deum elevet; et Virgini Immaculatæ, ejusque Sponso castissimo se commendet, ne dum studet alienis animabus salvandis, propriam non inquinet, et perdat.

575. Q. Quotupliciter dividuntur hæc peccata inhonesta?

℟. Dupliciter: in interna, et externa. *Externa* autem dividuntur in imperfecta, et perfecta. Et hæc subdividuntur in perfecta secundum naturam, et in perfecta contra naturam. De peccatis inhonestis *internis*, quæ consistunt in pravis cogitationibus, delectationibus morosis, malis desideriis, et in motibus inordinatis, egimus jam in Libro 1. Tract. III. art. 1. Cap. 1. Paragr. 2. et 3. et ibi dicta recolantur. De peccatis vero *externis* tam *perfectis*, sive *consumatis*, et *completis*, quam *imperfectis* sive *incompletis*, et non *consumatis* in sequentibus Capitibus eloquemur.

Caput I.

De peccatis inhonestis perfectis secundum naturam.

576. Q. Quodnam est peccatum inhonestum perfectum secundum naturam?

℟. Est illud, quod extra conjugium committitur inter virum et mulierem, ex quo humana generatio vel sequitur, vel per se sequi potest. Quod si hoc peccatum committatur inter *solutum*, et *solutam* (idest, quod canonicum impedimentum non habeant ad contrahendum inter se matrimonium) tunc, si mulier non sit virgo dicitur *fornicatio*; si autem sit virgo, *stuprum*. Si hoc peccatum fiat inter virum, et mulierem, qui sint consanguinei vel affines usque ad quartum gradum inclusive, vel sint conjuncti cognatione spirituali vel legali, appellatur *incestus*. Si vir, aut mulier, aut uterque sint conjugati, erit *adulterium*. Si habeant votum castitatis, aut turpe peccatum fiat in loco sacro, erit *sacrilegium*. Si peccatum fiat cum muliere vi abducta ad libidinem explendam, erit *raptus*. Et cum singula hæc peccata specie differant inter se, idcirco erunt explicanda in confessione.

577. Q. Quare dixisti *extra conjugium*?

℟. Quia quod fit inter maritum, et uxorem, dummodo ordinate fiat, non solum non est illicitum, sed si fiat recto fine prolis ad Dei honorem procreandæ, vel ad reddendum debitum, potest esse meritorium, et sanctum, ut ait S. Thomas (in 4. Sentent. dist. 26. q. 1. a. 4.) Deus enim institutor est Matrimonii, seu conjugii, et Christus ad Sacramenti rationem illud e-

levavit. Unde Apostolus (1. Cor. 7. 28.): *Si acceperis uxorem , non peccasti , et si nupserit virgo , non peccavit.*

578. Q. Prædicta inhonesta peccata sunt lethalia , an levia ?

℟. Sunt lethalia. *Neque fornicarii* (1. Cor. 6. 9.), *neque adulteri , neque molles , neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.* Imo hæc peccata , etiamsi sit simplex fornicatio, prohibita sunt jure naturæ , ut constat ex propositione 48. damnata ab Innocentio XI. Et si fornicatio est peccatum lethale , quo graviora sunt *stuprum* , *incestus* , *adulterium* , *sacrilegium* , *raptus* , quæ habent duplicatam , triplicatam , et etiam quadriplicatam malitiam ? Et si simplex fornicatio est peccatum grave , quo gravius concubinatus , qui est continuata fornicatio ?

579. Q. Sunt ne pœnæ contra stuprum ?

℟. Si stuprum commissum sit cum injuria , idest invita puella , vel parentibus ; vel cum damno , quia puella deflorata ob criminis publicationem non potest alii nubere , vel nonnisi multa cum difficultate , et magna dote , tunc stuprator tenetur eam vel ducere , vel dotare ; sicut teneretur eam ducere, si vera , vel ficta matrimonii promissione eam decepisset , et etiamsi stuprator foret conditionis superioris saltem pro casu , quo puella fictionem noscere nequivisset , dummodo gravia dissidia , aut inconvenientia ob disparitatem oritura non timeantur , quia tunc sufficeret dotare. Sed de hac obligatione iterum Lib. IV. Art. VII. Sect. I. Cap. II.

580. Q. Quid notandum circa incestum ?

℟. Notandum , quod pœnitens saltem a Confessario interrogatus explicare debet , an persona , cum

qua commissum est peccatum, sit consanguinea, vel affinis, et in quo gradu; ut Confessarius justum efformare possit judicium; etenim præterquamquod incestus in primo gradu sit gravior, et deformior, insuper incestus in primo, et secundo gradu fere in omnibus Diœcesibus est reservatus. Præterea si hoc peccatum commissum sit a conjugato cum consaguinea uxoris in primo, vel secundo gradu, et viceversa a conjugata cum consanguineo viri in eodem gradu, tunc incestuosus, vel incestuosa amittit jus ad petendum debitum conjugale, et dispensatione indigeret.

581. Q. Circa incestum sunt ne alia notanda?

℟. Maxime. Si enim affinitas oriatur non ex matrimonio, sed ex unione illicita, et peccaminosa, tunc incestus extenditur tantum ad secundum gradum inclusive, post quem peccatum non esset amplius incestus, sed fornicatio etc. Et pariter explicandum, an incestus commissus fuerit cum persona conjuncta cognatione spirituali, vel cognatione legali, idest inter adoptantem, et adoptatam; vel inter fœminam adoptantem, et adoptatum: incestus enim inter conjunctos cognatione spirituali reducitur ad speciem Sacrilegii (A Goritia Tab. 74.).

Caput. II.

De peccatis inhonestis perfectis contra naturam.

582. Q. Quænam sunt peccata inhonesta perfecta contra naturam?

℟. Sunt omnia illa, in quibus ex seminis effusione, quæ evenit, humana generatio sequi non potest; et sunt tria, mollities, sodomia, et be-

stialitas. Si seminis effusio proveniat sine ullo congressu, dicitur *mollities*, seu *simplex pollutio*, quæ quando directe, vel indirecte procuratur, est semper peccatum grave: *Molles .... regnum Dei non possidebunt.* Ita legitur 1. Cor. 6. 10.; et est prohibita jure naturæ, ut constat ex propositione 49. proscripta ab Innocentio XI. Et idcirco nullo umquam fine, et prætextu etiamsi honesto, et nec ad mortem vitandam potest directe, vel indirecte procurari.

583. Q. Quare dixisti: *directe*, vel *indirecte*?

℟. Quia hoc gravi peccato se alligat non solum qui *directe* tangit, aut aliud facit, ut pollutio eveniat; sed etiam is, qui voluntarie, et absque vera necessitate ponit aliquam causam pravos motus ex se excitantem; ex. gr. quosdam aspectus, tactus, lectiones, auditiones, ex quibus pollutio soleat evenire. Hic peccaret, etiamsi invitus pollutionem pateretur, et hæc displiceret, quia in causa illam voluisset.

584. Q. Quare dixisti: *absque vera necessitate?*

℟. Quia si vera necessitate quis tangat, legat ex. gr. medendi causa, studio necessario, aut aliud faciat, ex quo aliquando pollutio eveniat, dummodo hæc procuretur impediri, si possit; aut saltem displiceat, si non possit, non erit peccaminosa: quia his casibus non tam volita in causa, quam potius ob veram necessitatem permissa reputanda est. Ita communiter Silvius cum aliis, quos citat et sequitur B. Ligorio (Lib. 3. n. 483.) Si autem hisce miseriis soleat quis assentiri, ab iis actionibus abstinere debet: quia Dei offensa, et salus animæ cuicumque necessitati est anteponenda, dicente Christo (Marc. 9. 47.) *Si oculus tuus scandalizat te, ejice eum.*

585. Q. Quid dicendum de pollutione eveniente in somno?

℟. Si quis vigilans nec directe, nec indirecte (ut supra n. 583. et 584.) ei causam dedit, et post somnum displiceat, tunc non erit peccaminosa. Erit autem peccaminosa, si data sit causa, vel post somnum libidinose placeat. Si autem in somno inchoata continuet in vigilia, tunc si patiens potest eam coercere ardenti clamore Deum, B. Virginem etc. invocando, aut alias, consultum est, ut faciat. Si autem quis non possit, secluso omni voluntatis consensu, non peccat, permittendo, seu potius patiendo, ut compleatur: dummodo nullus voluntarius, et deliberatus impulsus eidem detur. Communis ap. B. Ligorio 479.

587. Q. Quid notandum circa mollitiem?

℟. Notandum, quod qui hoc peccato se polluit, explicare debet in confessione suam conditionem; an scilicet sit persona soluta (n. 576.), an conjugata, an voto Castitatis obstricta. Et si in admittendo hoc turpi peccato concupivit aliquam personam, debet etiam hujus conditionem explicare; an scilicet sit soluta, Virgo, conjugata, aliaque cognatione conjuncta, voto Castitatis ligata: quia hoc casu mollities indueret etiam malitiam fornicationis, stupri, adulterii, incestus, sacrilegii, seu alius personæ concupitæ. Communis.

588. Q. Quid est Sodomia?

℟. Sodomia alia est perfecta, alia imperfecta. *Perfecta* est illa, quæ committitur inter personas ejusdem sexus. *Imperfecta* est illa, quæ committitur inter personas diversi sexus, sed contra naturam. Et qui hoc nefando peccato se coinquinavit, debet pariter explicare utriusque conditionem; ac si

aliquam personam tunc concupierit, etiam hujus conditionem, ut supra (n. 587.) exprimere debet. Explicandum etiam, an fuerit agens, an patiens, ac etiam exprimendum, si forte non se polluerit. Vide B. Ligorio Lib. 3. n. 466. 470. 471 472. Quam grave sit hoc peccatum, colligitur ex eo, quod Deus propter hoc *sulphur*, *et ignem pluit super Sodomam*, *et Gomorrham*, ut legitur Gen. 19. 34.

589. Q. Quæ pœnæ statutæ sunt contra Sodomitas?

℟. Lex Canonica ejicit eos e Clero, et in Monasterium detrudit, si sint Clerici; et si sint laici, excommunicatione plectit. Ita in Cap. *Clerici* de excessib. Prælat. Et S. Pius V. eos Clericos, vel Monachos, quos constet hoc nefando crimine *se frequenter labefactare* (hoc enim sonat verbum Bullæ *Exercentes*) voluit, omni privilegio Clericali, Officio, aut Beneficio privari, et tradi Potestati sæculari. Vide Lig. ib. n. 470.

590. Q. Quid est bestialitas?

℟. Est illud pessimum crimen, quod *gravissimum* appellatur a S. Thoma, et multo gravius ipsa sodomia; quia homo, qui ad Dei imaginem creatus est, non erubescit se commiscere cum objecto diversæ speciei. *Qui cum jumento*, *et pecore coierit*, Deus præcepit in Levitico (Cap. 20. v. 15.) *morte moriatur*, *pecus quoque occidite*. Et pœnam mortis, et combustionis tam hominis, quam belluæ etiam Leges civiles statuunt (a Gorit. Tab. 73.). Ecce quam scelus immane! Ad bestialitatem revocatur etiam peccatum cum dœmone succubo, vel incubo; sed huic gravissimo peccato superadditur etiam malitia contra Religionem. Etiam in his peccatis si forte pollutio

non evenerit, erit exprimendum in confessione; sicut etiam conditio personæ, quæ peccat, et personæ concupitæ, si forsan adfuerit. Vide B. Ligorio ibid. n. 474. et 475.

Caput III.

De peccatis inhonestis externis imperfectis.

591. Q. Quæ sunt peccata inhonesta externa imperfecta, seu non consummata?

℟. Sunt illa, in quibus seminis effusio non evenit, ut sunt turpes aspectus, tactus, amplexus, oscula, verba, gestus etc. quæ sub nomine generico *impudicitiæ*, seu *immunditiæ* considerari solent. Hæc extra matrimonium si fiant fine libidinoso, ob captandam delectationem carnalem cum commotione spirituum genitalium, vel cum ejus periculo, vel cum gravi scandalo, quod datur alteri, sunt peccata lethalia. Communis. Et etiam in his peccatis explicanda est conditio personæ (n. 576.) tam agentis, quam patientis hujusmodi tactus etc. Dixi: *extra matrimonium*, quia de iis, quæ licent intra limites matrimonii, non est nobis sermo.

592. Q. Quomodo probatur, prædicta, ut supra, esse peccata mortalia?

℟. Rationem affert S. Thomas (2. 2. q. 154. a. 4. ad 2.): *Minus est aspectus libidinosus, quam tactus, amplexus, vel osculum: sed aspectus libidinosus est peccatum mortale secundum illud Matthæi* (Cap. 5. 28.). Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mæchatus est eam in corde suo. *Ergo multo magis osculum libidinosum, et alia hujusmodi sunt pec-*

cata mortalia. Et qui asserebant, osculum habitum etiam ex sola delectatione carnali non esse lethale, damnati fuerunt ab Alexandro VII. n. 40. Quando autem turpes aspectus etc. non fiunt fine libidinoso, aliquando sunt lethalia, aliquando venialia, ut mox dicemus.

593. Q. Quid dicendum de aspectu turpi?

℟. Si quis non jam obiter et casu, sed serio, et deliberate pudenda alterius, præsertim sexus diversi etiam sculpta, vel picta absque vera necessitate, et multo magis coitum humanum, aut alios actus impudicos aspiciat, quia hæc omnia ex natura sua sunt nimis excitantia ad carnalem delectationem, præsertim si aspiciens sit proclivis ad venerea, generaliter loquendo non excusatur a lethali, dummodo vel ratione senilis ætatis, vel frigidæ complexionis periculum absit commotionis venereæ, vel hoc sibi constet ab experientia. Vide B. Ligorio Lib 3. 420. et 421. Et idem dic de aliis aspectibus, qui motus libidinosos causare possunt.

594. Q. Quid dicendum de tactibus, amplexibus, et osculis?

℟. Si oscula, amplexus, tactus manuum, et similia non obscæna fiant fine honesto ex. gr. urbanitatis causa, ad contestandam amicitiam etiam inter personas sexus diversi (si hujusmodi mos sit inter personas honestas illius regionis) non sunt peccata, dummodo ex his pravi motus, quibus assentiatur, non insurgant. Si autem tactus manuum, amplexus, oscula fiant cum mora, repetitis vicibus, cum ardore etc. tunc ob proximum periculum delectationis venereæ vel in viro, vel in muliere ordinarie sunt peccata mortalia, præsertim si quis in hujusmodi occasionibus expertus sit aliquem lapsum.

595. Q. Quid dicendum de tactibus inhonestis?

℟. Tactus inhonesti in proprio corpore, si fiant ex necessitate, non erunt peccata, dummodo absit periculum pollutionis, aut commotionis veneræ, aut consensus in ea, si præter intentionem improviso eveniat. Si autem quis tangeret, vel aspiceret absque necessitate, sed ex levitate, curiositate; si faciat obiter, non repetitis vicibus, secluso scandalo videntium, erit veniale, dummodo non eveniat aliquis pravus motus, quod admodum facile est, si tactus fiat studiose, et morose. Si autem tactus inhonesti fiant in corpore alieno sexus diversi, ob dictum proximum periculum, erunt peccata lethalia. Si sint ejusdem sexus, et fiant ex joco, curiositate, obiter tamen, erunt venialia, aliter mortalia. Vide B. Ligorio Lib. 3. a n. 416. ad 420.

596. Q. Quid dicendum de verbis, et gestibus turpibus?

℟. Si sint multum lasciva, ut sunt narrationes de modo hujusmodi fœditates patrandi, jactationes de rebus inhonestis admissis, *colloquia prava*, quæ juxta Apostolum (1. Cor. 15. 33.) *corrumpunt bonos mores*; quædam æquivoca, quædam verba figurata, quædam turpes gesticulationes, quæ forsan turpius feriunt; vel nominare pudenda coram personis sexus diversi præsertim adolescentulis, puellis, vel si alio modo sint gravis scandali in audientibus, generaliter loquendo sunt peccata lethalia tam in proferentibus, quam in studiose audientibus. Et idem dic de turpibus cantilenis. Aliter sunt venialia. Hinc illa turpia dicteria, quæ per jocum, et vanum solatium proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, mulionibus etc. sicut ludicre et proferuntur, et

audiuntur, excusantur a mortali, et erunt venialia, dummodo, ut dictum est, grave scandalum non adsit, præsertim in pusillis. Ligorio ibid. n. 426.

597. Q. Quid dicendum de lectionibus turpibus?

℟. Etiamsi hujusmodi lectiones factæ ex sola curiositate sine turpi delectatione, aut ejus periculo generaliter loquendo sint peccata venialia; cum autem ejusmodi lectiones sint magis periculosæ quam verba transitoria et in legentibus, et in audientibus, faciliusque excitent motus pravos præsertim in juvenibus, et in quocumque alio, qui ad veneria sit proclivis: hinc qui absque vera necessitate hujusmodi vacat lectionibus, difficiliter a mortali excusabitur. Vide B. Ligorio (ibid. n. 426.).

598. Q. Quid ex dictis inferendum?

℟. Inferendum, quod si peccant qui aspiciunt turpes imagines, libros obscænos legunt etc.; quo gravius peccant auctores hujusmodi imaginum, et librorum; illique, qui in domibus, aliisque locis publicis illos tenent? Ratione scandali (vide supra n. 159. 160. 161. 162.) etsi non intenti tot peccatis rei sunt ante Deum, de quot rei sunt et aspicientes, et legentes, et studiose audientes. Et ob eamdem rationem scandali rei sunt ante Deum qui turpiter se tangi permittunt, qui quasdam nuditates præferunt, qui dant occasionem turpiter loquendi, aut legendi, qui cum possint, et debeant hujusmodi inconvenientia impedire, hoc negligunt, etc.

599. Q. In materia luxuriæ datur ne parvitas materiæ?

℟. In peccatis externis completis (575.) di-

recte, et in se volitis non datur parvitas materiæ, ut patet ex dictis. Hinc qui fornicatur, directe (n. 583.) se polluit, et hujusmodi, semper graviter peccat. In his autem peccatis indirecte, et in causa volitis, sicut et in peccatis internis, et externis incompletis, dari potest parvitas materiæ, ita ut quandoque sint peccata venialia, aut etiam nullo modo peccata, ut patet ex dictis Lib. 1. n. 230. 232. 233. 237. 238. et toto Cap. III. Lib. II. Vide etiam B. Ligorio ibid.

CAPUT IV.

De fomentis luxuriæ.

600. Q. Quænam sunt fomenta luxuriæ?

℟. Sunt præcipue otium, crapula, lectio romaniensium, vulgo *romanzi*, comediæ, libera conversatio inter personas diversi sexus, Choreæ, et similia. *Otium* in primis, quia ut legitur Ecclesiastici (33. 29.): *multam malitiam docuit otiositas.* Et idcirco S. Hieronymus (Ep. 4.) scribebat amico: *Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum.* Et reddidit rationem, quia *omnis concupiscentiæ, et immunditiæ mater est otiositas.* Et revera Samson, David, Salomon dum occupati fuerunt in belligerando, in templi ædificatione, luxuriæ incitamenta non habuerunt. Positi in otio, in luxuriæ voraginem proruerunt. Et idcirco etiam S. Bernardus suos discipulos semper occupatos volebat.

601. Q. Quare *crapula* est fomentum libidinis?

℟. Quia *ubicumque saturitas, et ebrietas est*, scribebat S. Hieronymus ad Oceanum, *ibi libido dominatur*; et Epist. 83. *Animus mero æstuans*

cito despumat in libidinibus. Etiam Apostolus scribens ad Ephesios (5. 18.) *Nolite inebriari vino*, inquiebat, *in quo est luxuria*. Et revera usquedum Populus Israeliticus temperanter, et sobrie vixit, fuit Deo fidelis; *incrassatus*, *impinguatus*, *dilatatus dereliquit Deum factorem suum* (Deuter. 32. 15.); et cum filiabus Moab fornicatus est. Et idcirco idem S. Doctor (1. 2. in Jovin.) saturitatem panis, et vini appellat *seminarium libidinis*, et S. Laurentius Justinianus (l. de ligno vitæ) *naufragium castitatis*.

602. Q. Quomodo romanienses, et comædiæ libidinem fovent?

℟. Non loquor de illis notabiliter turpibus: hæc enim fere impossibile est, quod pravas delectationes, aut saltem ejus periculum non excitent, et proinde essent graviter peccaminosæ. Sed etiamsi non sint notabiliter turpia, cum tam romanienses, quam comædiæ agant de matrimoniis ineundis, et delineent profanos amores, amantium colloquia, artes decipiendi majores, oh! quam sunt periculosa castitati, et quot animæ, et præsertim juvenum in his perierunt. *In theatro* enim, ut inquit S. Chrysostomus (Hom. 42. in Act.) *risus*, *turpitudo* . . . . . *concupiscentiæ* --- *absurdæ præparatio*, *adulterii meditatio*, *scortationis gymnasium*. Et ipse Seneca (Epist. 7.) hanc veritatem agnovit, dicens, *nihil esse tam damnosum honestis moribus*, *quam in spectaculo residere*.

603. Q. Quid dicendum de libera conversatione inter personas diversi sexus, et de choreis?

℟. S. Bernardus (Serm. 65. in Cant.) ait: *Cum fœmina semper esse*, *et fœminam non cognoscere*, *nonne plus est*, *quam mortuum susci-*

tare? Et S. Hieronymus (Ep. ad Ocean.) loquendo de Clericis, hæc pro nostra dixit instructione: *Prima tentamenta Clericorum sunt fœminarum frequentes accessus.* Et si hæc libera conversatio est tam periculosa, quo periculosior in choreis, in quibus manus, pedes, oculi, voces sunt liberæ, et nox ipsa, quæ pudicitiæ est inimica, tot stimulos subministrat? Idcirco Spiritus Sanctus (Eccl. 9. 4.) nos monet: *Cum saltatrice ne assiduus sis . . . . . ne forte pereas in efficacia illius.* Et S. Augustinus loquendo de festorum sanctificatione inquit: *melius esse diebus festis arare, quam saltare.* Et ideo Tridentinum (Sess. 24. Cap. 12. de Ref.) vetuit Clericis, ne non solum ducerent, sed nec assisterent illicitis choreis.

De VII. et X. Decalogi Præcepto.

Non furtum facies,
Rem alienam non concupisces.

TRACTATUS VIII.

604. Q. Quid in his Præceptis præscribitur?
℟. Duo, unum præcipitur, et alterum vetatur. Præcipitur, ut justitia servetur. Vetatur, ne justitia inter homines lædatur non solum effective, sed etiam affective, seu desiderio. Justitia autem, ut hic sumitur, est virtus inclinans voluntatem ad reddendum unicuique quod suum est. Cumque superflua pauperibus debeantur juxta illud Christi (Luc. 11. 41.): *Quod superest date eleemosynam.* Hinc in hoc loco etiam eleemosynam Deus

præcipit, de qua egimus supra a num. 101. ad. 119. quæ recolantur.

605. Q. Quotuplex est Justitia?

℟. Communiter dividitur in legalem, distributivam, et commutativam. Justitia *legalis* respicit jura Legum, et pœnas. *Distributiva* respicit personarum merita quoad præmia, et honores. Sed de hac Justitia legali, et distributiva non est hic nobis sermo. Justitia autem *commutativa*, de qua hic agitur, respicit æqualitatem valoris rerum juxta hominum æstimationem, ita ut si hæc æqualitas non servetur, ad restitutionem quis tenetur, ut dicetur infra.

606. Q. De quo agitur in hoc Tractatu?

℟. Cum hæc *commutativa* Justitia ut servetur, unicuique suum jus, et dominium servari debeat; contractus sint juste faciendi; res aliena non rapienda, imo nec desideranda; et si rapta sit, vel læsa, damnum injuste illatum sit reparandum: hinc de his quatuor objectis in hoc Tractatu dissseretur. 1. de Jure, et Dominio; 2.° de Contractibus; 3. de Furto, Rapina etc.; 4. de Restitutione: quæ omnia in sequentibus Articulis videbimus.

ARTICULUS I.

De Jure, et Dominio.

Caput I.

De Jure.

607. Q. Quid, et quotuplex est Jus?

℟. Jus, ut hic sumitur, est legitima potestas disponendi de re tamquam propria juxta mo-

dos a Legibus permissos. Dividitur autem in jus ad rem, et in jus in re. *Jus ad rem*, sive *personale* est potestas, quam quis habet, ut res evadat sua. Ut qui emit equum, jus habet, ut venditor eum tradat, et ita evadat suus. *Jus in re* est illud, quod per ipsam rei traditionem acquiritur. Ut qui emit equum, et jam obtinuit, et hic, qui habet hujusmodi jus, potestatem habet rem suam repetendi, ex. gr. suum equum a quocumque, et ubicumque detineatur. Sic qui nominatus, electus est ad Beneficium Ecclesiasticum *jus* habet *ad rem*, quia potest illud petere a Collatore. Quando autem Beneficium est collatum, tunc acquiritur *jus in re*, quia jam obtinuit.

Caput II.

De notione, divisione, et subjecto dominii.

608. Q. Quid, et quotuplex est dominium?

℟. Dominium *proprietatis* (non enim loquimur de dominio *jurisdictionis*, quod Superiores in subditos habent) est jus disponendi ad libitum de re sua, nisi lex, aut pactum obstent. Est autem duplex, altum, et infimum. Dominium *altum* est illud, quod Principes supremi habent in subditorum bona, quibus in bonum regni, seu status uti possunt. Dominium *infimum* est illud, quod homines privati habent in bona sua. Et hoc dominium infimum dividitur in perfectum, et imperfectum. *Perfectum* est illud, quod quis habet ad suam rem, et fructus ejus. Tale est dominium, quod quis in sua prædia, et eorum fructus, cum ad libitum et de prædio, et de ejus fructibus possit disponere.

609. Q. Quod est dominium *imperfectum?*

℟. Dominium infimum *imperfectum* est jus disponendi vel de sola re, vel de solis ejus fructibus; et est pariter duplex, directum, et utile. Dominium *directum* est illud, quod quis habet in rem, et non in fructus; ut qui dat prædium ex. gr. in enfiteusim, habet dominium, et potest disponere de prædio, non autem de fructibus, qui ex eo colliguntur. Dominium autem *utile* est illud, quod quis habet in fructus, et non in rem: ut emphyteuta, qui de fructibus prædii disponere potest, non vero de prædio ipso. Communis.

610. Q. Quod est subjectum, seu quis potest esse capax dominii?

℟. Dominii *alti* sunt capaces solum Principes supremi, qui ad publica ædificia construenda, vias publicas reparandas, vel conficiendas, ad vim contra hostes opponendam, et etiam ad conservandam propriam dignitatem, et Ministrorum decentiam, et ob alios justos fines, etiam invitis subditis, possunt de eorum bonis disponere, tributa, et vectigalia imponere, ad quæ solvenda subditi teneantur, ut solvit idem Christus (Mat. 17. 24.) jubendo illa solvere his verbis: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*; et clarius Apostolus (Rom. 13. 7.): *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.*

611. Q. Quod est subjectum, seu quis potest esse capax dominii *infimi?*

℟. Omnis homo, qui rationis sit capax: etiamsi in actu vel nullimode, vel in parte tantum dominium exercere valeat. Sic pupilli, amentes, furiosi, etsi habeant dominium rerum, a servis non differunt; et ex se de rebus propriis absque

tutoris, et curatoris consensu nullimode disponere queunt, nec administrare. Sic etiam filii familias, uxores, clerici, religiosi, etiamsi dominium habeant alicujus rei, non in toto semper, sed in parte tantum disponere possunt, et administrare.

612. Q. De quibus bonis filius familias disponere potest?

℟. Quadruplicis generis sunt bona, quæ ad filios familias spectare possunt: castrensia, quasi castrensia, profectitia, et adventitia. Bona *castrensia* sunt illa, quæ quocumque titulo filius acquirit tamquam miles in castris, in militia, seu occasione militiæ, vel in servitio alicujus Regis. Et horum bonorum filius habet perfectum dominium tam in proprietate, et administratione, quam in fructibus. Ita communiter ex L. *Castrense* 11. ff. de *Castren. pecul.* Bona *quasi castrensia* sunt ea, quæ filius acquirit ex artium liberalium exercitio, ut Medici, Advocati, Judicis, Cancellarii, Notarii, Architecti, et similium, sicut et ea, quæ filius Clericus ex Beneficio, seu Officio Ecclesiastico acquirit. Et hæc bona dicuntur *quasi castrensia*, quia ad instar bonorum *castrensium* filius dominium perfectum habet, et ad sui libitum de eis disponere potest. Communis. ex L. *Cum multa* 7. etc.

613. Q. Quid dicendum de bonis *profectitiis?*

℟. Bona *profectitia* sunt ea, quæ filius acquirit vel negotiando, vel administrando bona patris; aut filio non emancipato intuitu patris, idest ut filio talis patris donantur (L. 6. *Cod. de bon. quæ liber.*). Et horum bonorum dominium perfectum spectat ad patrem (§. *Sancitum* Instit. *Per quas personas*); ita ut absque patris licen-

tia nec de proprietate, nec de fructibus potest filius disponere. Solum posset illud stipendium exigere a patre, quod daret factori, ministro, aut alii, qui negotiaretur, vel administraret bona patris, præsertim si filius extra paternam domum habitaret. Ita Lugo (D. 5. n. 42.). Dixi: *intuita patris*: quia si nullo respectu ad patrem aliquid sit filio donatum, hoc erit adventitium.

614. Q. Quid dicendum de bonis *adventitiis?*

℟. Bona *adventitia* sunt ea, quæ filius acquirit non jam negotiando vel administrando bona paterna, vel patris intuitu; sed acquirit arte mechanica, industria, casu, inventione ex. gr. thesauri; vel ex legato, donatione; vel jure hæreditario a matre, hujusque consanguineis. Et horum bonorum dominium *directum* pertinet ad filium, nec pater potest de eis disponere absque peccato, et onere restitutionis, nisi, ut cautum est in Codice Civili anni 1819, pro hoc regno Neapolitano n. 292., urgenti causa a Tribunali Civili adprobata. Dominium autem *utile*, seu fructus illorum bonorum sicut et administratio spectant ad patrem usque dum vivit; et hoc mortuo, tam dominium *directum*, quam *utile* filio competit (L. *Cum oportet* 6. Cod. *de bonis* etc.) nisi aliter jura municipalia disponant, ut cit. Cod. n. 298. etc.

615. Q. Datur ne aliqua exceptio ad dicta?

℟. Maxime. Si enim filio non solum proprietas, ex. gr. prædium, sed etiam ejus fructus donarentur; si patre contradicente, aliquid filio donaretur; si filius una cum patre in hæreditatem fratris, vel sororis succederet (ex Authent. *Item hæreditas*); si filius, ut ait Lugo (D. 5. n. 39.), accipit dotem, patre non se obligante, his casi-

bus non solum dominium directum, seu proprietas, sed etiam *utile* seu fructus filio competerent. Et idem dic, si bona, quæ filio non patris intuitu adveniunt, sint usu consumptibilia, ut fruges, vinum, pecunia etc. Et si pater vellet de eis disponere, juxta Lugonem (ibid. n. 35.), deberet tantundem filio reddere. Vide B. Ligorio (Libro III. n. 488.).

616. Q. De quibus bonis possunt disponere uxores?

℟. Bona uxorum sunt vel dotalia, vel extradotalia, quæ dicuntur etiam parafernalia, et alia communia. Bona *dotalia* sunt ea, quæ ab uxore afferuntur marito ad matrimonii onera sustinenda; et horum etiamsi dominium directum spectet ad uxorem; et possit ea repetere post mortem mariti, et etiam ante omnes mariti creditores (L. *In rebus* 30. et 50. et L. *Assiduis* 12.): dominium autem utile, seu fructus, sicut et administratio ad maritum attinet, durante matrimonio (L. 7. ff. *de jure dot.*).

617. Q. Quid dicendum de bonis *extradotalibus*, et *communibus*?

℟. De bonis *extradotalibus*, seu *paraphernalibus*, idest de illis, quæ uxor præter dotem sibi fert; vel post matrimonium quocumque titulo sive donationis, sive legati etc. ei adveniunt, de his omnibus dominium directum, et utile, sicut et administratio spectat ad ipsam uxorem, sine cujus consensu maritus disponere nequit. (L. *Hac lege* 8.). At si uxor horum bonorum administrationem marito committat, etiam pro his tacitam hypothecam habet in bonis ipsius mariti, ut colligitur ex L. finali C. *de pactis conventis*. Et si maritus absque uxoris consensu hujusmodi

bona paraphernalia consumeret, ac dilapidaret in commessationibus, aliisque vitiis, ad restitutionem teneretur, juxta L. *Quidquid tutores*. Bona *communia* sunt illa, quæ durante matrimonio, vel labore, vel industria conjuges lucrantur. Et horum proprietas licet spectet ad utrumque conjugem, administratio tamen spectat ad maritum. La Croix (Lib. 3. Par. 1. n. 1020.).

618. Q. Quid uxores in bona possunt mariti ?

℟. In primis possunt quidquid maritus eis concesserit, vel facile concederet, si rogaretur. Præterea uxor ex bonis mariti potest facere remuneratorias donationes, et eleemosynas secundum proprium statum præsertim parentibus, ceterisque propinquis egenis. Potest accipere quidquid sit necessarium ob sui, familiæque victum, vestitum, medicinalia, et alia, ad quæ teneretur maritus, præsertim si hic ob avaritiam, vel ignorantiam id negligeret, vel bona communia consumaret in commessationibus, et aliis vitiis : quia in his maritus non deberet esse rationabiliter contrarius. Et si maritus sit absens, ægrotus, aut aliter impeditus, uxor, marito consentiente, bona mariti administraret; posset etiam facere illas eleemosynas, donationes, ceterasque expensas, quas maritus solebat. Sic communiter Doctores. De bonis Clericorum, et Religiosorum Lib. 3. loquemur.

Caput III.

De aliis speciebus Juris.

619. Q. Sunt ne aliæ species Juris ?

℟. Maxime, et sunt Usus, Ususfructus, Habitatio, Superficies, et servitus, quæ ad dominium

utile referuntur. *Usus* est jus re aliena utendi in usum proprium, salva semper substantia, seu proprietate, quæ spectat ad dominium directum: ut ille, cui vel testamento, vel alio contractu, aut etiam oretenus conceditur usus habitandi domum, colligendi poma, utendi equo etc. Ille pro se tantum, et pro illis, quibus conceditur, illa re uti potest, nec aliis locare, commodare, donare etc. Ita in L. *Plenum* ff. *de usu* statuitur pro usuario, seu pro illo, cui usus conceditur.

620. Q. Quid est *ususfructus?*

℟. Est jus alienis rebus seu fructibus non solum utendi, sed etiam illos donandi, locandi etc., salva semper substantia, seu proprietate pro domino. Hinc qui habet usumfructum ex. gr. prædii, domus, ovium, potest de eorum fructibus, et fœtibus ad libitum disponere, salva semper proprietate, numero matrum etc. (Instit. Lib. 2. tit. 5.) tam pro se, quam pro aliis. Duplex autem est *ususfructus*, *Legalis*, et est ille, quem Lex statuit, ut pro bonis adventitiis filii familias non emancipati, quorum ususfructus, seu fructatus (n. 614.) ad patrem pertinet; ususfructus bonorum dotalium, qui ad maritum (n. 616.) spectat. *Conventionalis*, et est ille, qui ex voluntate hominum procedit, ex. gr. vi testamenti, donationis, venditionis etc. Terminat autem ususfructus morte usufructuarii, nisi aliter sit conventum.

621. Q. Quid est Habitatio, Superficies, et Servitus?

℟. Habitatio est jus habitandi in aliena domo, salva semper proprietate, cum potestate aliis locandi, ad differentiam usus, qui hanc locationem non admittit. Et etiam hoc jus terminat morte, nisi aliter sit conventum (Instit. Lib. 2. tit. 5.

n. 5.). *Superficies* est jus, quo quis in prædio alieno potest fabricare; sed dominium prædii semper penes dominum remanet, ita ut cadente fabrica terminat jus *Superficiei*. *Servitus* autem vel est activa, vel passiva. *Activa* est illa, quam quis acquirit in rem, vel personam alienam; ut qui acquirit jus transeundi per prædium alienum, jus ut aliquis sibi serviat, et similia. Servitus *passiva* est illius, qui alii dat commodum, ex. gr. prædii, servitii etc.

Caput IV.

De variis modis acquirendi dominium.

622. Q. Quot modis rerum dominium acquiritur?

℟. Tribus modis, jure gentium seu naturali, jure canonico vel civili, et privata hominum voluntate per contractus. Quomodo acquiratur hominum voluntate, disseremus in Articulo sequenti, ubi de contractibus. Quomodo acquiratur jure gentium, et jure canonico, vel civili videbimus in Paragraphis sequentibus.

Paragraphus I.

De acquisitione dominii jure gentium.

623. Q. Quomodo jure gentium acquiritur dominium?

℟. Multimode, occupatione, nativitate, alluvione, specificatione, accessione, confusione, commixtione, ædificatione, plantatione, et traditione.

624. Q. Quæ res *occupatione* acquiritur?

℟. Primo illæ res, quæ sub nullius dominio existere judicantur, ut feræ, lepores, apri, aves, pisces, aliaque animalia, quæ dominum non habent, et hæc sunt primi occupantis: non autem oves, equi, gallinæ, columbæ, aliaque animalia, quæ dominum habent, quæ semper ad dominum spectant, etiamsi longius evaserint, etiam pro casu, quo ab alio liberata essent a morte, ab incendio, naufragio, a feris, a direptione furis etc. Ita pariter lapilli, gemmæ, et cetera hujusmodi, quæ inveniuntur in ripis maris, fluminum, lacuum, quæ sicut dominum non habent, pariter sunt primi occupantis. Apes autem licet habeant dominum, si e cospectu domini non in sequentis dispareant, cum difficiliter possint recuperari, sunt pariter primi occupantis.

625. Q. Quid dicendum de thesauris?

℟. Thesauri, sive illæ pecuniæ, aliæve res pretiosæ, quæ absconditæ reperiuntur, quin domini memoria extet (nam si dominus sciatur, ad hunc pertinerent), jure gentium essent primi occupantis. Sed juxta Leges civiles, quæ obligant in conscientia, si thesaurus reperiatur in proprio fundo, totus inventori acquiritur. Si reperiatur arte magica, totus ad fiscum pertinet post sententiam judicis. Si fortuito in fundo alieno, dimidium inventori, et dimidium domino fundi directo (n. 609.) cedit. Si data opera in fundo alieno absque domini consensu, totus fundi domino acquiritur, pariter post sententiam judicis. Si in viis, aliisque locis publicis, [illegible] [illegible], dividendus inter inventorem, et fiscum; et si in loco sacro, inter inventorem, et Prælatum.

626. Q. Quare dixisti *jure gentium*?

℟. Quia ita statuunt Leges civiles ob bonum com-

mune. Sed in unoquoque regno Leges municipales, et etiam consuetudines sunt servandæ. Jura hujus regni Neapolitani circa thesauros hæc disponunt. Si thesaurus inveniatur in loco publico, et arte non propria, totus fisco applicatur. Si in loco privato casualiter, tertia pars ad fiscum, tertia pars ad inventorem, tertia pars ad fundi dominum. Vide Leges ap. B. Ligorio Lib. 3. n. 602. et ap. Cuniliati Tract. 9. Cap. 2. §. 6. et 8. Videatur etiam Codex Civilis Regni sub numeris 523. 636. et 1686.

627. Q. Quid dicendum de inventore rei deperditæ?

℟. Si dominus sciatur, illi restituenda. Aliter: *Si invenisti*, ut ait S. Augustinus (Lib. 50. Hom. 9.), *et non reddidisti*, *rapuisti*. Et hæc restitutio facienda est sub gravi, si materia sit gravis, deductis expensis et laboribus, si qui sunt facti, ob illam reperiendam, et domino remittendam. Si post factam debitam diligentiam dominus non inveniatur, etiamsi adsint diversæ sententiæ, sententia autem verior, et tenenda, ut ait B. Ligorio (supra n. 603.) distinguit. Si possibile sit, dominum inveniri, ad eumque rem pervenire, tunc res, aut ejus pretium domino ut supra, servari debet. Si facta debita diligentia, dominus non reperiatur, tunc illa res æquo tempore transacto, vel danda pauperibus, ut præscribitur in Catechismo Romano (De 7. præc. Decal. Cap. 8. n. 9.), vel in alios usus pios eroganda. Hæc enim præsumitur esse voluntas domini, quod si rem deperditam (super qua adhuc dominium retinet) ipse habere non possit, prò anima sua in pios usus erogetur.

628. Q. Quid dicendum, si possibile non sit, rem illam ad dominum pervenire?

℟. Si spectatis circumstantiis, sit moraliter impossibile, rem, aut ejus pretium ad dominum pervenire vel ob longitudinem temporis, vel ob distantiam loci, vel quia res sua a domino recognosci non possit, ut accidit in nummis ordinariis, et similibus, tunc illa res cum ad dominum amplius redire non possit, perdit hic dominium super illa; et tamquam derelicta nullius erit, ut accidit in thesauris; et proinde erit primi occupantis, seu inventoris. Sic colligitur ex S. Thoma, qui (2. 2. q. 66. a. 5. ad 2.) ait: *Et similiter si (res) pro derelictis habeantur, et hoc credit inventor, licet sibi eas retineat, non committit furtum.*

629. Q. Quomodo dominium acquiritur *nativitate*, et *alluvione?*

℟. *Nativitate* acquiritur dominium super fœtibus, qui nascuntur a propriis animalibus, etiamsi super illis animalibus habeat quis tantummodo usumfructum, ut supra (n. 620.) dictum est. *Alluvione* autem acquiritur dominium si augmentum fundi factum sit latenter, paulatim, et insensibiliter per *alluvionem*, ita ut vix nosci possit; et est ejus, cui adjungitur. Si autem augmentum sit patens, et facile nosci possit, remanet illi, cujus prius erat. Sic in §. *Præterea quod per alluvion.* Instit. de *rerum* divis. et in Codice hujus Regni 481. etc.

630. Q. Quomodo acquiritur dominium per *specificationem*, et *accessionem?*

℟. Acquiritur *specificatione*, quando res aliena ita mutatur, ut ad pristinum statum amplius reduci non possit; ut qui ex lana aliena facit pannum, evadit dominus panni, solvendo pretium domino lanæ; et si injuste lanam abstulit, etiam

damna compensando. §. *Cum ex alieno* (eod. loc.). In hoc Regno (Codic. Civ. n. 495. etc.) potest dominus rei repetere rem, solvendo facturam: dummodo factura valorem rei multum non superet. Per *accessionem* autem dominium acquiritur, quando in re aliena proprio genio fit aliquod ornamentum; etiamsi pretiosum, quod auferri non possit. Ut si quis parietibus domus alienæ picturam efficiat, hæc cedit domino domus, qui ad nullam tenebitur compensationem. §. *Si tamen* (eod. loc.). Et idem dic de iis, quæ fiunt in fundo alieno, quæ amplius separari non possunt.

631. Q. Quomodo acquiritur dominium per *confusionem*, et *commixtionem*?

℟. *Confusio* datur, quando duo corpora liquida, ex. gr. vinum cum vino, plumbum cum alio liquefacto ita miscentur, ut amplius separari non possint. *Commixtio* datur, quando duo corpora solida, ex. gr. triticum cum tritico, nummi cum nummis ita miscentur, ut amplius discerni non possint. Si hæc *confusio*, et *commixtio* fiat dominorum consensu, pro quantitate utriusque fiet divisio. Si vero alio nesciente, aut etiam invito, fiat; tunc dominium acquiritur ab eo, qui confusionem, vel commixtionem fecit cum onere pretium solvendi rei alienæ, ex §. *Si duorum* 27. Vide etiam B. Ligorio Lib. 3. n. 499.

632. Q. Quomodo per *ædificationem* acquiritur?

℟. Duplex fieri potest *ædificatio*, vel in fundo suo cum materia aliena; et tunc ex §. *cum in suo* (eod. Instit.) omne cedit fundo sed cum onere reddendi duplum pretii illius materiæ, posito quod in fraudem illa materia sit ablata. Vel

quis cum materia sua scienter ædificat in fundo alieno, et ex §. 30. ædificium cedit fundo, et perdit dominium materiæ, et stricto jure nihil posset repetere (Leg. 33. ff. de *conditione indebiti*): ex æquitate tamen reddendum esset pretium materiæ, et expensarum (Leg. 38. ff. de *Petit. hæred.*). Et in L. 2. (Cod. *de rei vindic.*) statuitur, si ædificium dissolvatur, materiam ad pristinum patronum redire. Pro hoc Regno vide Cod. Civ. n. 479. 480. etc.

633. Q. Quomodo per *plantationem*, et *traditionem* dominium acquiritur?

℟. In eodem Instit. *de rerum divis.* §. 37. statuitur, plantam fundo cedere, sive quis alienam plantam in fundo suo ponat, sive plantam suam in alieno fundo quis immittat; et si ponatur prope confinis fundi alterius, in quem radices extenderit, plantam esse communem. Idem (§. 32.) statuitur pro frumento, quod quis in fundo alieno seminat, quod pariter cedit fundo. Et si mala fide seminaverit, putat Haun. (n. 145.) in pœnam nec expensas repetere posse. Per *traditionem* autem acquiritur dominium, quando quis potens donare, donet rem propriam cum animo transferendi dominium in illum cui donat. Sic eod. Instit. §. *Per traditionem*.

Paragraphus II.

De acquisitione dominii Jure Canonico, et Civili.

634. Q. Quomodo Jure Canonico, et Civili dominium acquiritur?

℟. Acquiritur per illam, quæ a Juristis dicitur

Præscriptio, seu *Usucapio*, quæ definitur: Acquisitio dominii, et juris alieni per possessionem continuatam tempore a Legibus præscripto. Ita ut res, vel jus, quod olim fuit unius, per præscriptionem, si debitæ adsint conditiones, transfertur in alium, et non solum in foro fori, seu coram hominibus, sed etiam in foro conscientiæ, et coram Deo. Ita statuit Jus civile (ex L. 1. et seq. ff. de *usurpation. et Usucapio.*) approbatum a Jure Canonico (L. 2. Decret. tit. 26. de *Præscriptionibus* etc.). Et hæc acquisitio dominii, et juris alieni firma remanet, etiamsi post præscriptionem sciatur, rem, aut jus ad alium spectasse. Sic S. Thomas (Quodlib. 12. art. 24.).

635. Q. Quomodo per præscriptionem potest licite retineri quod scitur esse alienum?

℟. Princeps supremus ob altum dominium, quod in bona temporalia subditorum habet, justa interveniente causa, de eorum bonis disponere potest, et de uno in alterum transferre dominium, etiamsi per accidens innocens re sua expolietur. Et, ne dominia rerum sint semper incerta (L. 1. ff. *de usucap.*; et ut conscientiæ eorum, qui diu possederunt, consulatur (L. *Cum notissimi*); et ut jurgia evitentur (L. ultim. ff. *Pro suo*); et etiam ut unusquisque in re sua conservanda sit diligens (L. *Ut perfectus*, et Cap. *Vigilanti* de Præscript.), Leges tam Civiles, quam Canonicæ (n. præc.) pro bono communi statuerunt, ut per præscriptionem cum debitis conditionibus factam de uno ad alium possit rerum, et jurium transferri dominium.

636. Q. Quænam conditiones ad præscriptionem faciendam requiruntur?

℟. Quatuor, 1.ª Ut res illa possit præscribi,

2.° Possessio tempore præscripto continuata, 3.° Titulus justus, 4.° Bona fides, quarum una si deficiat, vera præscriptio non datur. Requiritur 1.° ut *res* aut *jus possit præscribi*. Multa enim sunt, quæ præscribi non possunt, ita ut, nisi post longissimum tempus, ut dicetur infra nemo de iis jactitare possit dominium, ut sunt 1.° Viæ publicæ, pontes, plateæ, et similia loca publica. 2.° Ea, quæ Principi ut Principi debentur, ut essent tributa, vectigalia, jus judicandi, et similia. Dixi: *Principi ut Principi*: quia bona, quæ Principi ut *privato* competunt, sicut alia privatorum bona possunt præscribi.

637. Q. Quid aliud nequit præscribi?

℟. 3.° Nequeunt præscribi res immobiles ad Deum, ejusque cultum spectantes, ut sunt Templa, Cœmeteria, aliæque res immobiles, sicut et jura spiritualia, jus conferendi Beneficia etc. Dixi: *immobiles*: circa enim mobilia, quæ cum debitis conditionibus possunt alienari, ut Calices, Paramenta etc. possunt etiam præscribi. 4.° Jura decimarum, Primitiarum, et aliarum hujusmodi. Dixi: *Jura*: nam contra quantitatem decimarum, Primitiarum, vel modum eas exigendi potest pariter præscribi. 5.° Obedientia, et jus visitandi, quod competit Episcopis. 6.° Confinia Provinciarum, Diœcesum, Parochiarum. 7.° Res furtivæ, vel vi possessæ, quæ numquam præscribuntur, non solum a fure, sed nec a successoribus etiamsi bonæ fidei. Vide Ferraris V. *Præscriptio* art. 1. §. 1. Alia, quæ præscribi nequeunt, vide apud Juristas; et considerentur etiam jura municipalia.

638. Q. Quænam est secunda conditio ad præscriptionem requisita?

℟. Est *possessio tempore præscripto continuata*. Dicitur *possessio* : quia res aliena præscribenda sive sit corporea, ut domus, agri, mobilia; sive sit incorporea, ut census, jura, ususfructus, servitus etc. debet possideri, et teneri ut propria : *Sine possessione* enim, ut legitur in regula 3. Juris n. 6. *præscriptio non procedit*. Dicitur *continuata*, quia si possessio interrumpatur vel naturaliter, inundatione ex. gr. fluminis, lacus, maris; vel civiliter, scilicet per introductionem litis, possessio præterita ad præscriptionem nihil prodest. Dicitur *tempore præscripto*, quia si ante tempus ad præscriptionem præfinitum noscat quis, rem non esse suam, non præscribit, et debet eam restituere.

639. Q. Quale tempus requiritur ad præscribendum?

℟. Tempus ad præscribendum requisitum aliud dicitur *breve*, quod est infra decem annos. Aliud *longum*, quod est infra triginta annos. Aliud *longissimum*, quod est saltem triginta annorum. Aliud *immemorabile*, cujus nescitur initium. His positis, dico : Pro rebus mobilibus, quæ scilicet a loco moveri possunt, ut sunt animalia, pecuniæ, vestes etc. earumque debita, etiamsi res illæ sint Ecclesiasticæ (ex Auth. *Quas actiones*), ad præscribendum requiritur possessio saltem trium annorum (2. Instit. *de Usuc.*), et etiam inter absentes : quia textus nullam facit distinctionem. Cum vero res mobiles debentur Fisco, requiritur possessio quatuor annorum (L. 1.).

639. Q. Quid statuitur pro rebus immobilibus?

℟. Pro rebus immobilibus etc. idest, quæ loco amoveri non possunt, ut agri, silvæ, domus etc. vel quæ in solo jure consistunt; vel adest ti-

tulus (n. 641.), et tunc inter præsentes requiritur possessio decem annorum; inter absentes, idest, qui extra provinciam degunt, viginti annorum (C. de *longo tempore præscript.*). Quod si aliquando quis fuerit præsens, et aliquando absens, pro tempore absentiæ duo anni computantur pro uno. Si autem non adest titulus, pro rebus privatorum requiritur possessio triginta annorum (L. 8. C. *De Præscript.* 30 *annor.*); pro rebus Ecclesiasticis possessio quadraginta annorum (ex Auth. *Quas actiones*). Imo si bona illa sint Ecclesiæ Romanæ, vel Regalia, requiritur possessio centum annorum (Cap. *Ad audientiam*). Et hic nota, non esse necessarium, ut possessio dictorum annorum continuetur ab eadem persona, sed potest continuari etiam ab hæredibus, et successoribus. Qui gaudent privilegiis quoad præscriptiones, videantur apud Juristas, et concessionarios.

640. Q. Quid est Titulus ad præscribendum requisitus?

℟. Titulus, quem tertio loco ad præscribendum necessarium diximus; est causa, quæ ex se est apta ad transferendum dominium; ut est illud, quod quis possidet ex hæreditate, legato, donatione, emptione etc. Hic autem titulus quadruplex est, verus, coloratus, existimatus, et præsumptus. Titulus *verus* est ille, qui reapse existit. Ut si res, quam quis possidet, sit reapse, et valide empta, donata etc. Sed hic *verus* titulus ad præscriptionem non est necessarius: nam quod reapse valide quis emit etc. jam ab initio suum est, nec ad possidendum præscriptione eget.

641. Q. Quisnam est titulus *coloratus* etc.?

℟. Titulus *coloratus* est ille, qui communiter creditur esse validus, sed ob latentem defectum

invalidus est. Ut qui emit ab eo, qui credebatur esse dominus rei, et tamen reapse non erat. Titulus *existimatus* est ille, qui reapse non existit, sed communiter creditur adesse. Ut qui prudenter credit, gemmam sibi allatam ab amico fuisse emptam, sed fuit mercatori subrepta. Titulus *præsumptus* denique est ille, qui prudenter præsumitur adesse, sed non adest. Ut qui longissimo tempore, et multo magis si a tempore immemorabili rem bona fide possideat, prudenter præsumere potest, quod adfuit titulus, qui longo temporis decursu sit amissus. Et idcirco supra (n. 639.) diximus, absque titulo res privatorum præscribi per triginta annos, et res Ecclesiæ quadraginta, et centum annos. Quicumque ex his titulis sufficit ad præscriptionem.

642. Q. Quænam est quarta conditio ad præscribendum necessaria?

℟. Est *bona fides*; et dicitur illa, qua quis prudenter existimat, rem, quam incipit, et prosequitur possidere, esse suam, vel saltem non esse alienam. Sic statuitur in L. *Bonæ fidei* 109. *Bonæ fidei esse videtur emptor, qui ignoravit, eam rem esse alienam.* Econtra mala fides est illa, qua quis vel scit, vel credit, rem, quam possidet esse alienam, vel saltem non esse suam. Communis. Hæc bona fides est tam necessaria, ut etiamsi adsint aliæ tres conditiones, si hæc desit tam in initio possessionis, quam in progressu, non detur præscriptio. Ita Cap. *Quoniam* 20. *de Præscript. Nulla valet absque bona fide præscriptio tam canonica, quam civilis. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat notitiam alienæ.*

643. Q. Quid infertur ex dictis?

2. Infertur, quod si quis emat ex. gr. equum furtivum, nihil suspicans et in actu emptionis, ac posterius esse furtivum; transactis tribus annis post emptionem (n. 638.) præscribit, et etiamsi post dictum tempus compareat dominus, non tenetur restituere (n. 634.). Econtra si intra tres annos rescivisset, equum esse furtivum, non præscriberet, et teneretur restituere. Et cum *possessor malæ fidei*, ut legitur in Cap. *Possessor* (2. de Reg. Jur. in 6.) *ullo tempore non præscribat*, sequitur, simoniacos, fures, usurarios, aliosque injustos detentores, etiamsi per longissimum, et etiam per immemorabile tempus res male acquisitas, possedissent; ad restitutionem teneri, et non solum ipsos, sed etiam immediatos hæredes; qui cum Juris fictione censeantur una, eademque persona cum proximo defuncto (Authent. de Jurejur. a mor. præst.), censentur habere eamdem malam fidem. Successores autem primorum hæredum, si sint in bona fide, possunt præscribere. Ita Doctores communiter.

644. Q. Dubitans, an res sit sua, potest ne præscribere, seu usucapere?

℞. Si quis cum dubio incipiat rem possidere, ex. gr. equum, quem dubitat esse furtivum, non censetur habere bonam fidem, ideoque stante illo dubio nequit præscriptionem inchoare, quia periculo se exponeret ejus dominum spoliandi (Cap. *Ad aures* 6. de *Præscription.*). Si autem dubium superveniat post possessionem bona fide inceptam, debet diligenter investigare, an res sit aliena, ex. gr. equus furtivus, ut restituatur: Si autem post diligentem investigationem non comperiat, rem esse alinam, ex. gr. equum furti-

vum, tunc juxta probabiliorem et communiorem contra alios potest continuare possessionem, et præscribere: quia ut habetur in Cap. *Si virgo* (5. caus. 34. q. 1.) *tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu ignoret, se possidere alienum.* V. Lig. Lib. 3. n. 504.

645. Q. Dominus rei potest ne repetere rem suam ab alio præscriptam?

℟. Generaliter loquendo non potest. Hæc autem repetitio conceditur illis personis, quibus a Jure conceditur *Restitutio in integrum*, ut sunt minorennes ante annum 25. completum, Ecclesiæ, aliaque loca pia, conjuges quoad bona dotalia, et etiam majoribus 25. annorum, si tempore præscriptionis abfuerunt causa vel studii, vel publicæ expeditionis, vel probaverint, rem suam ab aliis occupatam. Hi omnes si intra quatuor annos post factam præscriptionem, et minorennes usque ad annum 29. completum reclamaverint, possunt a Judice in re propria reintegrari. Vide Jura apud Ferraris V. *Restitutio in integrum.*

ARTICULUS II.

De Contractibus.

PARS I.

De Contractibus in genere.

646. Q. Quid, et quotuplex est Contractus?

℟. Contractus est conventio duorum aut plurium in alterutro saltem obligationem pariens. Dividitur præcipue in perfectum, imperfectum;

explicitum, implicitum; nominatum, innominatum; nudum, et vestitum. Contractus *perfectus*, seu *onerosus*, vel *synallagmaticus*, est ille, qui in unoquoque contrahentium obligationem parit; ut contingit in contractu venditionis, et emptionis, in quo utrinque aliquid datur, et solvitur. Contratus *imperfectus*, seu *gratuitus* est ille, qui in alterutro tantum parit obligationem, ut accidit in donatione, et promissione liberali, in qua aliquid accipitur, et nihil rependitur: et hic contractus dicitur etiam *pactum*.

647. Q. Quinam est contractus explicitus, et implicitus?

℟. Contractus *explicitus*, seu *formalis*, et *expressus* est ille; in quo duo, vel plures in eadem re conveniunt cum mutua, aut saltem unius ad alterum obligatione: ut cum duo, vel plures in societate efformanda conveniunt, exprimendo uniuscujusque obligationem. Contractus *implicitus*, seu *virtualis*, et *interpretativus* est ille, qui fit tacita partium conventione: ut cum quis assumitur in officium judicis, magistri, medici, tutoris etc., etiamsi explicite de mutua obligatione non conveniatur, virtualiter tamen illi obligantur suum officium bene exercere, et alia pars retribuere quod lege, vel consuetudine sancitum est.

648. Q. Quinam est contractus nominatus, et innominatus etc.?

℟. Contractus *nominatus* est ille, qui in Jure proprium, et specificum habet nomen; ut venditio, emptio, locatio, donatio, etc. Contractus *innominatus* est ille, qui proprium non habet nomen, sed habet nomen genericum contractus, seu pactionis; et quatuor sunt ejus species, 1. *do, ut des*; 2. *do, ut facias*; 3. *facio, ut des*; 4.

facio, ut facias. Ut qui dat decem ducata, ut prædium suum excolatur etc. Contractus *nudus* consistit in sola conventione, qui in foro judiciali non prodest; obligat tamen in conscientia; ut plerumque sunt supradicti contractus innominati. Contractus *vestitus* est ille, qui fulcitur aliquo firmamento, quod etiam in foro judiciali prosit; ut sunt scripturæ, testes, vi quorum partes obligari possunt in judicio.

649. Q. Quot sunt species Contractuum?

℟. Sunt multæ: Venditio, Emptio, Commodatum, Precarium, Depositum, Mutuum, Usura, Societas, Cambium, Census, Locatio, Conductio, Emphyteusis, Fidejussio, Assecuratio, Pignus, Hypotheca, Ludus, Sponsio, Promissio, et Donatio, cui adnectuntur Testamentum, Codicillus, et Legatum; et de his omnibus agetur infra in sequentibus Capitibus. Antequam autem de his in specie Contractibus agamus videndum prius, quænam conditiones ad Contractus in genere requirantur.

Caput Unicum.

De Conditionibus ad validitatem Contractuum requisitis.

650. Q. Quænam conditiones ad Contractus validitatem requiruntur?

℟. Sex. 1.ª Ut res, quæ sub contractu cadit, sit res, cujus quis dominium directum (n. 609.), et administrationem habeat. Hinc res aliena non potest vendi, mutuo dari, donari, et multo minus res sacræ, et bona Ecclesiastica absque debitis permissis juxta Extrav. *Ambitiosæ* Pauli II. 2.ª Ut qui contrahunt habiles sint ad contrahen-

dum super re, de qua, ut supra, habeant dominium, et administrationem, nec a jure sint prohibiti. Hinc filii familias non emancipati, absque consensu paterno non possunt disponere de bonis profectitiis, et adventitiis, ut supra (n. 613. 614.); pupilli, exceptis aliquibus casibus, non possunt absque consensu tutoris; minorennes, idest infra annos 25 absque consensu curatoris, si habeant; dummodo contractus non sit ad eorum favorem (Instit. *De Aucton. Tutor. et inutil. stipulat.*); non habentes usum rationis, ut ebrii, fatui, furiosi (§. 8. Instit.) etc. qui tamen omnes accipere possunt donationes, legata; quia ad hæc eorum consensus supponitur.

651. Q. Quænam est tertia conditio?

℟. Est internus consensus contrahentium cum intentione saltem implicita se obligandi (ex L. 1. §. *Conventiones*, ff. *de pactis*) signo externo manifestatus, ex. gr. nutu quoad surdos, et mutos, verbis, scripturis authenticis, traditione rei juxta contractuum diversitatem etc. Hinc qui absque intentione contrahendi, et se obligandi contraheret, non teneretur stare contractui; dummodo contractus non sit onerosus, idest quod unus contrahentium partem suam jam impleverit: hoc enim casu etiam ficte promittens in pœnam suæ fictionis teneretur. Unde qui pretium rei venditæ jam accepit, debet illam tradere, etiamsi animum vendendi non haberet. Et sic de similibus. Qui autem ficte promisit, debet tollere deceptionem, vere consentiendo (et posset etiam obligari, exceptis quibusdam casibus), et compensare damna, si quæ alter contrahens fuit passus.

652. Q. Quænam est quarta conditio contractuum?

℟. Est, ut contractus fiant cum cognitione rei,

de qua contrahitur : ita ut si quis se decipiat, aut decipiatur ab altero circa substantiam rei contractæ (ex Reg. 116. §. 2. de Reg. jur.) contractus sit nullus, et in hoc Regno potest rescindi (Cod. Civ. n. 1071. et 1158.). Hinc qui contrahit vendere petram falsam, et dat gemmam, non intendit alienare gemmam. Sic qui contrahit emere pomum aureum, et ei traditur deauratum. Dixi : *circa substantiam rei* : quia si error, aut dolus eveniat circa qualitatem, ex. gr. si quis emat pannum Neapolitanum, putans esse Segoviæ, contractus est validus (L. *Aliter* 10.) dummodo tamen pannum Segoviæ ille non petiisset ; nam hoc casu qualitas transit in substantiam. Sic Tournely cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio L. 3. n. 715.

653. Q. Quænam est quinta ad contrahendum conditio ?

℟. Est, ut contractus fiat cum libertate, et immunis sit a vi, et metu gravi externo injuste incusso (vid. L. 1. nn. 9. 10. 11. 12. 20. 21.). Dixi *metu gravi* : quia, ut habetur ex Reg. 1184. *Vani timoris justa excusatio non est*. Ex timore autem gravi injuste incusso ad extorquendum consensum contractus vel est ipso jure invalidus, vel per judicis sententiam rescindi potest. Communis ex Cap. *Abbas* 2. et ex Cap. 4. *Ad audientiam* 4. (*de his, quæ vi* etc.). Hinc sunt ipso jure invalida matrimonia, professio religiosa, promissio, vel solutio dotis ; et juxta multos etiam sponsalia, renuntiatio Beneficii Ecclesiastici, jurisdictio extorta etc. de quibus vide B. Ligorio sup. n. 716. Alii vero contractus vi, aut metu gravi injuste incusso celebrati, possunt judicis auctoritate rescindi ; non enim æquum est, ut qui inju-

riam fecit, ullum ex ea commodum reportet.

654. Q. Quænam est sexta conditio?

℟. Ut serventur solemnitates a Lege statutæ præsertim Municipales, quæ pro hoc Regno Neapolitano habentur in Codice Civili, ut sunt quædam subscriptiones, formulæ, numerus testium etc. An autem contractus, qui jure naturæ, vel gentium esset validus, at nullus per Legem, obliget in conscientia, variæ sunt sententiæ. Illa, quam sequitur Sanchez cum aliis, et probabiliorem, ac in praxi omnino tenendam docet B. Ligorio (Lib. 3. n. 711.) dicit, in his contractibus præferendum esse possessorem, donec per sententiam Judicis ad restituendum damnetur: possessio enim jus certum tribuit; et nemo debeat re expoliari, nisi constet ad alium spectare.

655. Q. Est ne exemplum hanc explicans doctrinam?

℟. Maxime. Titius possessionem accepit hæreditatis sibi relictæ ex testamento, quod jure naturali validum est, sed jure civili ob nonnullas solemnitates deficientes invalidum. Titius potest hæreditatem retinere, usquedum declarata a Judice testamenti nullitate, damnetur ad hæreditatem restituendam hæredi ab intestato, qui absque testamento in hæreditatem successisset. Cajus econtra reliquit testamento hæredem extraneum. Hinc mutata voluntate, hæredem instituit suum nepotem, sed testamentum est nullum quadam solemnitate deficiente: Nepos non tenetur hæreditate se privare, usquedum a Judice declaretur ad primum hæredem spectare. Et hæc pro contractuum generalitate servari possunt.

656. Q. Quare dixisti: *pro generalitate contractuum?*

℟. Quia quoad ultimas voluntates factas absque solemnitatibus a Jure civili statutis dicit la Croix (Lib. 3. Par. 2. 717.) valde probabile esse obligare saltem in conscientia, dummodo constet de voluntate testatoris, vel quia ipse scripsit, aut subscripsit, vel hæres ejus characterem agnoscat; aut a testatore immediate audiverit, aut alias. Et revera in Cap. *Cum esses de testam.* decernit Summus Pontifex Alexander III., quod quamvis in dispositione defuncti desit subscriptio septem, aut quinque testium a Jure civili requisitorum: attamen validæ censeri debeant, si constet de voluntate testatoris, ex. gr. per Parochum, et tres, vel duos testes; et prohibet, ne quis audeat hujusmodi testamenta rescindere. Et idem decernitur super Legatis, præsertim pro Ecclesiis, et ad pias causas (L. 16. Cod. *de testam.* L. *Hæc consultissime* Cod. eod. et Cap. *Relatum* 1.).

657. Q. Quid dicendum, si quis juraret stare contractui invalido?

℟. Si contractus sit invalidus jure naturæ ex. gr. quia factus ab amente, ab ebrio etc., non tenet nec juramentum, nec contractus, utpote res factæ a non habente usum rationis. Si autem contractus invalidus sit jure positivo, si juretur observantia, juramentum dummodo non sit de re illicita, aut in alterius damnum, servari debet. Hinc etsi Jus civile irritet contractus factos a pupillo, et minorenni absque consensu tutoris et curatoris: invalidet renuntiationes factas hæreditati patris viventis; invalidet alienationes bonorum dotalium factas ab uxore; si tamen hujusmodi, et alii consimiles contractus, quos videre licet apud Sanchez (Lib. 3. Mor. Cap. 9.) absque ulla vi, aut dolo juramento firmentur, debent servari.

PARS II.

De Contractibus in specie.

Caput I.

De Venditione, et Emptione.

658. Q. Quid est Venditio, et Emptio?

℟. Est mutuus contractus, in quo venditor se obligat dare rem pro pretio, et emptor dare pretium pro re. Qua facta conventione, generaliter loquendo, contractus in sua substantia jam perfectus est, et neutri licet absque culpa resilire, etiamsi res vendita, nec pretium sint data: adeo ut si res vendita etiam ante traditionem fructificet, vel pereat, emptori et pereat, et fructificet; dummodo aliter conventum non sit; aut venditor non sit morosus in tradendo; aut ejus culpa res pereat: quia tunc venditori periret. Sic habetur Inst. Lib. 3. tit. 24. et Cod. Regni Neap. n. 1428. etc. et alibi. Si quis autem rem ut supra venditam alteri daret, ex L. *Quoties* (de rei vendit.) huic remaneret, quia jus in re acquisivit, sed injuste ageret, puniri posset, et omnia damna, si quæ decepto evenerunt, reparare teneretur.

659. Q. Quare dixisti: *generaliter loquendo?*

℟. 1. Quia licet contractus sola conventione sit perfectus; ex dispositione tamen juris (§. *Utique* Instit. de empt., et §. *Venditæ* Inst. de rer. divis.) non habet ultimum complementum, et rei dominium non transit ad emptorem, nisi tradita re, et pretio persoluto, vel saltem oblato, vel assecurato per pignus, fidejussionem, fidehabitio-

nem, aut aliis mediis. 2. Quia si conventum fuerit facere scripturam, etiamsi contrahentes verbo convenerint, contractus non perficitur, nisi stipulata scriptura. 3.° Quia si res, quæ emitur, soleat degustari, ut accidit in emptione vini, olei etc. aut numerari, ponderari, mensurari, contractus non perficitur, nisi re degustata, approbata, mensurata etc.; dummodo emptor monitus morosus non fuerit in re accipienda (eod. Cod. n. 1430. 1432.). Et usquedum contractus non perficiatur, si res fructificet, vel pereat, venditori et perit, et fructificat. Sed videantur etiam locorum consuetudines. Quæ autem res, et quo pretio, et a quibus personis possint emi, et vendi, in sequentibus Paragraphis videbimus.

Paragraphus I.

De rebus, quæ venditioni, et emptioni exponi possunt.

660. Q. Quænam res possunt vendi, et emi?

R/. Omnes res humano commercio positæ, de quibus dominium directum (n. 609.), et administratio habetur, possunt et emi, et vendi; nisi Lex obstet (L. *Si emptione* 34. §. 1. *de contrah. empt.*), ut sunt animalia, supellectilia, fructus, et cetera mobilia; domus, prædia, arbores, et alia immobilia; res incorporeæ, ut census, canones, debita, actiones, et similia; sicut et res non existentes, sed futuræ, ut fructus prædii, partus pecorum; res in spe, ut sunt aves, et pisces, qui jactu retis capiuntur etc. Et cum de furtivis rebus non habeatur dominium, patet, illas non posse nec vendi, nec emi.

661. Q. Quare dixisti : *nisi Lex obstet?*

℟. Quia si quid Jure divino, naturali, canonico, civili, municipali, vel consuetudine vetetur vendi, et emi, tunc non est permissum. Hinc non licet vendere, ac emere res spirituales, aut spirituali annexas, aut sacras, ut Beneficia, Dignitates, Jus patronatus, Olea sancta, aliaque, quorum venditio esset simoniaca (Cap. *Altare* 14. etc.). Item non possunt vendi res litigiosæ (L. *Quicumque* etc.); bona dotalia; res, quæ juxta S. Thomam (2. 2. q. 169. a. 2. ad 4.) absque peccato adhiberi non possunt, ut statuæ, et picturæ multum lascivæ, libelli famosi etc. Item res ementibus perniciosæ, ut vinum ebriis, libri obscæni proclivibus ad impudicitiam, venena, et arma iis, quos prævidetur abusuros, et similia, quæ ementibus dant occasionem peccandi.

662. Q. Si res sit vitiosa, potest ne vendi?

℟. Si vitium sit patens, ita ut quisque possit illud advertere, ex. gr. quod equus sit claudus, ulceratus, monoculus; quod triticum sit mucidum, vel zizaniis mixtum; quod vinum sit acidum, aqua mixtum etc. dummodo vendatur minoris, et infra limites justi pretii, licet. Ita communiter, dummodo venditor non advertat, emptorem ob sui imperitiam, hebetudinem, et ignorantiam vitium illud non novisse, tunc enim nec intra limites justi pretii posset rem illam vendere, præsertim si quid damni in emptorem redundaret, ex. gr. quia illud vinum aqua mixtum corrumperetur etc. quia respectu hujus emptoris vitium illud reputatur occultum. Sic pariter communiter cum Castropalao (D. 5. p. 22. n. 7.), et aliis.

663. Q. Quid dicendum, si vitium sit occultum?

℟. Si emptor interroget, an vitium adsit, venditor non posset rem illam vendere, vitio non manifestato: quia cum dolus det causam contractui, venditio esset nulla (n. 652.). Si autem emptor non interroget, et res illa vitiosa ad finem intentum esset inutilis, ex. gr. si emat bovem ad arandum, et ob illud occultum vitium esset ineptus, tunc ob eamdem rationem doli injustus esset contractus. Si autem ob illud vitium res non inutilis emptori reddatur, ex gr. quia bovem illum saginatum vendere intendat pro macello, tunc etiam vitio non manifestato, posset venditor rem illam vendere, semper intra limites justi pretii.

664. Q. Quid dicendum de rei venditione, in qua fraus, vel mendacium intervenit?

℟. Si fraus sit in substantia, unam rem pro alia vendendo ex. gr. unum medicamentum pro alio (etiamsi ejusdem virtutis credatur); carnem ovinam pro vervece etc. semper erit injustus contractus, etiamsi venditio justo pretio fiat; et si quod damnum ex. gr. infirmo eveniat, tenebitur vendens. Et sic si fraus sit in qualitate, tenendo in locis humidis lanam, et frumenta, ut pondere, et mensura crescant; vel in quantitate, vendendo pondere, vel mensura falsa, etiamsi infimo pretio ista vendantur, dicit Sporer (Tr. 6. cap. 5. n. 75.), et merito, pariter injustum esse contractum.

665. Q. Quare hujusmodi contractus sunt injusti?

℟. Quia venditor facit injuriam non solum emptori, cui vel explicite, vel implicite pactus fuit dare rem non vitiosam, et justo pondere, et mensura, sed etiam aliis illarum mercium venditoribus loci, qui jus habent, ne per talem fraudem

emptores a propriis officinis abstrahantur. Et idem dicendum, si spargendo falsam notitiam, navem tales merces vendentem esse submersam, vel aliis mendaciis, et dolis inducas emptorem ad emendum majori pretio, etiamsi intra limites justi, illas merces: quia unusquisque habet jus, ne fraudibus, et mendaciis ad carius emendum inducatur. Et proinde, ut inquit Castropalaus, et alii ap. La Croix (Lib. 3. P. 2. 955.) hujusmodi deceptores tenentur restituere, et damna compensare.

666. Q. Potest ne quis cogi ad vendendam, vel emendam rem aliquam?

℞. Generaliter loquendo nemo invitus ad vendendum, et emendum cogi potest (L. *Invitus II.* Cod. de *contrah. empt.* et L. *Nec emere* 16. Cod. *de Jur. delib.*). Si autem interveniat aliqua publica necessitas ex. gr. inopia frumenti, aliorumque victualium ad quotidianum usum, tunc Magistratus, aliique Superiores possunt cogere possessores ad vendendum justo pretio (arg. C. 1. §. *Cura carnis* ff. de Offic. Præf. Urb. etc.). Pariter si fundus privati necessarius sit ad constructionem Ecclesiæ, plateæ, viæ publicæ, aut ad alia publica bona, præmissa justa indemnizazione (Cod. Neap. n. 470.) cedendus est (arg. L. *Si locus* § *Cum via* etc.). Et ob easdem rationes posset quis cogi ad emenda necessaria Communitati, ad evitandam publicam inopiam etc.

Paragraphus II.

De Pretio rerum vendibilium.

667 Q. Quid, et quotuplex est Pretium?

℞. Pretium est pecunia rei valori commensura-

ta. Dixi *pecunia*: quia si pro pecunia daretur alia res, non venditio, sed permutatio esset, de qua infra. Pretium autem duplex est, legale, et naturale. Pretium *legale*, seu *legitimum* est illud, quod a publica potestate statutum est, et hoc est semper servandum, nisi manifeste sit injustum. Pretium vero *naturale*, quod etiam *vulgare*, et *commune* dicitur, est illud, quod, considerata rei natura, ejus utilitate, necessitate, abundantia, penuria, sicut et abundantia, et penuria, etiam pecuniæ, et emptorum, et etiam affectione, quam dominus habet in rem vendendam ex communi prudentum æstimatione constituitur (arg. L. *Pretia rerum* 63. ff. ad L. *Falcid.*).

668. Q. Quotuplex est pretium *vulgare*, et quando justum reputatur?

℟. Pretium *vulgare* triplex est. *Infimum*, seu *pium*, et est illud, infra quod emi non potest. *Summum*, et *rigorosum*, et est illud, supra quod vendi nequit; et *medium*, quod participat de infimo, et de summo. Quoties ergo pretium sit *infimum*, *medium*, vel *summum* justum dicitur: si hos limites excedit, generaliter loquendo dicitur injustum, et in foro conscientiæ ad restitutionem obligat. Communis. Hinc si pretium medium alicujus rei sit decem, infimum potest dici octo, supremum duodecim. Si pretium medium alius rei sit centum, infimum poterit esse 95., et supremum 105, paulo plus, paulo minus juxta pretiositatem, seu vilitatem rei. Sic multi Doctores apud B. Ligorio Lib. 3. n. 804.

669. Q. Quare dixisti: *generaliter loquendo*?

℟. Quia variæ sunt causæ, ob quas aliqua res vel carius possit vendi, vel vilius emi. Hinc possunt vendi carius 1. illæ res, quæ minutim ven-

duntur ratione majoris incomodi, expensarum etc. ut qui minutim vendunt caseum, oleum, pannos etc. 2. ratione lucri cessantis, vel damni emergentis (ex S. Thoma 2. 2. q. 77. a. 1.), etiamsi adsit pretium legale; quando scilicet venditor in gratiam emptoris, ut sentit Tournely, et alii apud Salmaticenses (C. 2. n. 89.) vel perdit aliquod lucrum, vel damnum subit, demptis tamen expensis necessariis ad rem venditam conservandam, et monito emptore de hoc lucro cessante, aut damno emergente. Ita Lessius cum aliis, quos citat et sequitur B. Ligorio (ib. n. 769.). Et sic propter penuriam, abundantiam etc., de quibus supra (n. 667.).

670. Sunt ne aliæ causæ, ob quas carius possit vendi?

℟. Maxime. 3. potest carius vendi res, quando venditor in favorem emptoris privat se aliqua re, cujus ob rationabilem causam affectionem habet particularem, ex. gr. quia canis ille singularibus qualitatibus est præditus: quia prædium illud est valde deliciosum, commodum, urbi proximum etc. quia hisce casibus dominus non solum privat se illo cane, prædio etc., sed etiam sua utilitate, delectatione etc., quæ sunt pretio æstimabilia. Communis. Cum tamen ob dictas causas pretium augetur, monendus est emptor, ut si velit, possit aliter sibi cavere. Dixi: *in favorem emptoris*: quia si venditor sponte sua illam rem vendat, debet esse contentus illo pretio, quod a peritis, habita ratione qualitatis ex. gr. illius canis, vicinitate, et commoditate illius prædii, statuitur. Mercator autem prætextu affectionis nequit carius vendere illas res, quas vendendas tenet expositas.

671. Q. Potest ne vendi carius res illa, in quam emptor affectionem habet?

℟. Si hæc affectio, et utilitas esset illius emptoris privati, quia ex. gr. domus illa finitima est domui emptoris, vel quia in prædio illo vult emptor ædificare etc. tunc dummodo aliquod damnum domino non eveniat, aut alia causa rationabilis non interveniet, ultra justum pretium vendi non posset: quia dominus venderet quod suum non est, idest affectionem, et utilitatem emptoris. Si autem res illa affectioni, et utilitati esset etiam aliis, quia domus illa posita est in tali situ: quia prædium illud est proximum urbi etc. tunc ob hujusmodi qualitates posset carius vendi, quam si non haberet, ut pari ratione dictum est numero præcedenti.

672. Q. Quando res potest emi vilius?

℟. Præter abundantiam, et penuriam, ut dictum est n. 667. potest emi vilius etiam 1. quando emptor ut gratum faciat venditori, rem, qua non egeret, emit: quia juxta vulgatum axioma *merces ultroneæ vilescunt* pro tertia parte, ut Cajetanus, et alii apud Ligorio ib. n. 802. Vide tamen, ne hoc facias cum pauperculo, qui necessitate coactus vendit: hic enim potius subveniendus, quam opprimendus; et esset hoc contra charitatem, et justitiam, ut videtur eidem B. Ligorio (ibidem.). 2. Quando res emitur sub hasta quia hisce casibus, deposita omni fraude, aliquoties vilius, sed aliquoties carius emitur.

673. Q. Sunt ne aliæ causæ, ob quas vilius possit emi?

℟. Maxime. 3. Quando merces in magna quantitate emuntur: quia emptor potius prodesset, quam obesset venditori; liberat enim cum a mul-

tis angustiis, cautelis, dispendiis; et cum accepta pecunia alios quæstus efficiet. 4. Si quis certo sciret, venditorem (si inveniatur qui hoc faciat) excessum liberaliter donare. 5. Quando venditur cum pacto retrovendendi, quod in hoc Regno Neapolitano non potest extendi ultra quintum annum (Cod. Civ. n. 1506.) etiam in hoc casu tertia, quarta, vel quinta pars pretii justi, ut sentiunt Doctores apud Viva (de Contract. q. 2. a. 3. n. 12.) minui potest, arbitrio prudentum, ut Salmaticenses (C. 2. n. 59.) cum aliis apud Ligorio (Lib. 3. n. 812.).

674. Q. Emptor tenetur ne manifestare valorem rei venditori illum non cognoscendi?

℟. Maxime. Sicut enim venditor tenetur manifestare vitium rei occultum emptori ignaro, ut dictum est n. 662. et 663. sic et emptor tenebitur valorem rei venditori ignaro manifestare. Aliter peccabit graviter, et ad restitutionem tenetur: quia pretium æquare debet valorem. Communis. Si autem emptor non cognovit valorem verum illius rei ex. gr. gemmæ, monetæ antiquæ etc. nisi post factum contractum, et bona fide emit pretio communiter justo reputato, dicunt Tamburinus, Sporer, quos sequitur la Croix (Lib. 5. Par. 2. n. 952.) ad nihil teneri: quia quamvis fuerit error in substantia physica, non fuit tamen in morali.

675. Q. Si cui datum sit aliquid ad vendendum pretio ex. gr. medio, si vendat summo, poterit is excessum sibi retinere?

℟. Etiamsi aliqui Doctores affirment, Lessius autem, et alii, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 3. n. 825.) vocans hanc sententiam veram, dicunt, non posse, præsertim, si vendi-

tor sit famulus juxta omnes: quia lucraretur ex re non sua. Et ob eamdem rationem non potest sibi excessum retinere qui emens pro alio, emit infimo pretio quod medio emere poterat: dummodo in utroque casu excessus non sit parvi momenti, quia, ut dicit Sporer, et Tamburinus (ap. Lig. ib.), præsumitur, dominum non esse rationabiliter invitum. Si autem quis explicite, aut implicite convenerit cum domino pro pretio designato, excessum sibi poterit retinere. Ita Lugo, Salmaticenses, et alii (ap. Ligorio ibid.).

676. Q. Ob dilatam, vel anticipatam solutionem potest ne carius vendi, et vilius emi?

℟. Neutrum licet ultra justum (668.) pretium, nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, de quo moneatur emptor. (Cap. 6. et 10. *de Usur.*): dummodo reapse hoc lucrum cessans, et damnum emergens sit verum, et causatum ob dilatam vel anticipatam solutionem, ut dicetur infra loquendo de mutuo n. 695. et non confictum ab avaritia, et insatiabili cupiditate magis lucrandi. Ut enim notant Salmaticenses (C. 2. n. 241.), et alii apud B. Ligorio n. 810. qui habent quantitatem superabundantem pecuniæ, et mercium, raro in his verificatur lucrum cessans, aut damnum emergens. Imo hi vendendo intra limites justi pretii præsertim summi, magis lucrantur: quia ni pecunia credita venderent, tantas merces non distraherent. Ob periculum autem, quod prudenter timetur, sumptuum, molestiæ, et non accipiendi pretium, docet S. Thomas (Opusc. 73. c. 10.), et alii, quos citat, et sequitur la Croix (n. 945.) licet aliquantulo carius vendere.

677. Q. Quid dicendum de iis, qui mensibus hyemalibus pecunia credita vendunt victualia exigenda pretio Maji, vel Junii?

℟. Si venditor reapse sua victualia reservasset Majo, vel Junio vendenda, et ut gratum faciat emptori, vendit ex. gr. Decembri, potest pacisci pretium medium, quo illis mensibus venduntur, detractis impensis pro eis servandis, diminutione, periculo etc. Communis: quia venditor ut emptori faveat, non tenetur damnum pati. Sed etiam hic cavendum est, ne spe majoris lucri hic fiat contractus præsertim ab iis, qui victualibus abundant: est enim valde difficile, et moraliter impossibile, ut omnes illi, qui dicunt, ea reservare pro Majo, et Junio, possint tunc vendere. Quis enim tantam copiam victualium duobus mensibus emet? Vel non vendentur, vel ob abundantiam pretio infimo, et etiam infra essent vendenda.

Paragraphus III.

De iis, qui vendere, et emere possunt, et de Negotiatione, et Monopolio.

678. Q. Quæ personæ possunt vendere, et emere?

℟. Sunt omnes illæ, quæ supra (n. 650.) diximus habiles esse ad contrahendum, exceptis illis venditionibus, et emptionibus, quæ fiunt negotiando: quia hæ vetitæ sunt Clericis, et Regularibus, ut dicetur Lib. III. n. 42. etc., et exceptis illis, quæ fiunt per monopolium; quia hæ non omnibus, nec semper sunt permissæ. Quid autem sit Negotiatio, et Monopolium, et quando permissa, in sequentibus quæsitis videbimus.

679. Q. Quid est negotiatio, et quando permissa?

℞. Negotiatio est actus, quo quis rem aliquam sibi comparat eo animo, ut integram, et non mutatam vendendo, vel permutando, lucretur. Ut qui emit frumenta, animalia, pannos, aliasque merces, ut carius vendendo aliquem sibi quæritet lucrum. Hæc quoties fiat absque fraude, mendaciis, et perjuriis; et intra limites justi pretii (n. 667. et 668.) vendatur, et ematur, licita est. Ut enim inquit S. Augustinus (in Ps. 70.): Hominem *non facit malum negotiatio, sed iniquitas, et mendacium.* Imo potest esse bona, et necessaria communi bono: cum enim non omnis ferat omnia tellus, unusquisque commodum habet sibi necessaria providendi; et negotiator familiam suam honesto lucro sustentat. Qui autem emit triticum, ut panem; lanam, ut pannos efficiat, et vendat, non negotiationem, sed artificium efficiet. Quæ vero negotia permissa sint Clericis, vide Lib. 3. num. 43. et sequentibus.

680. Q. Quando Negotiatio est illicita?

℞. 1.° Quando aliqua fraus, iniquitas, mendacium, vel pejurium intervenit in vendendo, et emendo. 2. Quando solo fine lucrandi hæc fiat, etsi non excedat culpam venialem: dummodo in lucro ultimum suum finem non reponat, (quod cognoscitur, quando ob desiderium lucrandi faciliter quis transgreditur præcepta Dei, et Ecclesiæ; negligit negotium gravissimum suæ eternæ salutis) hoc enim esset vitium execrabile, ut inquit Sylvius, etiamsi nulla injustitia, et mendacium interveniat. Et cum avarus numquam impleatur pecunia, ut habetur Eccl. 5. 9. imo *Cum crescat amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit*, ut cognovit idem Horatius, negotiatio est ars valde periculosa, nec facile consulenda.

681. Q. Quid est Monopolium, et an licitum?

℟. Monopolium est species negotiationis, qua unus, vel aliqui conveniunt emere, vendere, facere, vel non facere aliquid, et tali modo, et non aliter. Hoc monopolium vel fit auctoritate publica, vel a privatis personis. Si fit auctoritate publica, et fiat ob bonum commune, tunc est licitum. Communis. Hinc potestas publica potest jubere, unum tantum, vel aliquos vendere carnes, panes, vinum, aliasque merces, facere tabernas etc. taxare pretium, concedere privilegium faciendi aliquas operas, et similia: quia hujusmodi monopolia bonum publicum respiciunt.

682. Q. Quid dicendum de monopoliis privatorum?

℟. Si unus, vel plures eorum, deficientibus aliis emptoribus, conveniant emere, vel majorem partem tritici, vini etc. pretio currenti ne extra patriam hujusmodi genera exportentur, ut ipsi servent ad tempus inopiæ; etiamsi cum fine carius revendendi id faciant, non peccant, dummodo vendant pretio justo; quia non damnum, sed utilitas publico eveniret. Si autem conveniant emere infra pretium infimum, et vendere supra summum, tunc peccant contra justitiam, et ad restitutionem tenentur; sicut tenerentur, si mendaciis, minis, dolo alios impedirent consimiles merces emere, aut vendere: quia si monopolium factum non fuisset, crescente copia emptorum, venditor pretio majori suas merces vendidisset; sicut econtra, cum crescente mercium copia, pretium diminuatur, emptores vilius emissent. Communis.

683. Q. Quid dicendum, si convenirent vendere pretio justo, sed summo?

℟. Hoc casu, si alios, ut supra, a vendendo

non impediant, etiamsi non peccent contra justitiam, ut communiter, et probabilius tenent Lessius, et tot alii, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 3. n. 817); nihilominus peccant, et graviter quidem contra charitatem: quia etiamsi liberum sit alicui vendere etiam pretio summo, tamen, si monopolium factum non fuisset, emptores pretio viliori merces illas emissent, et non obligarentur ad carius emendum. Idem dic de artificibus, et operariis, qui conveniunt inter se non aliter, quam tali pretio operas suas dare. Et jus civile (in L. *Jubemus* 4. Cod. Tit. 59.) non solum hujusmodi privata monopolia vetat; sed eorum auctores propriis bonis expoliat; et perpetuo damnat exilio.

Caput II.

De Commodato, Precario, et Deposito.

684. Q. Quid est Commodatum?

℟. Est gratuita concessio rei pro usu, et tempore determinato cum onere eam in individuo restituendi, ad differentiam Precarii, in quo res concessa semper repeti potest. Dominium directum spectat ad commodantem, idest ad illum, qui dat rem, ita ut si res pereat absque culpa commodatarii, idest ejus, qui accipit rem, commodanti perit. Dominium utile (609.) pro tempore determinato spectat ad commodatarium. Et hic nota, quod si res commodata aliquod vitium habeat, ex. gr. si equus sit vitiosus, morbosus etc. commodans ex justitia illud detegere debet: aliter teneretur de damno, si sequatur.

685. Q. Quare dixisti: *absque culpa commodatarii?*

℟. Quia si res ejus culpa periret, vel notabiliter deterior fieret, vel quia determinato tempore absque explicito, vel implicito consensu domini rem non restituit; vel quia in usu diverso eam adhibet, vel quia diligentiam in ea conservanda non ponit, tenetur damnum compensare, et restituere æquivalens etiam ex casu fortuito (ex Lib. 4. Instit. Tit. 1. §. *Furtum*, ex Cap. *Cum gratia* de commodat. et Cod. Neapol. n. 1752 etc.): Ut si quis equum commodatum ad equitandum ad currum alligaret, longius præter pactum duceret etc.

686. Q. Quid, et quotuplex est Depositum?

℟. Depositum est contractus, quo aliqua res alii custodienda traditur cum onere eamdem in individuo rem restituendi, nisi aliter conventum sit. Qui dat rem vocatur *deponens*: qui accipit custodiendam, *depositarius* vocatur. Duplex autem est, Depositum, purum, et mixtum. *Purum* est, quando depositarius gratis suscipit rem custodiendam, et absque sua utilitate. *Mixtum* est, quando cum aliquo emolumento, vel cum facultate utendi res custodienda suscipitur; ut sunt res, quæ deponuntur apud tabernarium, nautam, vecturarium; vel res, qua depositarius utitur; ut equo ad equitandum, pecuniis ad faciendas expensas, et similia.

687. Q. Si res deposita perit, cui perit?

℟. Cum dominium rei depositæ sit semper penes deponentem, generaliter loquendo si pereat, vel deterior fiat, deponenti et perit, et deterior fit, cum hac tamen differentia, quod si res pereat, vel deterior fiat culpa depositarii, si depositum sit *purum*, et res gratis custodiatur, tunc depositarius tenetur compensare tantum ex cul-

pa lata, idest, si rem in publico expositam, et facile abripiendam tenet, vel pluviis expositam, unde abripiatur, aut deterior fiat. Si autem depositum erat *mixtum*, et depositarius ea re utebatur, aut ob eam emolumentum accipiebat, tunc compensare teneretur etiam ex culpa levi, scilicet si omisit eam diligentiam, quæ communiter a diligentibus adhibetur, ut ex. gr. claudere januam etc. ne res surripiatur, et similia. Sic communiter.

688. Q. Res deposita quando, et cui est reddenda?

℟. Generaliter loquendo ipsi deponenti, et ad sui libitum est res reddenda, ad differentiam commodati, in quo res statuto tempore reddi debet. Dixi: *generaliter loquendo*: quia si depositarius sciat, rem depositam esse furtivam, non deponenti debet reddere, nisi, ut dicitur in Codice Neapolitano (n. 1810.) rei dominus monitus, intra tempus statutum non reclamet. Sic si depositarius promisso sibi emolumento non sit satisfactus, vel sciat, deponentem ad malum finem rem depositam repetere, ex. gr. gladium ad inimicum occidendum, et similia, non teneretur statim reddere. Sic pariter Communis.

Caput III.

De Mutuo.

689. Q. Quid est Mutuum?

℟. Est contractus, quo traditur res consumptibilis ex. gr. panis, vinum, pecunia etc. cum onere non eamdem rem, sed tantundem ejusdem speciei, quantitatis, et qualitatis tempore statuto restituendi. Si autem tempus restitutionis non sit designatum, res potest repeti, et est restituenda,

expleto fine, ob quem accepta est. Qui dat rem, *mutuans*, vel *mutuator* dicitur: qui vero eam recipit, *mutuatarius* vocatur. Et statim ac res mutuata, et tradita est, in mutuatarii dominium transit. Hinc si pereat, aut deterior fiat, quacunque ex causa hoc eveniat, mutuatario et perit, et deterior fit. Communis.

690. Q. Omnes ne possunt petere mutuum?

℟. Minime. Filii enim familias sub patria potestate existentes absque consensu paterno non possunt; et si accipiant, nec ipsi, nec parentes (ex L. 1. C. *de S. C. Macedon.*) non solum in foro externo, sed probabilius nec in foro interno generaliter loquendo ad restitutionem tenentur. Ad avertendum enim damnum parentum, et fœneratorum nequitiam coercendam bene potest Lex ob altum dominium, quod habet (n. 635.) hanc obligationem a filiis auferre, etsi aliquis filius huic privilegio renuntiasset: non enim in favorem filiorum, sed parentum hæc Lex lata est. Sic expresse tenent Innocentius, et Panormitanus (in C. *Quia plerique*) Lessius, et alii, quos citat, et sequitur Ferraris V. *Mutuum* n. 8.

691. Q. Quare dixisti: *generaliter loquendo*?

℟. Quia multi sunt casus, in quibus filii etiam sub patria potestate tenentur mutuum solvere. 1. Si habeant bona castrensia, vel quasi castrensia (n. 612.). 2. Si patre sciente, et non contradicente mutuum acceperint, aut pater adprobaverit. 3. Si filius credebatur sui juris, ex eo, quia mercaturam, aut aliud publicum officium exercebat. 4. Si mutuum acceperit in parentum commodum, vel in illas expensas, ad quas pater tenebatur, ex. gr. ad alendum filios, vel, ut hi aliquam professionem, aut artem addiscant. 5. Si quando mutuum

accepit, erat miles. Si accepit mutuo non pecuniam, sed alias res, ut triticum etc. 6. Addunt aliqui, si juraverit solvere. Vide Ferrar. ibid., et B. Ligorio n. 757.

692. Q. Adest ne præceptum dandi mutuum?

℟. Etsi *homo non semper teneatur dare mutuum*, ut inquit S. Thomas (2. 2. 6. q. 78. a. 1. ad 3.) si tamen proximus in extrema versetur necessitate, tunc est præceptum. Sic enim dicit Dominus (Deuteron. 15.) *Si unus de fratribus tuis . . . . . ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum . . . . . Et dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris . . . . . ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum.* Et hoc præcipit Deus, etiamsi ob adventum anni sabbatici mutuatarius sortem esset perditurus. Etiam J. Christus D. N. (Luc. 6. 35. ait: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Ex quibus verbis non solum colligitur obligatio dandi mutuum, sed dandi gratis: ita ut supra sortem nihil possit exigi, imo nec sperari.

693. Q. Numquam ne potest mutuans aliquid supra sortem exigere?

℟. Præcise pro mutuo numquam. In compensationem autem vel damni emergentis, ut omnes fatentur, vel lucri cessantis, vel periculi, vel in pœnam ut communiter contra aliquos, potest (arg. C. *Pervenit* 2. *de fidejussior.*) aliquid supra sortem exigi juxta dicenda numeris sequentibus. Et hæc compensatio vocatur *usura compensatoria.* Etiam S. Thomas, qui pro contraria sententia citatur, postquam dixit (2. 2. q. 62. a. 4.) posse aliquem damnificari, *impediendo, ne adipiscatur quod erat in via habendi*, concludit, *secundum conditionem personarum, et negotiorum ali-*

quam compensationem esse faciendam. **Videatur** B. Ligorio (Lib. 3. n. 768.) et Cuniliati (Tr. X. de VII. Præc. Cap. V. §. 2.) cum Auctoribus, quos citant.

694. Q. Quid colligitur ex dictis?

℟. Colligitur, quod si quis pecuniam destinatam ex. gr. ad emendum triticum, oleum etc. tempore abundantiæ, ut faveat mutuatario, det mutuo, et ob id postea cogatur, vel carius emere; vel ex defectu pecuniæ mutuatæ res suas ob occurrentes necessitates vilius vendere, tunc hoc damnum sibi potest compensare, aliquid supra sortem paciscendo, et a mutuatario exigendo: quia cum suo damno nemo regulariter teneatur, et soleat mutuum dare. Et idem dicendum, si ut mutuum det, perditurus sit aliquod lucrum, quod cum illa pecunia certo, vel probabiliter fecisset. Ut autem hoc lucrum licite possit pacisci, et exigi, multæ requiruntur conditiones.

695. Q. Quænam sunt istæ conditiones?

℟. Sunt quatuor. Prima; ut mutuatio vere, et non fictitie sit causa damni emergentis, vel lucri cessantis: quia si mutuans aliquo modo damnum sibi possit impedire; vel aliam pecuniam omnino otiosam ipse habeat, qua possit negotiari et lucrari, si quid supra sortem exigeret, esset usura, et prohibitum. Dixi *omnino otiosam*: quia si alia pecunia quam mutuans habet, destinata sit pro dotatione, sustentatione, et educatione filiorum, aut ad consulendum illis necessitatibus, quæ inopinate possunt occurrere, ut morbi ex. gr. lites, incendia etc. aut pro aliis finibus honestis, tunc cum revera mutuatio sit causa damni emergentis, vel lucri cessantis, posset aliquid supra sortem exigi.

696. Q. Quænam est secunda conditio?

℟. Secunda est, ut servetur æqualitas, idest, ut quod supra sortem paciscitur, et exigitur, æquivaleat damno, quod mutuans subit, sive subire timet; vel lucro, quod perdit, detractis expensis, si quæ faciendæ sint pro conservatione rei mutuatæ. Et cum, juxta S. Thomam (loc. cit. n. 693.): *Minus est habere aliquid in virtute, quam habere actu*, non potest totum exigi lucrum speratum, sed *ex æquo*, et aliquid debet detrahi judicio peritorum, et prudentium et pro incertitudine lucri, et pro periculi æstimatione, et quia damnum, quod subire quis timet, non tanti valet, quam reale.

697. Q. Quænam est tertia, et quarta conditio?

℟. Tertia est, ut mutuans expresse moneat mutuatarium, de compensando hujusmodi damno emergente, et lucro cessante: quia forsan mutuatarius cum nullo, aut minori dispendio vellet alio modo sibi, rebusque suis consulere. Quarta denique, ut mutuans reapse soleat negotiari, et suas pecunias malit ad negotium exponere, quam mutuare: quia nisi soleat negotiari; vel malit mutuare, quam negotiari; vel si seclusa spe lucri, non mutuat: is ostendit dare mutuum spe lucri, quod est usurarium. Caveant ergo mutuantes, ne spe lucrandi temporalia, amittant et temporalia, et æterna.

698. Q. Ob periculum sortis ammittendæ, vel difficulter recuperandæ potest ne mutuans aliquid supra sortem exigere?

℟. Si muatarius sit aliquis pauper, cui ex præcepto divino teneatur quis vel dare eleemosynam, vel mutuare ad ejus præsentem inopiam sublevandam, ex dictis n. 692. mutuans nihil supra sortem potest exigere, etiamsi certus esset sortis a-

mittendæ. Item nec potest, si mutuatarius offerat pignus æquivalens, vel fidejussorem, qui de periculo respondeat. In aliis casibus, si periculum sortis amittendæ, vel difficulter, et cum expensis exigendæ reapse adsit, quia ex. gr. mutuatarius est cavillator, dubiæ fidei etc., ob hoc periculum potest aliquid moderatum et pacisci, et accipi. Si enim pro assecuratione sortis potest aliquid ab aliis exigi, poterit etiam a mutuatario. Sic communiter Doctores apud B. Ligorio (ibid. n. 765.), Cuniliati loco citato etc.

699. Q. Si valor rei mutuatæ tempore restitutionis crescat, vel decrescat, quid agendum?

℟. Diversimode potest juste, et licite, dum datur mutuum, pacisci. Si hujusmodi incrementum, aut decrementum incertum sit et mutuanti, et mutuatario, tunc vel potest pacisci, ut tot physice monetæ, ex. gr. unciæ aureæ, ducata argentea etc. restituantur, quot accepta sunt; et sic aliæ res in eadem qualitate, mensura, pondere, et numero reddantur (Cap. ult. *de usur.*): vel pacisci, ut tam pecunia, quam aliæ res ex. gr. triticum, oleum etc. reddantur juxta valorem, quem habent tempore restitutionis: quia hoc casu commune est periculum incrementi, vel decrementi. Videatur B. Ligorio, et alii Doctores, quos citat (Lib. 3. n. 782.).

700. Q. Quid dicendum, si incrementum, vel decrementum sit certum, aut probabile?

℟. Si rem, quam quis mutuat, servaturus sit ad tempus, quo ejus valor accrescat, potest pacisci, ut juxta valorem, quem tempore restitutionis habet, sibi reddatur, deducta tamen æstimatione periculi, et expensarum in illa re servanda: æquum enim non est, ut pro favore facto

mutuans damnum patiatur. Hoc pactum vero usurarium esset, si mutuans rem illam non esset usque adhuc servaturus. E converso si certo, vel probabiliter credatur, rem minus valituram, mutuans ut indemnem se reddat, potest pacisci, ut sua res in *majori* mensura, pondere, et numero sibi reddatur. B. Ligorio. (ibid.).

701. Q. Potest ne pacisci, ut, si mutuatarius tempore statuto rem non restituat, aliquid solvat in pœnam?

℟. Maxime, dummodo sequentes adsint conditiones, 1. ut pœna non apponatur ad palliandam usuram, sicut esset, si tempus præfigatur, quo jam prævidetur, mutuatarium solvere non posse, sed ideo pœna apponatur, ne mutuatarius violet fidem, rem delapidet etc., 2. ut mora mutuatarii sit culpabilis, et notabilis: quia si ob justam causam non possit is restituere; vel mora sit alicujus hebdomadæ, et nullum damnum mutuanti interveniat, pœna non posset exigi absque usuræ labe, 3. ut pœna judicio prudentum sit moderata. Et cum hæc pœna, quando est justa, ex vi pacti debeatur, independenter a sententia judicis, ad petitionem mutuantis debetur, etiamsi pœnæ judiciales judicis sententiam prærequirant. Sic probabilius Salmaticenses cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 3. n. 767.). Et hæc pœna vocatur *conventionalis*, *seu usura punitoria*.

Caput. IV.

De Usura

702. Q. Quid, et quotuplex est Usura?

℟. Usura considerata ut contractus usurarius

est mutuatio facta cum expresso, vel tacito pacto, aut etiam cum sola intentione aliquid supra sortem exigendi præcise vi mutui: Usura autem capta pro eo quod supra sortem exigitur, est lucrum, seu quidquid pecunia sit æstimabile, ex vi solius mutui proveniens. Triplex autem est Usura, compensatoria, punitoria, et lucratoria. Quæ sit Usura *compensatoria*, et *punitoria*, et quando permissa, dictum est Capite præcedenti. Usura autem *lucratoria*, de qua hic est sermo, est illa, qua lucrum ex mutuo percipitur ex sola vi mutui.

703. Q. Quomodo subdividitur Usura *lucratoria?*

℟. Primo dividitur in mentalem, et realem. Usura *mentalis* est illa, qua lucrum ex mutuo intenditur tamquam debitum, licet de eo nullum interveniat pactum. *Realis*, quando expresse, vel tacite hoc lucrum deducitur in pactum. Hæc autem *realis* Usura subdividitur in formalem, et virtualem. *Formalis* seu *expressa*, et *manifesta* est illa, qua nullo alio titulo intercedente, ex mero mutuo lucrum expresse deducitur in pactum. *Virtualis*, quæ etiam *tacita*, et *palliata* vocatur, est illa, qua lucrum injustum sub specie alterius contractus deducitur in pactum, et quasi pallio occultatur. Secundo dividitur in *pactionalem*, qua pactio fit de lucro nondum recepto; et *exactionalem*, qua de facto recipitur lucrum.

704. Q. Quando committitur Usura *Realis?*

℟. Juxta regulam generalem, quam tradit S. Thomas (2. 2. q. 78. a. 2.) tunc committitur hæc usura, quando in mutuatione aliquod, ut stricte debitum exigitur, aut gravamen onusve pretio æstimabile imponitur, quod ex justitia debitum non est, etiamsi mutuatarius sit dives, et

ad fortunas amplificandas, vel quaestuosis agitandis negotiis rem mutuatam sit impensurus. Sic Benedictus XIV. (Encycl. *vix pervenit* 1. Nov. 1745.). Hinc non solum committit usuram qui ex sola vi mutui aliquid supra sortem vult exigere, sed etiam qui vult obligare mutuatarium ad vendendam ex. gr. sibi, aut alii aliquam possessionem; ad emendum a se frumentum, vinum etc.; ad sibi in posterum remutuandum; ad colendos suos agros etiamsi cum justa mercede; ad conferendum sibi aliquod officium; aut quod vadat ad suum molendinum, furnum; aut aliam imponat obligationem, ad quam ex justitia mutuatarius non teneatur. Communis ap. B. Ligorio n. 774. etc.

705. Q. Quare dixisti: *ad quam ex justitia non teneatur?*

℟. Quia si mutuans exigat a mutuatario quod ex justitia jam debet, nullam novam obligationem imponit. Hinc absque usurae labe potest mutuans exigere ex. gr. a mutuatario, ut solvat pretium rei venditae aut locatae; ut cesset a calumniando; ut privatam vindictam non exerceat; ut ab injusta vexatione abstineat, et similia: quia mutuatarius ad haec omnia jam ex justitia tenetur. Non potest autem illum obligare absque usura ad exercendum actum charitatis, ex gr. medicum ad curandum, advocatum ad patrocinandum; aut illum obligare ad id, quod non debet, ex. gr. ad remittendum debitum, vel restitutionem famae, ad remittendam justam vexationem; ad condonandam poenam, ad quam mutuans, aut alius jam a Judice est condemnatus; aut condemnandus etc. Sic probabilius Ligorio, et alii, quos citat n. 777.

706. Q. Si mutuans exigat a mutuatario pignus

frugiferum, potest ne ejus fructus percipere?

℟. Minime, respondet S. Thomas (2. 2. q. 78. a. 2. ad 6.) cum Communi contra aliquos: pignus enim datur pro sortis assecuratione; et cum ejus dominium apud mutuatarium remaneat, illi soli fructificat, deductis expensis factis a mutuante (ex Cap. 1. et 2. *de Usurar.*). Hinc contractus *antichriseos*, vulgo *a godere*, quo mutuans pignore utatur, ejusque fructibus fruatur, donec res mutuata reddatur, communiter rejicitur tamquam usurarius: dummodo alius justus titulus non intercedat, ob quem res oppignorata ad dominium transeat mutuantis; quia ex. gr. eam cum pacto retrovenditionis, aut census etc. mutuans emit. B. Ligorio n. 776.; aut adsit titulus lucri cessantis; damni emergentis etc.

707. Q. Quando committitur usura *palliata?*

℟. Quando sub specie alterius contractus accipitur lucrum, quod reapse ex mutuo provenit. Ut qui carius ultra justum pretium vendit pecunia credita ob solam dilationem solutionis (non accedente justo titulo, ut supra n. 669. 670. 671.) sub specie venditionis committit usuram: quia ut docet S. Thomas (2. 2. q. 78. a. 2. ad 7.) *hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem virtualis mutui.* Sic qui vendit aliquid summo pretio eo pacto, ut sibi pretio infimo revendatur; sub specie pariter venditionis committit usuram vocatam *Mohatram* damnatam ab Innocentio XI. n. 40. quæ pariter resolvitur in mutuum. Idem dicendum de contractu *Antichriseos*, de quo num. præcedenti, et de similibus.

708. Q. Quando committitur Usura *mentalis?*

℟. Quando mutuans intendit lucrum recipere tamquam sibi debitum ex sola vi mutui, etiamsi

nullum intercesserit pactum; et aliter non mutuaret. Si inde aliquid accipiat, quod gratis et sponte mutuatarius non det, mutuans reus erit usuræ mentalis, et ad restitutionem tenetur (ex Cap. *Consuluit* 10. *de Usur.*). Si autem mutuans speret aliquid accepturum ex mera gratitudine et liberaliter, cum intentione mutuandi, etiam si nihil sibi daretur, ex citato textu non esset usurarius. Ut enim recte argumentatur S. Thomas (2. 2. q. 78. a. 2.) licita potest sperari quod licite potest acceptari; decetque, ut mutuatarius gratus sit erga suum benefactorem. Et si Christus dicit: *Mutuum date, nihil inde sperantes*, intelligit, non posse sperari tamquam debitum ex justitia. Ita communiter intelligitur ille textus.

709. Q. Sunt ne aliquæ Propositiones damnatæ circa materiam Usuræ?

℟. Maxime. Alexander VII. damnavit sequentem num. 42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. Et Innocentius XI. damnavit tres sequentes: num. 40. Contractus *Mohatra* licitus est etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævio inito cum intentione lucri. Num. 41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda; et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari. Et num. 42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum. Cum ergo hæ propositio nes sint damnatæ, patet, non amplius posse sustineri.

710. Q. Undenam Usura prohibetur?

℟. Prohibetur jure naturali ; divino , et humano. Prohibetur jure naturali : quia cum dominium rei mutuatæ transferatur in mutuatarium ; si mutuans fructum perciperet ex mutuo , perciperet ex re non sua , quod est contra jus naturæ. Et proinde non posset absolvi , nisi prius lucrum indebitum restitueret , aut saltem cautionem præbeat de restituendo. Prohibetur jure divino. Legitur enim in Levitico (Cap. 25. 36.): *Ne accipias usuras ab eo , nec amplius quam dedisti* : et Christus ait : *Mutuum date , nihil inde sperantes* (Luc. 6. 35.) , scilicet ultra sortem. Jus autem canonicum non solum prohibet usuras ; sed *decernit puniendum tamquam hæreticum illum , qui pertinaciter affirmare præsumat usuras exercere non esse peccatum. Sic in Clementina unica de Usuris* §. *Sane.*

711. Q. Licet ne petere mutuum ab usurario ?

℟. Cum ex mox dictis usura vetita sit jure naturali , divino , et canonico , et quidem sub gravi , nisi parvitas lucri usurarii excuset , patet , quod qui absque gravi causa petit mutuum ab usurario ; peccat graviter et contra Charitatem ob scandalum , quod dat mutuanti , et contra Justitiam , quam mutuans lædit. Sic Salmaticenses cum aliis , quos citat , et sequitur B. Ligorio (Lib. 2. n. 47.). Dixi *absque gravi causa* : quia , ut ait S. Thomas (2. 2. q. 78. a. 4.) cum aliis ap. Ligorio (ibid.) , si quis alio modo suis , aut alterius non possit consulere necessitatibus , ex. gr. ad conservationem , vel decentiam sui status , vel familiæ , a peccato excusatur *petens ab eo , qui paratus est facere , et usuras exercet* : quia non inducit usurarium ad peccandum , sed *ejus peccato utitur ad bonum , quod* juxta S. Doctorem

(ibid.) *licitum est*, ut etiam supra diximus n. 164. et 167.

712. Q. Ad quid tenentur usurarii, eorumque hæredes, et alii ad contractum usurarium cooperatores?

℟. Juxta id, quod infra dicetur de Furto, et Restitutione (Artic. IV. n. 882.) usurarii tenentur ad restitutionem lucri male percepti; et in eorum defectu tenentur hæredes. Imo si hæredes delicto defuncti cooperatores fuerint præter peccatum ad restitutionem tenentur in solidum (ex L. 1. C. *de delictis* defunct. 1. 4. Tit. 17.). Item Notarii conficientes instrumenta usuraria, testes dolosi, Judices, et Domini compellentes ad solvendas usuras, vel impedientes earum restitutionem, ceterique efficaciter, et proxime concurrentes ad usuras exigendas, et obligantes ad earum solutionem peccant contra justitiam, et etiam omnes isti ad restitutionem tenentur. Ita Doctores communiter (ex Clement. *Ex gravi* unic. *de Usur.*), in qua Clementina excommunicatio latæ sententiæ infligitur contra hujusmodi Judices, et Dominos. Si autem aliqui ex supradictis ad instantiam mutuatarii ad usurarium contractum intervenerint, etiamsi peccent, ad restitutionem tamen non tenentur, quia volenti, et consentienti nulla fit injuria.

713. Q. Quæ pœnæ inflictæ sunt in usurarios?

℟. Si usurarii notorii sunt sive notorietate facti, ut si usuras manifeste exercent, vel ex se confiteantur; aut notorietate juris, idest si tamquam usurarii, a Judice sint condemnati, has pœnas præcipue incurrunt. Declarantur infames, et proinde irregulares, quæ tamen infamia ex usu, et canonica æquitate tollitur, si resipiscant. Insuper

si moniti obdurescant, si sit clericus, suspendendus est ab Ordine, et Beneficio, et inhabilis redditur ad sacros Ordines suscipiendos; si sunt laici, possunt excommunicari; et si in eo peccato moriantur, Ecclesiastica sepultura privantur. Imo qui tales notorios usurarios sepelliret, esset ipso facto excommunicatus, nec posset absolvi, nisi prius ad arbitrium Episcopi satisfactionem dederit; et si sit clericus, esset etiam suspensus. Sic ex variis Juribus apud Ferraris (V. *Usura* a num. 88. et seqq.), et Devoti (Instit. Can. Tom. 4. Tit. XVI. n. 36.).

714. Montes, qui dicuntur Pietatis, sunt ne immunes ab usura?

℟. Maxime. Licet enim aliquid supra sortem in his Montibus recipiatur, id non recipitur præcise ratione pecuniæ, frumenti etc. mutuati, sed pro sustentatione ministrorum, pro expensis, quæ necessariæ sunt ad conservanda pignora, ad custodiendam fabricam etc. Imo ideo a supremis Principibus, et Communitatibus, sunt hujusmodi Montes instituti, et ab Ecclesia adprobati (Concil. Later. V. C. 10. et Trid. Sess. 22. Cap. 8. de Ref.), ut subveniatur indigentium necessitati, ne opprimantur usuris. Quando autem usura committatur in aliis contractibus, videbimus infra.

Caput V.

De Societate.

715. Q. Quid est Societas, et quæ ejus conditiones?

℟. Est conventio duorum, aut plurium de conferendo aliquid pretio æstimabile, ut pecuniam,

merces, animalia, prædia, industriam, laborem, et similia, in commune lucrum, et damnum secundum proportionem rerum contributarum. Sic ex Benedicto XIV. (Syn. Diœc. Lib. X. Cap. 7. n. 1.). Ut societas sit licita, has duas præcipue habere debet conditiones. Prima, ut in divisione facienda servetur æqualitas, nempe ut æstimatio laboris, industriæ etc. æquiparet usum pecuniæ positæ in societate. Secunda ut sicut lucrum pro rata commune est sociis; sic communes sint et expensæ pro comparatione, transvectione, et conservatione mercium, pro solutione vectigalium, sumptibus in itinere etc.; sicut et communia sint damna, si quæ intuitu Societatis sociis obveniunt, ut si in comparandis, vel transferendis, vel custodiendis mercibus, diripiantur a latronibus etc. Communis a L. *Cum duobus*, §. *Damna.*

716. Q. Quare dixisti *pro rata*?

℟. Quia qui plus contulit in societatem, plus et de lucro, et de damno debet etiam participare. Hinc si pro aliquo faciendo negotio, unus centum, alius centum quinquaginta, et alius ducenta ducata in societatem posuit, in divisione lucri novem sunt partes faciendæ: duæ pro eo, qui posuit centum; tres pro eo, qui posuit centum quinquaginta; et quatuor pro eo qui ducenta posuit ducata. Et in eadem proportione fit divisio expensarum, damnorum etc. Et sic pariter si valor industriæ, et laboris socii sit major vel minor valore pecuniæ ab altero positæ juxta prudentum æstimationem, majus vel minus debet esse lucrum ab hoc reportandum.

717. Q. In fine societatis est ne dividendum etiam capitale?

℟. Generaliter loquendo capitale debet restitui

cui in societatem illud contulit. Sic in Extravag. *Detestabilis* §. 2.; et sic S. Bernardus, de Lugo et alii, quos contra aliquos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 3. n. 907.) qui hanc vocat veram sententiam: quia cum dominium capitalis sit semper apud dominum, et si pereat, ipsi soli pereat, ipsi pariter erit totum restituendum, etiamsi in fine societatis nullum lucrum evenerit, et solum remanserit capitale. Dixi: *generaliter loquendo*: quia si socii conveniant etiam de communicatione capitalis, sicut socius minor esset in hoc casu particeps damni, sic esset et capitalis, ut in citata Extravaganti. Inspicienda sunt etiam statuta municipilia, et justæ locorum consuetudines, ut accidit præsertim in societate animalium, quorum etiam capitale plerumque dividitur.

718. Q. Licet ne socio majori sibi assecurare et sortem, et lucrum certum?

℟. Hic esset contractus, quem *trium contractuum* vocant, qui hoc modo fit. Socius major dat socio minori mille ducata ex. gr. negotianda in ovium emptione. Ex hac societate lucrum ducatorum tercentorum speratur, cujus dimidium, idest centum quinquaginta ad socium majorem spectat una cum sorte, idest ducatis mille. Hoc ut socius major sibi assecuret, renuntiat socio minori partem lucri, ex. gr. quinquaginta ducata. At sicut lucrum centum ducatorum, quæ sibi remanent, est adhuc incertum, renunciat socio minori alia triginta, vel quadraginta ducata, contentus sortis, et lucri certi sexaginta, vel septuaginta ducatorum; et sic conveniunt.

719. Q. Hujusmodi societas, seu contractus est ne licitus?

℟. Si socius major certo, aut probabiliter sciat,

socium minorem non in emptione ovium, sed ad succurrendum suis indigentiis hæc mille ducata sumere, hic esset clare contractus usurarius, qui resolveretur in mutuum : æquivaleret enim huic mutui contractui : *do tibi mille, ut post annum* ex. gr. *reddas mihi mille, et sexaginta, vel septuaginta certa* absque ullo labore, et periculo. Communis.

720. Q. Quid dicendum, si reapse hæc mille ducata negotio exponantur?

R/. Speculative loquendo posset hujusmodi contractus ab usuræ labe excusari : quia tam in socio majori, quam in minori æquale esset et commodum, et incommodum. Licet enim socius minor sentiat incommodum assecurationis sortis, et lucri certi ; hoc tamen sibi compensat commodo majoris lucri, quod sperat, faciendo quamdam speciem sponsionis et ludi. Econtra socius major etiamsi nullum sentiat incommodum periculi, sentit tamen incommodum minoris lucri ; et proinde esset æqualitas, in qua principaliter consistit societas. Et ob hanc rationem Navarrus, et multi alii, quos citat B. Ligorio (Lib. 3. n. 908.) defendunt hunc contractum ; et ego dixi, speculative loquendo ab usuræ labe posse excusari ; præsertim si qui pecuniam accipit, sic velit.

721. Q. Quare dixisti : *speculative loquendo*?

R/. Quia in praxi potius judicandum est, socium majorem dare mille cum animo fœnerandi, et totum illum circuitum verborum, et trium contractum ad aliud non deservire, nisi ad obtegendam usuram præsertim si qui pecuniam accipit, invitus, ac necessitate coactus cum his pactionibus contrahat : nam in isto contractu idem est, ac si socius major diceret minori : *Do tibi mille*

ducata, ut reddas mille et sexaginta. Et ideo facultas Parisiensis anno 1664 hujusmodi contractum scandalosum, et ad usuras palliandas inducentem explicite damnavit; et implicite etiam damnatur in citata Extravaganti *Detestabilis*. Sed sicut non obstante dicta Extravaganti Sixti V. nullam hactenus censuram inflixit Ecclesia contra propugnatores hujusmodi trini contractus, hinc Benedictus XIV. (Syn. Diœc. Lib. X. Cap. VII. n. 6.) etsi nec ipse ullam censuram infligat, hortatur tamen Episcopos, ut pro viribus hujusmodi periculosum contractum impediant.

722. Q. Licet ne fieri societas cum assecuratione capitalis, seu sortis?

℟. Hæc esset societas, quam vocant *ad caput salvum*. Patet, hanc societatem esse illicitam, quia si sors pereat, domino debet perire, ut supra dictum est (717.). Juxta Navarrum tamen, Lessium, et alios (ap. Lig. n. 909. q. 3.) posset hic contractus fieri licitus, si socius major renunciaret majori parti lucri sperati, ut supra dictum est in contractu trium contractuum (n. 720.). Sed etiam hic contractus *speculative loquendo*, posset esse licitus, ut ibi dictum est: in praxi enim potius judicandus est usura palliata sub societatis contractu. Ita Bonacina etc. (ibid.). Et proinde ut contractus adeo periculosus est dissuadendus.

723. Q. Licet ne saltem assecuratio lucri?

℟. Si renuncietur parti notabili de lucro sperato, contractus non videtur illicitus. Si enim socius minor habet incommodum assecurationis lucri, sentit tamen commodum majoris partis lucri, quod sperat; et ideo servatur æqualitas, quæ in societate requiritur. Et huc refertur societas illa; quam

vocant *A collatico*, in qua præter divisionem fœtuum vaccarum, equarum etc. qui de more dividuntur, paciscitur aliquod determinatum lucrum pro usu illorum animalium, qui fit arando, equitando etc. Si hoc lucrum sit moderatum judicio prudentum, vel juxta æquam patriæ consuetudinem, est permissum, semper tamen, cum hac conditione, quod si animalia absque culpa socii minoris pereant, vel deteriorentur, domino et pereant, et deteriorentur.

724. Q. Licet ne societas illa, quam vocant *a crescere?*

℟. Hic contractus habetur, quando agnæ ex. gr. juvencæ, pullæ equinæ, aut aliorum animalium, quæ in societatem traduntur, æstimantur; et finita societate æstimantur denuo illa animalia; dempto pretio, quo initio societatis æstimata fuerunt, quod pretium tradi debet domino, reliquum lucrum cum fœtibus de more dividitur. Hæc societas est licita, semper tamen cum hac lege, quod si illa animalia in partem, vel in totum absque culpa socii minoris pereant, vel deteriorentur, domino pereant, et deteriorentur; et proinde quod socius minor non teneatur solvere pretium illorum animalium, quæ perierunt, vel deteriorata fuere. Constat ex dictis. Hic autem nota, quod clericis non licet oves, boves, et alia animalia emere societati danda ex capite illicitæ negotiationis. (S. C. Concilii 7. Octobris 1662.).

Caput VI.

De Cambio.

725. Q. Quid est Cambium?

℟. Cambium late sumptum est permutatio unius

rei cum alia, quæcumque illa sit, ex. gr. triticum cum vino, gemma cum panno, equus cum bove etc. Et hæc permutatio quotiescumque servatur æqualitas, remota omni fraude, et dolo, non solum est licita, sed etiam utilis in commercio. Communis. Cambium autem stricte sumptum est contractus, quo pecunia cum pecunia permutatur. Qui in gratiam alterius dat pecuniam, ut aliquid lucretur, dicitur *campsor*: ille, in cujus gratiam fit permutatio pecuniæ, dando aliquod lucrum, dicitur *campsarius*.

726. Q. Quotuplex est Cambium *stricte sumptum?*

℟. Est duplex: reale, et siccum. Cambium *reale* est, quando pecunia cum alia pecunia vere et realiter permutatur. Cambium *siccum* est, quando fingitur, pecuniam alibi permutari, et solvi; sed revera permutatur, et solvitur in eodem loco. Ut cum campsor Neapoli dat campsario pecuniam Romæ ex. gr. solvendam, etiamsi certo sciat, non jam Romæ, ubi nec pecuniam, nec correspondentem habet campsarius, sed Neapoli pecuniam cum lucro esse restituendam. Hoc cambium cum sit verum mutuum, et lucrum vera usura, est illicitum, et ut tale ab Urbano III. damnatum (in Cap. *Consuluit* 10. de *Usur.*). Cambium autem reale subdividitur in minutum, et locale.

727. Q. In quo cambium *minutum* differt *a locale?*

℟. Cambium reale *minutum*, quod etiam *manuale* appellatur, fit, quando pecunia præsens cum alia præsenti sed diversæ speciei permutatur; ex. gr. pecunia aurea cum argentea, vel ærea, aut pecunia neapolitana cum romana ex. gr. hispana, gallica etc. Cambium *locale* autem, quod

etiam *per literas* vocatur, fit, vel quando pecunia numeratur campsori in uno loco, ex. gr. Neapoli, Parisiis etc.; vel econtra quando pecunia accipitur a campsore Neapoli ex. gr. restituenda Romæ, Parisiis, aut alibi tradendo literas campsario directas alii campsori, aut mercatori Romæ, aut alibi existenti.

728. Q. Est ne licitum hoc cambium reale?

℟. Quando lucrum, quod a campsore percipitur, est moderatum juxta taxam factam a Principe, juxta loci consuetudinem, vel juxta praxim mercatorum timoratæ conscientiæ, non solum est justum et licitum; sed etiam utile imo necessarium, ut cognovit S. Pius V. (Bul. *In eam* an. 1571.). Cum enim multi monetis pretiosis, alii minutis, alii exteris, indigeant; cumque alii non sine magno incommodo, sumptibus, et periculis pecunias transferre non possint, per cambium reale his omnibus incommodis subveniunt. Et quamvis aliquid supra summam a campsore recipiatur, et adsit ejus utilitas; hoc tamen lucrum non est usurarium, sed percipitur ratione impensarum in colligendis monetis, pro ministris, pro telonio, pro correspontentiis etc. Communis.

729. Q. Cambium est ne Clericis permissum?

℟. Cambium activum, idest permutare, vel dare pecuniam in gratiam alterius, lucrum exigendo, ut faciunt campsores, hoc, veluti quæstuosa negotiatio, est Clericis prohibitum, etiamsi per interpositam personam hoc cambium vellent exercere, et sub pœnis per sacros Canones contra Clericos negotiatores inflictis, ut declaravit Benedictus XIV. (in Const. 13. die 25 Feb. 1741.). Cambium passivum vero, quo ut suis indigentiis Clerici consulant, campsorem adeunt ad necessa-

rias pecunias accipiendas, est etiam illis permissum. Quid autem sentiendum sit de Cambio temporaneo, obliquo, cum recambio etc. Vide Doctores, et præsertim laudatum Benedictum XIV. (in Syn. Diœc. Lib. X. Cap. V. et VI.).

730. Q. Licet ne uti monetis falsis?

℞. Potest evenire, quod aliquis in pecuniæ permutatione, vel alia occasione ex ignorantia, aut inadvertentia aliquam falsam monetam accipiat. Si hæc falsa moneta materialiter sit bona, idest cum impressione Principis, ejusdemque valoris, etiamsi peccarit qui eam cudit, licet tamen illam expendere; quia nulli infertur damnum. Si autem sit materialiter falsa non habens verum valorem, tunc qui eam expenderet, ad restitutionem teneretur. Non enim qui ab alio deceptus est, potest alterum decipere; damnumque suæ ignorantiæ, aut incuriæ attribuat. Communis.

731. Q. Quid dicendum, si hujusmodi falsas monetas bona fide quis expenderit?

℞. Etiamsi aliqui Doctores ad nihil eum teneri sentiant: alii autem verius, ut ait B. Ligorio (Lib. 3. n. 855.) et communius dicunt, teneri ad eas retrahendas, si sciat, apud quem existant; aliter teneri ad damnorum compensationem quia cum unusquisque teneatur solvere justum pretium pro re, quam emit, si tradat monetam stanneam ex. gr. pro argentea, non tradit pretium justum; et proinde ad compensationem tenetur; et hujusmodi falsæ monetæ vel sunt totaliter supprimendæ, vel juxta valorem materialem vendendæ.

Caput VII.

De Censu.

732. Q. Quid, et quotuplex est Census?

℟. Census, ut hic sumitur, est contractus, quo acquiritur jus ad exigendam annuam pensionem. Qui obligatur ad solvendam pensionem dicitur *censuarius*, seu *venditor*. Qui acquirit jus pensionis exigendæ vocatur *censitor*, seu *censualista*, seu *emptor*. Duplex autem principaliter est census. Alius dicitur reservativus, alius consignativus. *Reservativus* est, quando quis transfert rem suam in alium quoad dominium directum, et utile (n. 609.) reservata sibi annua pensione: ut cum quis dat alteri domum suam, vel prædium, reservando certam annuam pensionem sibi reddendam ex fructibus ipsius domus, vel prædii. Sed de hoc Censu, qui communiter licitus existimatur, non est hic sermo.

733. Q. Quid est Census *consignativus*?

℟. Census *consignativus* est, quando quis retento sibi rei suæ dominio tam directo, quam utili, obligat se ad solvendam certam pensionem ex fructibus suæ rei, seu ex industria suæ personæ illi, qui sibi dedit pecuniam. Hinc colligitur, Censum reduci ad contractum venditionis, et emptionis: censuarius enim vendit censitori, qui dedit pecuniam, jus ad percipiendam portionem fructus, qui provenit ex re, vel persona censita. Quod si fructus, seu pensio, quæ solvitur, proveniat ex re fructifera ex. gr. ex domo, prædio etc. dicitur census consignativus *realis*. Si proveniat ex sua persona, idest a sua industria, operibus, professione etc., dicitur census consigna-

tivus *personalis*. Si proveniat a re, et persona dicitur *mixtus*.

734. Q. Datur ne alia divisio Census?

℟. Maxime. Census consignativus alius dicitur perpetuus, alius temporaneus. *Perpetuus* est ille, qui semper durat. *Temporaneus* est ille, qui durat ad certum tempus ex. gr. ad 30., vel 40. annos, vel ad vitam hominis, qui ultimus dicitur *vitalitius*. Insuper Census consignativus alius est *redimibilis*, qui potest rescindi, restituendo censitori suam pecuniam. Alius est *irredimibilis*, qui rescindi non potest. Et denique alius est *pecuniarius*, quando scilicet pensio solvitur in pecunia. Alius est *fructuarius*, quando pensio solvitur ex fructibus rei censitæ, ex. gr. oleo, vino, tritico etc.

735. Q. Hujusmodi census sunt ne liciti?

℟. Jure naturæ sunt liciti, si juxta Ferraris (V. *Census* n. 12. etc.) sequentes adsint conditiones. Prima, ut census fundetur super re fructifera, ex. gr. super domo, prædio etc., vel super persona habente aliquam industriam, aut fundum, ex quo pensio solvi possit. Secunda, ut pensio solvenda taxata sit a Lege, vel consuetudine. Pro hoc Regno Neapolitano Nicolaus V. in Bulla *Sollicitudo* statuit, ut non sit ultra decem pro centum. Tertia, ut pereunte re censita vel in totum, vel in partem, æqualiter pereat census. Quarta, ut res censita non alienetur absque consensu censitoris, ne hic minus tute, vel majori cum difficultate annuam pensionem cogatur exigere.

736. Q. Quare dixisti: *jure naturæ*?

℟. Quia jure Canonico aliæ requiruntur conditiones. Pro hoc Regno Neapolitano in citata Bulla *Sollicitudo* an. 1452. statuit Nicolaus V. 1.°

ut Census fundetur specialiter super re certa, et generaliter super omnibus censuarii, seu venditoris bonis; 2.° ut apponatur pactum retrovendendi eodem pretio; 3.° ut pensio solvenda, ut dictum est, non superet decem pro centum. Hic autem nota, ex dicta Bulla Nicolai V. non sequi, quod pereunte fundo censito, census remaneat super aliis bonis censuarii, ut ait Azorius apud B. Ligorio (Lib. 3. n. 847.): cautio enim super aliis bonis ideo apponitur: quia si fundus censitus gravatus sit aliquo onere, ex. gr. fideicommisso, aut aliis venditus etc., alia bona remaneant obligata pro pensione solvenda.

737. Q. Sunt ne aliæ Constitutiones Pontificiæ super hac materia?

℞. Maxime. Sunt Constitutiones Joannis XXII. Martini V. Callisti III. et celebris Bulla S. Pii V. *Cum onus* an. 1569. quarum præcipuæ conditiones sunt, ut census constituatur super re immobili, et determinata; ut pretium in pecunia numeretur a censitore in actu celebrationis contractus; ut non fiant pacta tollentia facultatem redimendi, aut alienandi rem censitam, aut obligantia censuarium ad redimendum; ut census non augeatur ex pensionibus non solutis: ac ob pensiones non solutas, ne obligetur censuarius ad cedendum censitori rem censitam, et aliæ tendentes ad impediendas usuras sub nomine census palliatas; et ubi hæ Constitutiones vigent, sunt omnino observandæ.

738. Q. Quare dixisti: *ubi vigent*?

℞. Quia uti passim legitur apud tot Auctores, per contrariam consuetudinem legitime præscriptam non obligant in Regnis Germaniæ, Galliæ, Belgii, Neapolis; nec etiam Romæ observantur. Vi-

de B. Ligorio n. 849. Imo ut videre est ap. Benedictum XIV. (Syn. Diœc. Lib. X. Cap. V. n. 5.) ipse Pius V. supplicante Rege Philippo II. indulsit Hispanis ut in iis conditionibus, quæ juris naturalis, aut divini non sunt, non adstringerentur ad observantiam suæ Constitutionis. Ex quibus colligitur, eas conditiones, quæ sunt juris naturalis, aut divini, ubique esse observandas, etiam in illis locis, ubi hæc Constitutio non viget.

739. Q. Quid notandum circa census *personales*, et *irredimibiles*?

℞. Quod etiamsi de jure naturæ possint esse liciti, dummodo quoad census *irredimibiles* (et etiam *redimibiles* ex parte solius censitoris) minuatur judicio prudentum pensio solvenda, ut sentiunt Salmaticenses, et alii ap. Ligorio (n. 847. VIII.); nihilominus, cum spectata eorum indole, usuræ periculo, et suspicione non vacent: idcirco hortandi sunt fideles, ut pro censu personali monet laudatus Bened. XIV. (ibid. n. 6.) ad se abstinendos ab hujusmodi periculosis censibus. Ubi autem dictæ Constitutiones vigent, tales census sunt omnino prohibiti: quia in iis requiritur, ut census fundetur in re immobili (ecce exclusus census *personalis*); et relinquatur potestas censuario redimendi censum (et ecce exclusus census *redimibilis* ex parte solius censitoris, et *irredimibilis*).

740. Q. Quid notandum circa censum *vitalitium*?

℞. Census *vitalitius*, qui improprie dicitur census, est contractus in sorte constitutus, quo aliquis dat alteri fundum frugiferum, reservata sibi annua pensione, quoad vixerit, cessante post mortem quavis obligatione tum pensionis solvendæ,

cum capitalis restituendi. Cum in hoc contractu unusquisque contrahentium æquali periculo et amittendi, et lucrandi se committat, nil in eo contra justitiam reperitur, licitusque communiter cum S. Thoma (Opusc. 72. c. 9.) reputatur, dummodo pensio solvenda juste taxetur, habita ratione ætatis, complexionis, valetudinis etc. ex. gr. decem, duodecim, quatuordecim, et juxta Lessium etiam sexdecim pro centum, si exigens pensionem sit senex, vel valetudinarius. Vide B. Ligorio Lib. 3. n. 844.

Caput VIII.

De Locatione, Conductione, et Emphytheusi.

741. Q. Quid est *Locatio*, et *Conductio?*

℟. Est contractus onerosus, quo res aliqua, vel persona pro solo usu, et pretio justo ad certum tempus traditur, et accipitur. Qui tradit rem, dicitur *locator*. Qui accipit, *conductor*. Dicitur *res*, vel *persona*, quia non solum potest locari et conduci res ex. gr. domus, prædium, equus, proventus, exactiones etc., sed etiam persona seu potius ejus opera, industria etc. ut sunt medici, chirurgi, præceptores, famuli, ancillæ, mercenarii etc., qui operas, industrias, laboresque suos elocant. Et sicut locatio, et conductio habent se ad invicem, ut venditio, et emptio: hinc sicut pro venditione, et emptione pretium justum vel legale, vel naturale (ut supra diximus n. 667. etc.), vel juxta receptam consuetudinem est statuendum; sic et pro locatione, et conductione.

742. Q. Quæ sunt obligationes locatoris?

℟. Sunt multæ. Prima, ut locator occulta vitia rei locatæ conductori manifestet, ut supra (n. 663.) diximus de venditore : ut si domus sit ruinosa, si pascua sint noxia, si equus conductus solitus sit in aquam se projicere etc.; aliter ad damna compensanda teneretur, et pretium restituere, si accepit. (L. *Sed addes* 19. §. 1. ff. *Locati*). Si autem locator tale vitium occultum penitus ignoraverit, non ad damna secuta, sed ad solum pretium locationis restituendum teneretur (ibid.).

743. Q. Quænam est secunda, et tertia locatoris obligatio?

℟. Secunda est, ut conductor libere uti, vel frui possit re locata : ita ut si conductor tempore, et modo convento nequeat illa frui ob culpam locatoris, aut alterius, quem locator possit prohibere, pariter ad pretii restitutionem, et ad damna teneretur; et si non potuit prohibere propter vim majorem prohibentis, ad solum pretium remittendum teneretur (L. *Ex conducto* 15. §. 8. ff. *Locati*). Tertia obligatio est, ut locator impensas necessarias, seu utiles in re locata confectas a conductore etiam post finitam locationem duraturas refundat. Communis per textum in L. *Dominus* 55. §. 1. ff. *Locati* : dummodo aliter non sit conventum, aut alia non sit loci recepta consuetudo, ut communiter advertunt Doctores.

744. Q. Sunt ne aliæ locatoris obligationes?

℟. Quarta est, ut locator ante tempus constitutum non possit conductorem invitum absque justa causa a re ei locata expellere. Communis per textum in L. *Æde* 3. etc. sub pœna refectionis et pretii, et damnorum. Dixi : *absque justa causa* : quia si ipse locator propter aliquam impræ-

visam necessitatem re locata indigeat; vel si in ea necessarias reparationes efficere debeat; vel si conductor re locata male utatur, eam deteriorem reddendo, aut utatur contra bonos mores; vel si in longa locatione per biennium non solvat, et in brevi locatione, ex. gr. biennali, triennali etc. tempore statuto non solvat, tunc conductor etiam invitus posset expelli (L. *Æde* Cod. *de locato*, et Cap. *Propter* 3. *de locato*).

745. Q. Quænam sunt obligationes conductoris?

℟. Pariter sunt variæ. Prima, ut conductor teneatur ad pacta, et re sibi locata uti non debeat, nisi in usum, pro quo eam conduxit. Hinc si equum pro equitando conduxit, non potest uti pro onere vehendo. Si pro iter agendo Romam, non potest eum Neapolim ferre etc. absque consensu saltem rationabiliter præsumpto locatoris. Aliter si res pereat, vel deterior fiat etiamsi fortuito, teneretur ad damnum compensandum. Secunda est, ut rem sibi locatam diligenter custodiat, ita ut si ex *lata*, vel *levi* culpa (et etiam *levissima*, si ita conventum fuerit), aut sui, aut domesticorum, aut famulorum, (nisi sint probi, et periti) res pereat, aut deterior fiat, de damno pariter teneretur (arg. *Videamus* 11. in *princ.*). Quæ autem sit culpa lata, levis, levissima, vide infra n. 868. etc.

746. Q. Quænam sunt aliæ obligationes conductoris?

℟. Tertia est, ut sine justa causa nequeat rem sibi locatam dimittere ante tempus statutum sub pœna solvendi pensionem totius temporis conventi. Communis ex textu in L. *Dominus* 55. Si autem justa causa intervenerit, ex. gr. quia domus ruinam minetur; si prædium alluvione sit deva-

statum; si gravi metu injuste incusso rem conductam dimettere cogatur; aut alio modo absque sua culpa res conducta inutilis sibi facta sit, tunc pensionem solvere non teneretur (L. *Habitatores* 27. ff. *Locati* §. 1.). Quarta denique, ut tempore statuto totam solvat pensionem (L. *Quod si* 28.). Et si ob non solutam pensionem aliquod lucrum locator amitteret, vel damnum incurreret, culpabilis conductor ad compensationem teneretur. Communis (ex L. *Præses* 17. Cod. *de Locato*).

747. Q. Pensio est ne minuenda, si res conducta infructifera evadat?

℟. Licet in rigore non esset minuenda; ex æquitate tamen si absque culpa conductoris ex casu omnino insolito, et extraordinario res conducta nullos dedisset fructus, ex. gr. ex extraordinaria siccitate, grandine etc., tunc tota pensio esset remittenda, ut ex L. *Merces*, §. *Vis major* deducit Lugo (D. 29. n. 40.). Si autem aliquos dedisset fructus, ajunt Lessius, et alii ap. B. Ligorio (Lib. 3. n. 860.), tunc solum pensionem esse minuendam, quando deductis expensis, et semine, non supersit tantum, quod sufficiat saltem ad dimidiam pensionem solvendam: dummodo alia non sint pacta, vel consuetudo; aut sterilitas ex ubertate aliorum annorum vel præcedentium, vel sequentium non compensetur, ut statuit Gregorius IX. in quadam sua Extravaganti.

748. Q. Si res conducta fructus solito uberiores reddat, est ne augenda pensio?

℟. Ex dictis ita decidendum videtur; et sic varii sentiunt Doctores. Attamen sententia contraria, quam tenent communiter alii Doctores, dicit, non esse pensionem augendam, quantavis maxima sit fructuum ubertas, et quovis ex capite ista pro-

veniat. Sic expresse statuitur in citata L. *Merces: Immodicum lucrum* conductori *non aufertur.* Sic apud Ferraris (V. *Locatio* n. 77.); et sic fert consuetudo omnium fere locorum. Ratio discriminis est: quia ista maxima ubertas locatori certe non nocet. Summa autem sterilitas plurimum conductori nocet; et proinde pietas naturalis dictat, pensionem esse minuendam. Sed etiam in hoc consuetudo, et pacta sunt maxime attendenda.

749. Q. Quid dicendum de famulo infirmo?

℟. Famuli, et ancillæ locant domino suas operas, seu famulatum, pro quo dominus pensionem, seu salarium illis debet. Si ergo famuli ægrotent, cum famulatum non præstent, patet, ex justitia salarium non eis deberi; etiamsi aliqui censeant deberi, aut saltem deberi alimenta, et expensas pro curatione, præsertim quando infirmitas est brevis. Sed ob dictas rationes communis sententia negat. Dixi: *ex justitia*, quia ex charitate, casu, quo famulus, vel ancilla essent in gravi necessitate, non essent necessaria eis deneganda. Si enim charitas cum omnibus est exercenda, quo magis cum famulis, et ancillis? Bene tamen advertit Roncaglia (Q. 2. R. 3.), si alicubi esset consuetudo, ut domini teneantur ad stipendium famulis illis, qui ad annum sunt conducti, hujusmodi consuetudo esset servanda, præsertim si infirmitas non durat per multos dies. B. Lig. ibid. n. 864.

Q. Quid est *Emphyteusis*?

℟. Est contractus, quo res immobilis alteri melioranda conceditur, vel in perpetuum, vel ad vitam, vel ad duas aut tres generationes; vel saltem ad decennium, addita obligatione pensionis annuatim solvendæ domino fundi, apud quem re-

manet dominium directum. Si fundus fortuito pereat absque culpa emphyteutæ, et absque spe illum recuperandi, cessat obligatio, pensionis (L. 1. Cod. de jure Emphyt.). Si autem fundus in totum non periret, et daret saltem statutam pensionem, ex justitia hæc deberetur, licet ex jure naturæ, et charitatis esset minuenda. Hoc tamen casu (ex Cod. Neapolit. n. 1688.) liberum est emphyteutæ fundum domino directo renunciare.

Q. Quid dicendum, si Emphyteuta pensionem non solveret?

℟. Si per tempus a Legibus municipalibus statutum (in hoc Regno est tempus trium annorum, ut ex eodem Codice n. 1689) non solverit; dominus fundi directus potest petere rescissionem emphyteusis; sicut potest petere, si fundus emphyteutæ culpa deterior sit facta: quo casu etiam ad damnorum compensationem tenebitur emphyteuta. Et si Emphyteusis rescindatur, vel finierit, licet in aliquibus locis emphyteuta melioramenta non possit repetere, in hoc tamen Regno potest, ut videre est in eodem Codice (n. 1703.).

Caput IX.

De Fidejussione, Assecuratione, Pignore, et Hypotheca.

750. Q. Quid est *Fidejussio*?

℟. Est contractus, quo quis in se suscipit obligationem solvendi debitum alterius, si debitor ipse non solverit: quæ obligatio transit etiam ad hæredes (ut L. 23. Cod. *de Fidejussorib.*). Illi solummodo ad Fidejubendum admitti possunt, qui liberam rerum administrationem habent, et a le-

ge non prohibentur. Præcipue autem prohibentur mulieres, quæ nec pro filiis, nec pro parentibus, nec pro ipso marito possunt fidejubere (L. *Si cum* Cod. S. C. *Vellei*. L. *Si paternum*, L. 1. Cod. *Ne uxor*). Et si fidejubent, ad solvendum non tenentur, dummodo juramento fidejussionem non firmaverint, aut publico instrumento privilegio renunciaverint; aut pretio conductæ sint ad fidejubendum.

751. Q. Quænam sunt obligationes fidejussoris?

℟. Sunt, ut dictum est in definitione, quod si debitor non solverit, fidejussor ad omne id teneatur, eo tempore et loco, quo debitor tenebatur, et non solum in foro fori, sed etiam in foro conscientiæ, non expectata judicis sententia. Regulariter autem non potest fidejussor conveniri, nisi postquam conventus, et excussus fuerit debitor principalis, et hic inventus sit impar solvendo vel in totum, vel in partem (Auth. *Præsent*. Cod. de Fidejus.). Dixi *regulariter*, quia fidejussor potest conveniri, etiamsi conventus non sit debitor principalis, quando vel notorie constet, debitorem imparem esse solvendo; vel quando debitor sit persona præpotens, rixosa, injuriosa, vel quando debitor sit absens, dummodo intra certum tempus a Judice statuendum non promittat debitorem præsentare; vel denique si fidejussor promiserit solvere etiam non convento debitore. Ita per diversa jura ap. Ferraris (V. *Fidejussio* a n. 30. ad 36.).

752. Q. Quænam sunt jura fidejussoris?

℟. Potest debitorem convenire, ut sibi restituat id, quod solvit; et si debitor culpabiliter non solvit, potest etiam ad damna eum obligare (Inst. de Fidejus. §. *Si quid autem*, Cap. *Pervenit*, et Cap. *Constitutus* de Fidejussor.). Et insuper

juxta multos potest pro fidejussione aliquod pretium moderatum, quod non superet duo pro centenario sibi exigere; non jam pro pecunia loco alterius data (hoc enim esset usurarium), sed pro obligatione, quam sibi sumit, solvendo debitum alterius, et etiam ratione periculi, quæ omnia sunt pretio æstimabilia, etiamsi nullum timeatur periculum. Vide B. Ligorio Lib. 3. n. 912.

753. Q. Quid est *Assecuratio*?

℟. Est contractus, quo quis constituto pretio suscipit in se periculum rei alienæ, obligando se ad solvendum ejus pretium, si perierit. Ut faciunt mercatores, qui cum merces, pecunias, animalia etc. de loco ad locum per itinera periculosa sint transvecturi, conveniunt de pretio cum nauta, vecturali, aut alio, qui se obligat illas merces tradere, et in casu incendii, naufragii, latronum incursionis etc. dare æquivalens. Cum hujusmodi obligatio ex omnium judicio sit pretio æstimabilis, cum nemo sit qui aliquid libenter non conferat, ut sua res variis periculis exposita sibi assecuretur, patet, hunc contractum, qui ad sponsionem reducitur, licitum esse, dummodo requisitæ adsint conditiones. Communis.

754. Q. Quænam sunt istæ conditiones?

℟. 1. Ut pericula vera sint, aut saltem reputata ut vera, et nota tam assecuratori, quam assecuratario, sive personæ assecuratæ. Hinç peccaret contra justitiam, et ad restitutionem teneretur tam ille, qui assecuraret mercem, quam scit in tuto esse positam; quam ille, qui sciens, rem suam periisse, de ejus assecuratione cum aliquo paciscitur. 2. Ut pretium, quod pro assecuratione exigitur, sit justum, et proportionatum periculo juxta consuetudinem platearum, vel Leges

municipales. 3. Ut assecurator habeat modum solvendi : aliter manifestus esset deceptor, qui perdere non valens, agit, ut lucretur. Hic si pretium recepit, ad restitutionem tenetur, etiamsi dominus rem suam recipiat. Communis.

755. Q. Quid est *Pignus*, seu *Hypotheca* ?

℟. Est contractus, quo res alicui traditur, vel obligatur pro securitate crediti : ita ut si tempore statuto debitor non solvat, creditor petere potest, ut res oppignorata, vel hypothecata vendatur, ut ipse possit satisfieri. Etiamsi quoad effectum idem sint et Pignus, et Hypotheca, et in Jure non raro confundantur; stricte tamen loquendo pignus proprie locum habet in rebus, quæ manu traduntur creditori, maxime si res sit mobilis, ut gemma, argentum, equus etc. Hypotheca autem locum habet in rebus, quæ non traduntur, sed apud ipsum debitorem obligatæ remanent. (Servian. Inst. de action.). Cumque dominium rei oppignoratæ, vel hypothecatæ apud debitorem maneat, patet si pereat, aut fructificet, debitori perire, et fructificare : et si creditor aliquos fructus ex pignore perceperit, in sortem debet eos computare, nisi interveniat alius contractus, ut dictum est n. 706.

756. Q. Quænam sunt obligationes dantis pignus ?

℟. 1. Ut res oppignorata uni non oppignoretur alteri, nisi pro utriusque solutione satis sit. 2. Si in conservatione rei oppignoratæ aliquam impensam creditor effecerit, a debitore recompensetur. 3. Ut debitor rem oppignoratam non vendat absque consensu creditoris ; et emptorem monendo, rem illam esse oppignoratam, aut hypothecatam.

757. Q. Quænam sunt obligationes accipientis pignus ?

℟. 1. Ut accipiens pignus rem oppignoratam diligenter servet; et curet, ne pereat, aut deterio fiat; ita ut si culpa lata, vel levi res illa deterior reddatur, vel pereat, culpabilis creditor ad compensationem teneatur. 2. Ut soluto per integrum debito, statim pignus restituat. 3. Ut pignus vendere non possit, nisi debitor etiam pluries præmonitus, post transactum tempus præfixum, solvere recuset. In foro autem externo hæc venditio fieri non potest, nisi biennium post factam monitionem transierit. Quocumque autem modo vendatur, venditio justo debet fieri pretio; et excessus pretii est debitori restituendus. Collet de Contractib. Part. 2. Cap. 8.

Caput X.

De Ludo, et Sponsione.

758. Q. Quid, et quotuplex est Ludus?

℟. Ludus, ut hic sumitur, est contractus, quo ob animi recreationem ludentes paciscuntur, ut victori cedat quod ab ipsis depositum, vel conventum est. Triplex autem est Ludus; fortuitus, industriosus, et mixtus. Ludus *fortuitus* est ille, qui pendet a fortuna, et nihil, aut fere nihil ab industria; ut sunt ludi taxillorum, et illi ludi chartarum, qui vulgo vocantur *Bassetta*, *Faraone*, *Zecchinetto*, *Primera*, et similes; qui veniunt sub nomine *Aleæ*. Ludus *industriosus* est ille, in quo majorem partem habet industria, ars, dexteritas, robur etc.; ut ludus pilæ, globorum, scacchorum, scrupi etc. Ludus *mixtus* est ille, qui partim a fortuna, partim ab industria dependet; ut multi chartarum ludi.

759. Q. Isti ludi sunt ne liciti?

℟. Jure naturæ sunt liciti, dummodo requisitæ serventur conditiones; quia sicut potest quis rem suam alteri absolute donare, sic et potest etiam dare sub aliqua conditione, quæ vel a fortuna, vel ab industria pendeat. Hoc autem intelligendum, quando modica summa juxta proprium statum ludo exponatur. Magnam enim pecuniam exponere esset etiam contra legem naturalem, quæ præcipit, ne vel propria, vel aliena familia in miseriam redigatur.

760. Q. Quare dixisti: *jure naturæ?*

℟. Dixi: *jure naturæ*, quia ludus *fortuitus*, seu *alearum* saltem quando est frequens, est prohibitus tam jure canonico (Can. 42. et 43. Apost.), quam Civili (L. *Alearum* C. *de Rel.*). Imo in hac L. *Alearum* statuitur, non posse condemnari perditorem ad solvendum; et si solverit, posset repetere, etiamsi in domibus privatis hic ludus alearum fiat. Clericis autem in sacris, aut beneficiatis (Tit. *de Vita, et honest. Cleric.*) non solum vetitum est hujusmodi ludis vacare, sed etiam interesse, ac assistere.

761. Q. Quomodo peccat ludens ludo prohibito?

℟. Si vigeret Canon. 50. Concilii Quinisexti, aliique Canones, ubi hujusmodi ludus sub pœna excommunicationis prohibetur, graviter peccaretur, juxta S. Raymundum (Sum. Lib. 2.): quia hujusmodi gravis pœna non imponitur *pro levi crimine.* Cum autem pro laicis hi Canones non amplius vigeant; et citata L. *Alearum* sit pœnalis, dando victis actionem repetendi amissum, laici communiter excusantur a gravi (ap. B. Ligorio n. 885.). Clerici autem Beneficiati, vel in sacris, et multo magis Monachi non excusantur a gravi,

ut communiter tenent Cajetanus, et alii, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 897.), nisi raro, moderate, privatim, sola recreationis causa, et in modica summa id faciant: consuetudo enim contraria in C. *Inter dilectos* de *Vit. et Honest. Cleric.* vocatur vera corruptela, et omni tempore improbanda, ac removenda. Considerandæ sunt etiam Constitutiones particulares Diœcesum.

762. Q. Quænam conditiones requiruntur, ut ludi sint liciti?

℟. Quinque. 1. Ut in ludo, vel occasione ludi aliquod non committatur peccatum. 2. Ut ludens habeat dominium, et disponere possit de re, quam ludo exponit. 3. Ut sit æqualis conditio colludentium, tam pro spe lucrandi, quam pro periculo perdendi. 4. Ut alter non impellat alterum per vim, aut verbis contumeliosis etc. ad ludendum. 5. Ut ludens dolo, et fraude non utatur. Hinc si quis collusorum ludendo prorumpat in blasphemias, imprecationes, perjuria, verba obscæna (ut plerumque accidit in ludis fortuitis); vel graviter rixetur; aut nimium tempus insumat in ludo; aut nimiam quantitatem pecuniæ in damnum familiæ, creditorum, eleemosynæ etc. impendat; aut scandalo sit suo proximo, et præsertim familiæ; aut propriis obligationibus desit etc., tunc ludus asset illicitus; et pro gravitate, et levitate materiæ graviter, vel leviter ludens peccabit. Communis.

763. Q. Quid notandum circa 2. conditionem?

℟. Notandum, quod si filii familias, nisi habeant bona castrensia, aut quasi castrensia (612); pupilli, minorennes, qui sub tutore, et curatore sunt; uxores, nisi habeant bona paraphernalia

(617.); monachi, qui jam sint professi; hi omnes cum vel dominium, vel dispositionem non habeant rerum, ludere non possunt absque consensu expresso, vel tacito eorum, a quibus pendent; ita ut qui ludit cum ipsis, et vincit, debeat restituere; sicut deberent restituere filii etc. si essent victores, nisi ludant in parva quantitate, in qua parentes etc. non sint rationabiliter inviti; aut ludo exponant illam pecuniam, quam parcius vivendo sibi reservant, vel illam, quæ illis data sit ad impendendum pro libito. Communis.

764. Q. Quid notandum circa 3. et 4. conditionem?

℟. Quod cum ludus sit contractus, debet in illo æqualitas servari tam pro re, quæ ludo exponitur, tam pro peritia collusorum: ita ut si unus quatuor, et alter septem exponeret, ludus esset illicitus; sicut esset illicitus, et ad restitutionem teneretur ille, qui ob majorem suam peritiam quasi certus esset vincendi, nisi excessus peritiæ esset modicus, aut alter lusor licet hoc sciat, voluntarie cum illo velit ludere. Vide Ferraris V. *Ludus* n. 54. Quoad quartam conditionem cum quisque contractus debeat esse voluntarius, si quis alium compellat; *si amisit*, inquit S. Thomas (in 4. dist. 15. q. 2. a. 4.) *non competit ei repetitio: si autem lucratus est, tenetur ad restituendum illi, a quo lucratus est.*

765. Q. Quid notandum circa quintam conditionem?

℟. Quod etiamsi tolerentur in ludo quædam simulationes, astutiæ, et artes, quæ ludi naturam non vitient; doli autem, deceptiones, fraudes, quæ ludi naturæ opponuntur, prohibitæ sunt. Hinc qui chartas abscondit, easve aliquo signo,

quo distinguantur, notet; vel data opera adversarii chartas aspiciat, vel occultum habeat correspondentem, qui adversarii chartas certis signis manifestet; vel illas artificiose componat, ut meliores sibi obveniant; vel alias fraudes adhibeat, sine quibus victoriam non reportaret, hic contra justitiam operaretur; et non solum restituere deberet quod injuste lucratus est, sed etiam id, quod certe, aut probabiliter adversarius acquisivisset. Ita communiter cum Lugo, et aliis, quos citat, et sequitur Ferraris (ibid. n. 46. etc.).

766. Q. Quid est sponsio, et an licita?

℟. Sponsio, quæ vulgo dicitur *Scommessa*, est contractus, in quo duo, vel plures de veritate alicujus rei, vel eventus contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut ejus fiat, qui veritatem fuerit assecutus. Etsi aliqui credant, non posse a peccato veniali excusari sponsionem utpote fine honesto destitutam, cum sit lucrosa victoria, adversarii irrisio: alii econtra communiter licitam reputant, cum sequentes interveniant conditiones 1. Ut sponsio non fiat de re peccaminosa, aut prohibita. 2. Ut fiat super re dubia, et cum æquali incertitudine eventus. 3. Ut in eodem sensu accipiatur id, de quo contenditur. Hinc qui certus est de aliqua re, non potest spondere, et ad restitutionem teneretur, etiamsi, ut probabilius tenet Lugo, et alii ap. Ferraris (ibid. n. 68.) alius insistat in provocanda sponsione.

767. Q. Quænam sunt sponsiones peccaminosæ, et prohibitæ?

℟. Sunt peccaminosæ illæ sponsiones quæ fiunt super actiones malas: ut qui sponderet, se furaturum, se plus bibiturum, quam socius, se Missam die festo non auditurum, et similes. Spon-

siones autem prohibitæ et quidem sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, et summo Pontifici reservatæ, sunt illæ, quæ fiunt super electionem Papæ, vel Cardinalium, vel super vitam, et mortem ejusdem, ut constat ex Bulla Gregorii XIV., quæ incipit *Cogit nos*, in qua hujusmodi sponsiones etiam irritantur; ita ut qui vincit, ad restitutionem teneatur etiam in foro conscientiæ. B. Ligorio (Lib. 3. n. 869.), et alii.

CAPUT XI.

De Promissione.

768. Q. Quid, et quotuplex est Promissio?

℟. Est libera, et spontanea fidei datio de re licita, et possibili. Differt a donatione, quia in donatione non fides, sed res datur. Differt a proposito: quia propositum postulat, ut verba conformentur menti; et promissio postulat, ut facta conformentur dictis: ita ut potest dari verum propositum, etiamsi res proposita non impleatur; at vera non erit promissio, si res promissa non detur. Qui rem promittit, dicitur *promissor*, seu *promittens*; is, cui promittitur, *promissarius* vocabitur. Duplex autem est Promissio, *onerosa*, quæ fit ob opus a promissario præstitum, vel præstandum; et *gratuita*, quæ fit ex sola liberalitate promittentis.

769. Q. Quæ conditiones requiruntur, ut promissio sit valida?

℟. Tres. Prima, ut sit *spontanea*; ita ut si per metum etsi levem, ac reverentialem, vel per preces importunas quis promitteret, etiamsi hæc promissio sit voluntaria, non est valida, quia non est *spontanea*. Secunda, ut sit *de re licita*, *et*

possibili ; ita ut si quis promittat facere quod non potest ; vel sit peccaminosum ex. gr. falsum jurare etc. promissio nec foret valida. Tertia , ut sit *acceptata* ; ita ut si promissarius expresse , vel tacite rem promissam non curet , promissor ad eam præstandam non tenebitur , etiamsi suam promissionem juramento firmaverit : quia cum is, in cujus favorem est juratum , possit remittere obligationem jurantis (Cap. *Si de terra* 6. de Privileg.) ; cum promissarius rem promissam non curet , videtur remittere.

770. Q. Promissio valida obligat ne in conscientia ?

℟. Maxime , nisi circumstantiæ sint mutatæ. *Studiose agendum est , ut ea quæ promittuntur , opere compleantur.* (De pact. C. *Qualiter*). Et sic communiter cum S. Thoma (2. 2. q. 110. a. 3. ad 5.). Obligat sub gravi , si ex promissione non adimpleta gravis injuria , vel grave damnum quadruplo majus , quam in furto promissario resultet , dummodo promittens expresse non declararit , se nolle obligari sub gravi , sed ex mera honestate , et fidelitate. Obligat sub levi , si injuria , vel damnum sit parvi momenti , aut si promissio fuerit indeliberata. Obligat autem ex justitia , si promissio sit onerosa ob opus jam præstitum , vel præstandum , vel si facta sit cum aliquo vinculo Religionis, vel legali , ex. gr. promissio facta cum juramento , coram testibus , notario etc. Obligat ex fidelitate , quando promissio est gratuita , aut sine vinculo.

771. Q. Quare dixisti : *nisi circumstantiæ sint mutatæ ?*

℟. Quia ut ait S. Thomas (ibid.), *ad hoc , quod homo teneatur facere quod promisit* , re-

quiritur, quod omnia immutata permaneant. Hinc non tenetur stare promissis qui promisit ducere talem, quæ se faciebat virginem, et non erat; aut si erat, postea fornicetur. Vide Lib. IV. n. 382. Item qui promisit mutuam pecuniam se daturum, qua ob improvisam necessitatem ipse indiget: qui promisit gemmam, quam credebat falsam, et erat vera: qui eleemosynam pauperi promisit, qui vel talis non erat, vel ob hæreditatem certe amplius non est. Et non teneretur stare promissis, si promissarius vel renunciet suo juri, vel si nec ipse stet promissis; vel si promissio reddatur inutilis, vel noxia promittenti, aut promissario. Communis.

772. Q. Quid dicendum de illo, qui promisit absque voluntate præstandi?

R. Is est infamis deceptor; et licet vi promissionis non teneatur stare promissis, quia nulla est promissio, quæ fit absque interiori animo promittendi, vel rem præstandi, peccat tamen peccato infidelitatis; ac si aliquod scandalum, vel damnum eveniat, tenetur compensare; et si hanc fictam promissionem juraverit, reus erit etiam de peccato perjurii; et nihilominus teneretur stare promissis non vi promissionis, quæ esset nulla, sed vi juramenti, quod emisit. Sic S. Thomas (2. 2. q. 89. a. 7. ad 4.) Suarez, Valentia, Lessius, et alii multi, quos citat, et sequitur Antoine (Tract. de Relig. Cap. IV. Quest. 8. Prop. 4.). Et hoc perjurium semper esset peccatum grave, etiamsi materia promissa esset levis. (n. 410.).

Caput XII.

De Donatione.

773. Q. Quid, et quotuplex est Donatio?

℟. Est voluntaria, et libera rei collatio alteri facta; ad differentiam Promissionis, in qua non res, sed fides datur, ut n. 768. Qui dat rem, dicitur *donans*, seu *donator*: ille, cui res datur, *donatarius* appellatur. Dividitur præcipue in Donationem inter vivos, et causa mortis. Donatio *inter vivos* est illa, in qua donans, adhuc se vivente, vult rei dominium in donatarium transferri. Donatio autem *causa mortis* est illa, in qua rei dominium in donatarium non transfertur nisi post mortem donantis. Hæc autem donatio post mortem exequenda fieri etiam potest per Testamentum, Codicillum, et Legatum, ut infra dicetur. Dividitur etiam in *gratuitam*, quæ liberaliter fit; et in *remuneratoriam*, seu *antidoralem*, quæ fit ob aliquod acceptum beneficium.

774. Q. Quænam conditiones requiruntur, ut Donatio sit valida?

℟. Quædam requiruntur ex parte donantis, quædam ex parte donatarii, quædam ex parte rei donandæ. *Ex parte donantis* requiritur 1. ut sit sanus mente. Hinc donationes factæ ab amentibus, furiosis, senibus deliris, nisi factæ sint tempore lucidi intervalli, sunt invalidæ 2.° Requiritur, ut donans dominium, et administrationem habeat rei donandæ. Quæ autem personæ dominium, et administrationem habeant, et de quibus bonis, vide supra a n. 608, ad 618. 3.° Requiritur, ne quis a Lege prohibeatur donare; ut sunt surdi, et muti a nativitate signum non

dantes: sicut prohibentur donationes pure liberales, quæ a conjuge alteri conjugi fiunt, quibusdam donationibus exceptis, quas apud Auctores videre licet, et præsertim apud Ferraris V. *Donatio* Art. II. n. 11. usque ad 26. Hæ autem donationes nisi retractentur, confirmatæ censentur morte donantis.

775. Q. Quænam conditiones requiruntur ex parte donatarii?

℟. Requiritur 1.° ut donatio saltem tacite a donatario acceptetur, vel per se, vel per procuratorem, parentes, tutorem, curatorem. Communis. Requiritur 2.° ut donatarius a Lege non prohibeatur acceptare donationes; ut Domus religiosæ prohibentur accipere donationes ab earum Novitiis, qui ad professionem admittuntur: sicut et prohibentur incestuosi, et adulteri saltem publici. Requiritur 3.° ut donationes non sint extortæ, ut generaliter reputantur eæ liberales donationes, quæ a cliente fiunt Judici, Advocato, Procuratori; quæ ab ægroto fiunt Medico, aliisque professoribus sanitariis, et juxta aliquos etiam Confessario in ultima infirmitate. Dixi *liberales*: quia si hujusmodi donationes fiant titulo consanguinitatis, amicitiæ, gratitudinis etc. non sunt annullandæ. Collet Tom. 3. Tr. de Contract. Par. 2. Cap. 11. Besombes de Contract. Cap. 12. Art. 3. et alii.

776. Q. Quid notandum circa res donandas?

℟. Notandum, quod vetatur 1.° donatio illarum rerum, quæ creditori debentur (L. *Titulum* §. *Quæ in fraudem*). 2.° Vetatur illa donatio inter vivos, quæ omnia bona tam præsentia, quam futura comprehendat, quia donator habere debet aliquid, de quo possit testari (L. 16. §. *de ver-*

bor. oblig.). 3.° Vetatur liberalis donatio rerum, quæ valorem excedant 500. solidorum, quæ ap. Cuniliati (Tract. X. Cap. 3. §. IV.) respondent 713. scutatis monetæ romanæ, seu 860 ducatis circiter monetæ neapolitanæ (L. 26. *Cod. de donat.*). Valeret tamen hujusmodi excessiva donatio, si aut firmata foret juramento; aut foret remuneratoria beneficiorum; aut facta ad causas pias; aut facta cum *insinuatione*, ut ajunt, idest coram legitimo judice (Vide B. Ligorio Lib. 3. n. 733.). In hoc Regno tamen, si donans habeat filios, donatio non potest excedere dimidium bonorum (Cod. n. 829.).

777. Q. Donatio potest ne revocari?

℟. Si donatio facta sit causa mortis, etiamsi a donatario sit acceptata, ad libitum donantis potest revocari (Clarus §. *Donatio*, q. 4.), quamvis promissio, vel pactum intercesserit de non revocando: quia natura donationis facta mortis causa est, quod sit revocabilis usque ad mortem, ut per textum in §. *mortis causa* etc. Et hujusmodi donatio potest revocari non solum expresse, faciendo aliam scripturam etc., sed etiam tacite, si ex. gr. donator alteri donet, vel vendat rem donatam; si cesset periculum mortis, cujus causa donatio facta fuit (§. 1. Instit. *de donat.*) si donatarius moriatur ante donatorem (ibid.); si donator pœna capitis afficiatur (L. *si quis* 7. ff. *de donat.*).

778. Q. Donatio inter vivos est ne revocabilis?

℟. Cum legitime sit facta et acceptata, generaliter loquendo est irrevocabilis (L. ult. Cod. *de revoc. donat.* Dixi: *generaliter loquendo*; quia causæ aliquæ prævidentur in Jure, ob quas donatio inter vivos, dummodo non sit remuneratoria,

potest etiam revocari. Prima causa est ingratitudo donatarii, ut si donatarius mortem attentaverit donantis; si atroces injurias Judicis judicio cognoscendas ei præsumpserit inferre, aut illum percutere (dummodo percussio sit graviter peccaminosa); si donatarius conditiones in donatione positas, et acceptatas adimplere recuset; aut si grave damnum donatori inferre præsumpserit (ex Cap. *Propter* 10. de donationib.).

779. Q. Quænam sunt aliæ causæ?

℟. Secunda causa, ob quam donatio liberalis inter vivos potest revocari, est, si post donationem proles donatori enascatur (ex L. *si unquam* 8. Cod. de revoc. donat.) cum hac differentia, quod si donatio extraneo sit facta, revocatur in totum; si autem facta sit filio, revocari potest solum quoad legitimam ei, vel eis dandam (L. *In totius* 5. et L. *Si mater* 7. Cod. de inofficios. donation.) juxta statuta particularia nationum, quod in hoc Regno Neapolitano est dimidium bonorum donantis inter omnes filios dividendum (Cod. n. 829.). Revocatur denique, si hæc liberalis donatio sit inofficiosa filiis (ibid.): ut si pater, vel mater uni, vel pluribus filiis, aut etiam extraneo tantum donasset, ut reliquis filiis legitima non remaneat; et si in defectu filiorum, aut nepotum legitima non remaneat parentibus, aut aliis ascendentibus (L. *si filius* 4. Cod. de inoffic. donat.). Pro hoc Regno videantur quæ dicta sunt in eodem Codice a n. 878. etc.

Caput XIII.

De Testamento , Codicillo , Legato , et Executore testamentario.

780. Q. Quid , et quotuplex est Testamentum?
℟. Est ultimæ voluntatis dispositio solemniter facta. In qua dispositione pro iis locis , quæ jure Romano reguntur , est tam necessaria hæredis institutio , ut sine hac institutione Testamenta stare non possint. Communis. Dividitur autem Testamentum in *solemne* ; quod habet omnes solemnitates a jure requisitas juxta diversitatem locorum (quæ sint in hoc Regno , videatur Codex Neap. a. n. 892. ad 927.) ; et in *privilegiatum* , quod licet dictis solemnitatibus careat , ex speciali tamen privilegio valet : ut sunt Testamenta facta ad pias causas , vel a militibus in bellica expeditione , vel tempore pestis , et alia juxta diversitatem locorum. Communis.

781. Q. Quotuplex est Testamentum *solemne* ?
℟. Est duplex , Scriptum , et Nuncupativum. Testamentum autem *scriptum* subdividitur in olographum , et clausum. *Olographum* est illud , quod manu testatoris per totum scribitur , et subscribitur cum designatione diei , anni , et loci. Vide Cod. Neap. n. 895. Et hoc Testamentum , quod non ubique viget , alias solemnitates non requirit. Testamentum autem *clausum* , seu *mysticum* est illud , quod vel manu testatoris , vel manu alterius de expresso testatoris mandato scribitur ; et ipse testator illud tradens Notario , declarare debet coram idoneis testibus , illud esse suum testamentum ; et si possit , subscribat ; et si non possit per se ; per octavum testem subscribere debet.

782. Q. Quod est testamentum *nuncupativum?*

℟. Testamentum *nuncupativum*, seu *apertum*, est illud, in quo testator coram requisitis testibus hæredem suo proprio ore nominat, seu nuncupat, et declarat, quid de suis bonis post mortem fieri velit (§. *Sed hæc* 14. Instit. de Testam. ordin.). Ne autem hæc testatoris voluntas oblivioni mandetur, et facilius possit probari, hoc etiam Testamentum *nuncupativum* per publicum Notarii instrumentum solet scripto mandari (L. *In re* 4. ff. de fide instrum.).

783. Q. Qui possunt testari, et coram quibus testibus?

℟. Cum testamentum sit quædam donatio suorum bonorum post mortem testatoris executioni mandanda, et æquivaleat donationi factæ causa mortis (n. 777.); quos supra (n. 774.) diximus, posse donare, ii possunt etiam testari. Et sicut donatio causa mortis potest revocari, sic et revocari potest Testamentum. Quot autem, et qui debeant esse testes necessarii, juxta diversitatem testamentorum, et etiam juxta diversitatem locorum ii statuatur. Pro hoc Regno videatur Codex loco citato n. 896.

784. Q. Quid est Codicillus?

℟. Est veluti Testamenti appendix, seu quoddam Testamentum imperfectum tot solemnitates non requirens, in quo Codicillum condens hæredi committit, aliquid post suam mortem faciendum (L. *Per manus* 10. ff. de jure codic.); vel testamento jam facto aliquid addit, minuit, mutat. Et si testamentum ob defectum alicujus solemnitatis foret invalidum; subsisteret tamen, si in Testamento hæc clausula sit apposita, idest: *Si hæc mea voluntas non valet, ut testamentum,*

volo, ut valeat, ut Codicillus, vel valeat meliori modo, quo potest.

785. Q. Quid est Legatum?

℟. Legatum dupliciter sumi potest, vel pro re, quæ a defuncto relicta, aut legata est alicui, qui *legatarius* vocatur; vel pro actu, seu dispositione, qua in donatione, testamento, aut codicillo a defuncto res aliqua legatur, seu relinquitur ab hærede post legantis mortem præstanda (§. 1. Instit. de Legat.). Legatum secundo modo sumptum *Fideicommissum* particulare, vel universale vocatur. Si res, quæ relinquitur, sit res aliqua particularis, ex. gr. domus, gemma etc. dicitur *legatum*, seu *fideicommissum particulare.*

786. Q. Quando vocatur *universale*?

℟. Quando tota hæreditas, vel certa ejus quota alicui relinquitur, aut legatur (§. *In primis*, et §. *Præterea* Instit. de fideicom. hæred.). Is, cui hæreditas relinquitur, vocatur *fideicommissarius* (§. *Sed quia* ead. Instit.): hæres, qui hæreditatem restituere debet dicitur *hæres fiduciarius*, aut *hæres gravatus*, aut hæres *fideicommissarius* (L. *Scias* 46. ff. S. C. Tribel.). Hic autem hæres *gravatus*, in casu, quo totam hæreditatem restituere debeat, si sit necessarius, ex. gr. filius, partem legitimam, quæ sub fideicommisso cadere non potest, valet sibi retinere. Si non sit hæres necessarius, quartam hæreditatis partem retinere potest, quæ appellatur *Falcidia*, seu *Trebellianica*. Communis (ex §. *Quantitatis*, §. *Cum autem* Instit. de Leg. Falcid.).

787. Q. Testamenta, Codicilli, Legata, et Donationes absque solemnitate factæ obligant ne in conscientia?

℟. Vide quæ supra diximus de Contractibus sub numeris 654. 655. 656. et 657.

788. Q. Quis dicitur executor testamentarius?

℟. Dicitur ille, qui ab ipso testatore designatus est ad exequendam defuncti voluntatem: et in casu, quo executor designatus munus exequendi nolit, vel non possit accipere, tunc datur a Judice, vel Magistratu. Communis. Et si nullus sit a testatore designatus executor, in causis profanis est ejus hæres (ex Cap. *Nos quidem* 3. etc.): in causis piis, idest in illis, quæ Ecclesiis, Confraternitatibus, Hospitalibus, pauperibus etc. relicta sunt, est Episcopus) Trident. Sess. 22. Cap. 8. de Ref.). Imo si executor designatus, vel hæres voluntatem defuncti exequi negligat, Episcopus potest illos compellere, etiamsi testator hoc inter dixisset. Communis ex Cap. *Tua nobis* 17. de Testament.

789. Q. Intra quod tempus executor, et hæredes voluntatem defuncti exequi debent?

℟. Si testator tempus statuerit, hoc erit servandum: aliter quamprimum ipsi poterunt. Communis ex Cap. *Si hæredes* 6. de testam. Et si infra sex menses legata pia, et si infra annum legata profana exequi negligant, præter peccatum grave, quo se alligant, post judicis monitionem perdunt etiam omne id, quod eisdem alias ex testamento competit (Authent. *Hoc amplius* Cod. de fideicom. et Novel. 1. Cap. 1. §. 1.) excepta legitima in hærede necessario. Imo ex Novel. 131. Cap. 11. in legatis ad pias causas etiam sine judicis monitione dictam pœnam incurrunt, et hæredes debent legata restituere cum omnibus fructibus, quos a morte testatoris perceperunt, vel potuerunt percipere. Vide Ferraris V. *Legatum* a num. 41. ad 45.

ARTICULUS III.

De Furto, et Rapina.

790. Q. In quo differunt Furtum, et Rapina?

℟. In hoc differunt, quod *Furtum* sit occulta, et injusta rei alienæ ablatio, invito rationabiliter domino; et *Rapina* sit injusta, et violentia rei alienæ ablatio, præsente, ac renitente rationabiliter domino, aut alio justo detentore. Ex quibus definitionibus colligitur, *Rapinam* specie differre a *Furto*, ut communissime cum S. Thoma (2. 2. q. 66. a. 4.): quia præter injustam rei ablationem continetur in Rapina alia species injustitiæ circa personam ratione violentiæ, et injuriæ, quæ illi fit. Loquamur prius de *Furto*, hinc de *Rapinâ*.

791. Q. Quot sunt species *furti*?

℟. Quinque vulgo numerantur. Si quidpiam alicui privato surripiatur, vocatur Furtum *simplex*. Si usurpatur, aut intervertitur aliquid pertinens ad Fiscum, vel ex publicis pecuniis, dicitur *Peculatus*. Si pecora a pascuis rapiantur, et abigantur, appellatur *Abigatus*. Si rapiatur homo, vocatur *Plagium*. Si auferatur sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro, erit *sacrilegium*, seu *furtum sacrilegum*, et hæc quatuor ultima furta vocantur furta qualificata. Videamus nunc qui sint fures; quale peccatum sit furtum; quid censendum de furtis domesticorum, et amicorum; quid de furtis minutis; an semper sit peccatum surripere aliena; et alia magis necessaria.

Caput I.

De iis, qui furti sunt rei.

792. Q. Qui sunt rei de furto?

℟. Etiamsi stricte loquendo ii rei de furto censeantur, qui invito rationabiliter domino rem alienam injuste subripiunt; lato autem modo etiam qui rem alienam injuste retinent, deteriorem reddunt, vel proximum injuste damnificant, non solum opere, sed etiam desiderio, hujus peccati sunt rei, ut legitur in Catechismo Romano (7. Præcept. Cap. 8. n. 9.). Sunt igitur fures etiam qui furto sublata vendunt: qui res inventas, occupatas, aut ademptas retinent, quin dominum curent rescire. Ut enim ait S. Augustinus (Lib. 50. Hom. 9.): *Si invenisti, et non reddidisti, rapuisti.*

793. Q. Qui alii sunt rei de furto?

℟. Eodem scelere se alligant qui in emendis, vendendisque rebus fraudes adhibent in pondere, mensura, numero; vel alias decipiunt emptores: qui fallaces, et corruptas merces pro veris, et sinceris vendunt: qui pretium justum artificibus, aut operariis non solvunt: illi artifices, et operarii, qui totam et integram mercedem ab iis exigunt, quibus ipsi justam, ac debitam operam non dederunt: illi famuli, et rerum custodes, qui non solum ipsi rapiunt, sed sinunt, ut etiam alii dominis subripiant.

794. Q. Sunt ne alii de hoc scelere rei?

℟. Furtum præterea committere videntur qui debita solvere non curant; qui fictis, simulatisque verbis, quive fallaci mendicitate pecuniam, et alias res dolose extorquent: qui conducti ad

aliquod privatum, publicumve officium, ut medici, magistri, advocati etc., nullam, aut parvam operam dant suis muneribus exercendis: et generaliter loquendo omnes illi, qui quoquo modo rem alienam injuste auferunt, aut retinent, deteriorem faciunt, aut injuste damnificant, quos singulos enumerare longum esset, ac difficillimum.

CAPUT II.

De quantitate furti ad constituendum peccatum mortale.

795. Q. Quæ quantitas requiritur, ut furtum, aut quævis injusta damnificatio sit peccatum mortale?

℟. Etiam furtum modicæ rei per accidens potest esse mortale, vel ratione damni, quod inde evenit, lucrive, quod cessat; ut si quis a sartore auferat acum cujus defectu nequeat sibi de victu providere illa die: vel ratione mœroris, quem dominus ex furto, vel damno illo concipit: vel ratione scandali, si quis sciat, aut prævideat, ex levi re, quam subripit, dominum blasphematurum etc. Hic tamen videbimus, quæ materiæ quantitas ex se requiratur ad peccatum mortale in genere furti.

796. Q. Quæ est ista quantitas?

℟. Alia est absoluta, alia relativa. Quantitas *absoluta* est ea, quæ, ut explicat Antoine (Tr. de just. et jure C. 5. q. 5.), secundum se, et respectu omnium æstimatur notabilis, et notabilem parit utilitatem; ideoque ejus ablatio infert damnum notabile, notabili privat utilitate; et proinde reddit dominum damnificatum rationabiliter,

et graviter invitum. Et licet in hac quantitate assignanda in diversas abeant Theologi sententias, sententia tamen communior nec nimis laxa, nec nimis rigida videtur respectu omnium etiam ditissimorum magnatum esse unum circiter scutatum, seu ducatum, vel duo imperiales, vel alia moneta respondens; et duplum respectu Regum. Vide B. Ligorio (Lib. 3. n. 528.).

Q. Quænam est quantitas *relativa* ?

℟. Quantitas *relativa* est illa, quæ mensuratur secundum statum, conditionem, facultates, indigentiam personarum. Quod enim respectu unius ex. gr. divitis reputatur leve, relate ad alterum, ex. gr. ad pauperem erit quantitas gravis, et notabilis. Hinc pro regula generali statui potest, quod auferendo ab aliquo mercedem unius diei, vel quod soleat ad victum diurnum sufficere, sit quantitas notabilis, et graviter peccaminosa.

797. Q. Quid sequitur ex dictis ?

℟. Hoc sequitur, quod tertia circiter pars scutati, seu ducati, seu tria, quatuorve carolena ablata mediocriter diviti; quarta pars circiter artificibus; quinta vel sexta pars ablata ordinariis operariis sit materia gravis: quia dictæ quantitates solent impendi pro victu diurno. et hæ solent esse mercedes, quas præfati artifices, et operarii lucrantur in diem. Et sicut opulentiores majorem quantitatem soleant impendere pro victu quotidiano; et pauperes minus quinta, vel sexta parte unius ducati, sequitur, majorem quantitatem pro illis, et minorem pro istis materiam gravem constituere.

Caput III.

De Furtis minutis.

798. Q. Quale peccatum committit qui modicum quid rapit?

℟. Qui modicum quid rapit cum intentione quantitatem notabilem accipiendi, si posset; vel animo continuandi usque ad quantitatem notabilem quis furetur; aut parvum afferat damnum eidem, vel pluribus personis animo continuandi; ob hanc pravam intentionem proximo graviter nocendi, contra decimum Decalogi præceptum toties quoties graviter peccaret. Communis ex can. *Fur autem* 24. q. 6. S. Thomas (2. 2. q. 66. a. 6. ad 3.) etc. De hac prava intentione inquirant Confessarii præsertim a famulis, filiis familias, artificibus, molitoribus, venditoribus cum falsis mensuris, ponderibus etc.

799. Q. Quid dicendum, si desit hæc prava intentio?

℟. Si illa furtula sint moraliter continuata, idest commissa infra semestre, ut quidam sentiunt, aut intra trimestre, aut bimestre, ut alii volunt, licet priora furtula sint peccata venialia; quando autem ultimum furtum materiam gravem complet, tunc aut advertit ad furtula priora, et graviter peccabit; vel non advertit, et peccat leviter. Ratione autem injustæ gravis detentionis, in utroque casu sub gravi ad restitutionem tenebitur (saltem illius, et aliorum furtulorum, quæ materiam gravem complent), ut constat ex Propositione 38. damnata ab Innocentio XI. Idem dic de damnificantibus, de colonis, aliisque operariis fraudolenter laborantibus etc.

890. Q. Quid circa hactenus dicta est præterea notandum?

℟. Plura. 1.° Quod in furtis minutis major quantitas requiritur ad costituendam materiam gravem: quia damnum divisum ex communi hominum sensu non ita nocet, nec tam ægre fertur, præsertim si illa furtula diversis personis sint facta, aut facta a filiis familias, et multo magis si facta sint in esculentis, et poculentis, quæ non aliis donentur, nec vendantur; sed in proprium usum consumentur: quia parentes in uno magis, quam in alio casu sunt graviter inviti.

801. Q. Quid aliud notandum?

℟. Notandum 2. quod si post ultimum furtulum complens materiam gravem alia furtula continuentur, licet aliqui sentiant, toties quoties graviter peccari, probabilius autem est, quod continuetur idem numero peccatum mortale. Et tunc aliud novum peccatum grave constituunt, quando ad aliam gravem quantitatem perveniunt. Lessius cum aliis ap. B. Ligorio (Lib. 3. n. 538.).

802. Q. Est ne aliud notandum?

℟. Maxime. 3. Si peracta pœnitentia, et restitutione priorum furtulorum, aut saltem illius, quod materiam gravem constituat; vel si quis firmum restituendi propositum habens; et postea denuo aliud furtulum committat, non graviter, sed leviter peccabit, ut notant Molina, Sanchez, et alii cum Lugo (Disput. 16. scol. 3. n. 39.). 4. Si justa interveniente causa, illud furtulum gravem materiam complens, imo etiam magnam summam quis surripiat cum animo statim ex. gr. infra diem restituendi, hoc casu quia dominus non esset censendus graviter invitus, graviter non peccabit. La Croix (Lib. 3. Par. 1. n. 1002.).

803. Q. Quid dicendum de furtulis factis a pluribus eidem personæ?

℟. Si de communi consilio, consensu, cooperatione committantur, et furtula illa ad materiam gravem pertingant, singuli graviter peccabunt, et sub gravi restituere tenentur, et in solidum, idest nisi alii velint pro rata restituere, unusquisque teneretur ad totum cum facultate a sociis repetendi respondentem portionem. Communis: quia unusquisque ad totum damnum materialiter cooperatur.

804. Q. Quid censendnm, si furtula illa fiant *absque communi consensu* etc.?

℟. Etsi aliqui sentiant, si unus sciat furtula ab aliis commissa, omnes graviter peccare: nihilominus Habert, Lugo, Salmaticenses, et alii, quos citat, et sequitur B. Ligorio (ibid. n. 536.) contrarium sentiunt: quia tunc nemo est causa damni; quod per accidens domino evenit; et proinde singuli leviter peccabunt; et sub levi ad restitutionem furtuli, vel parvi damni a se causati tenebuntur.

805. Q. Quid dicendum, si unus fur exemplo alterius moveatur?

℟. Si ad illa furtula unus moveatur exemplo aliorum, qui dat pravum exemplum, peccabit quidem contra charitatem, sed non contra justitiam, ut probabilius sentiunt prædicti Auctores, (ibid. n. 537.) quia exemplum non est causa positive influens ad damnum alterius; et proinde pariter sub levi ad restitutionem tenebitur. Limitarem pro casu, si dans malum exemplum foret caput alicujus comitatus, ex. gr. ductor exercitus, principalis inter socios etc. quia isti prævidere debent, alios suo exemplo efficaciter moveri; et proinde

judicandi, ut supra (n. 803.) de cooperatoribus dictum est. Ita Ferraris (V. *Fur* n. 52.).

Caput IV.

De Furtis domesticorum, et amicorum.

806. Q. Quid dicendum de furtis conjugum?

℟. Ut communiter sentiunt Doctores, uxor contra justitiam peccat, et ad restitutionenem tenebitur de suis bonis parafernalibus (si habeat), marito, aut hujus hæredibus, si quid surripiat de bonis mariti, vel etiam dotalibus, vel communibus, quorum administratio ad maritum pertinet. Sicut maritus eodem modo peccabit, et ad restitutionem teneretur, si bona paraphernalia suæ uxoris surriperet; vel bona dotalia, et communia in ludis, commessationibus, aliisque vitiis impenderet. Major autem quantitas in furtis conjugum requiritur, ut sint peccata mortalia. Communis. Quid autem uxor de bonis mariti possit impendere, vide supra n. 616. 617. et 618.

807. Q. Quid sentiendum de furtis filii familias?

℟. Licet regulariter loquendo in furtis filiorum, ut supra dictum est de furtis conjugum, major materiæ quantitas ad peccatum mortale requiratur, quia parentes in filiorum furtis minus inviti esse solent, quam in illis exterorum: attamen, ut inquit S. Antoninus (Par. 2. Tit. 1. Cap. 11. §. 1.) cum communi Doctorum, *si filius familias abstulit aliquid de bonis parentum contra voluntatem eorum furtum commisit; et si est quid notabile, mortale est . . . et ad restitutionem tenetur coheredibus, nisi pater dederit, vel coheredes ipsos tantundem subripuisse certo sciat.*

808. Q. Quid præterea notandum circa furta filiorum?

℟. Si filii impendant in vanitatibus, ludis, commessationibus, aliisque vitiis illas pecunias, quas parentes ipsis concesserunt ad apprehendendas artes, professiones, ad libros emendos, aut ad alios præfinitos usus, ait Lessius (Lib. 5. C. 12. n. 50.) committere verum furtum: quia regulariter loquendo parentes hujusmodi vitiosas impensas ægre solent ferre. A restitutione eos tamen excusat, si parentes sint divites, liberales, et non tenaces, et severi: quia in primo casu potest censeri, faciliter condonaturos.

809. Q. Quid censendum de furtis Religiosorum?

℟. Si de bonis Monasterii quantitatem notabilem Religiosus subripiat, duplex grave peccatum committit, unum furti contra justitiam, et alterum proprietatis contra votum paupertatis. Communis. In esculentis autem, et poculentis nisi surripiat quantitatem valde notabilem, præsertim si in diversis vicibus accipiat, leviter peccabit: quia Superior in his potius invitus censetur quoad modum occultum, quam quoad substantiam. Sic Communis Doctorum apud Ferraris V. *Fur* n. 71.

810. Q. Quid de furtis famulorum?

℟. Si famuli, et ancillæ furentur, peccant sicut extranei, imo gravius, ut ait Ferraris (ibid. n. 62.) contra fidelitatem domino debitam, et ad restitutionem tenentur, sicut peccabunt, et ad restitutionem tenerentur si non laborant, et juxta pactiones non serviunt; aut si grave damnum inferunt, aut inferri permittunt, cum possint impedire, præsertim in illis rebus, quarum cura est eis specialiter commissa. Ita Lessius (Lib.

2. Cap. 13. n. 75. et Cap. 24.) cum aliis apud Ferraris V. *Famuli* n. 5. etc.

811. Q. Datur ne aliqua exceptio?

℟. Si famuli, et ancillæ subripiant esculenta, aut poculenta communia ipsis dari solita in usus proprios, dummodo non sint excessiva, non peccabunt graviter: quia regulariter loquendo in his domini non solent esse graviter inviti, nisi aliud ipsis famulis constet. Communis (ap. Ferrar. V. *Fur* n. 62.). Si autem hujusmodi esculenta, vel poculenta forent excessiva; aut raperent ad vendendum, aut aliis donandum; aut forent illa, quæ domini sibi solent reservare, præsertim si sub clavi serventur, cum in his casibus dominus censendus sit rationabiliter invitus, non excusantur a gravi, si illa furtula juxta dicta (a n. 799. ad 802.) perveniant ad materiam notabilem.

812. Q. Quid censendum de furtis propinquorum, et amicorum?

℟. Cum de furtis propinquorum, præsertim si in familia habitent, et amicorum regulariter loquendo dominus sit minus invitus, quam si subripiatur ab extraneis, etiam in his furtis major quantitas requiritur ad constituendum peccatum mortale. Ad judicandum autem, qualis sit ista major quantitas, juxta Lugonem (D. 16. n. 64.) considerandum est, quid sit ablatum, pecunia ne, an esculenta; si ad proprios usus, an ad vendendum, ludendum etc.; si eodem tempore, an successive; si dominus habeat multas, an paucas proles; si pauper sit, an dives; si liberalis, an tenax; si furans sit bene visus, an invisus, et similia, ex quibus colligi potest, quomodo dominus possit esse invitus.

Caput V.

De causis a peccato furti excusantibus.

813. Q. Furtum est ne quandoque licitum?

℟. Furtum proprie dictum numquam est licitum. Cum enim furtum sit occulta, et injusta rei alienæ ablatio, invito *rationabiliter* domino, est intrinsece malum, et proinde numquam licitum (Croix Lib. 3. Par. 1. 949.). Dixi: *proprie dictum*: quia si quis aliena subriperet, domino *irrationabiliter* invito, tunc ablatio rei alienæ non foret injusta, nec posset dici verum furtum, et quandoque posset esse licita. Communis.

814. Q. Quando dominus censendus est *irrationabiliter invitus*, et ablatio rei alienæ permissa?

℟. Quando quis aliena subripit vel Deo permittente, ut olim permisit Israelitis, qui spoliarunt Ægyptios (Exodi 12.); vel quando fit ob bonum ipsius domini, ut si quis auferret gladium a furioso, ne occidat; librum hæreticum, ne legat; vinum, ne inebrietur; aut si uxor pecunias a marito subripiat, ne ludis, et commessationibus prodigat; vel si auferret in casu extremæ necessitatis (Lib. II. n. 108.), aut ob justam compensationem, ut infra dicetur n. 819. etc. Communis ap. Ferrar. ib. n. 26.

815. Q. Quare in casu extremæ necessitatis dominus non debet esse invitus?

℟. Quia in casu hujus extremæ necessitatis omnia sunt communia, ut communiter Doctores cum S. Thoma (2. 2. q. 66. art. 7.); et jus ipsum naturale obligat ad vitam sibi conservandam. Qui ergo pro se, vel pro alio in extrema necessitate constituto saltem si nequeat habere necessaria pe-

tendo, tantum accipit, quantum necessarium est ad vitam conservandam, et ad se liberandum ab hujusmodi necessitate, accipit quod suum est, utpote etiam sibi competens: et proinde dominus non debet esse rationabiliter invitus; dummodo et ipse in eadem necessitate non versetur, aut non incurrat ob ablationem rei.

816. Q. Quod subreptum est in extrema necessitate, debet ne restitui?

℟. Si illa res adhuc extet in sua specie, ut si quis ad consulendum suæ vitæ gladium, vestem, equum etc. subripuit, transacta necessitate reddere debet (C. *Quod* 1. q. 7.): quia cum usus tantum, et non proprietas ipsi fuerit necessaria ad vitam conservandam, non poterat illius dominium sibi acquirere: et proinde statim ac a periculo evasit, debet restituere. Ita Collet, Salmaticenses, quos sequitur etiam B. Ligorio (Lib. 3. n. 520. q. 5. in fine). Et pariter ad restitutionem teneretur, si res consumptas in extrema necessitate subripuisset ante dictam necessitatem.

817 Q. Quid dicendum, si res ablata jam sit consumpta?

℟. Distinguendum. Si is, qui in extrema necessitate subripuit, alibi bona habet, aut sperat habere, tunc restituere tenetur: quia cum non sit absolute pauper, usus tantum, non proprietas est illi necessaria. Ita colligitur ex S. Thoma, et aliis ap. Croix (Lib. 2. n. 207.). Si autem sit absolute pauper et re, et spe, ita ut nec nunc habeat, nec sperat habere, tunc probabilius videtur, nullam in hoc casu adesse obligationem restituendi, etiamsi ad meliorem fortunam postea deveniret: quia ex eodem S. Thoma (Quodl. 5. a. 17.) qui est absolute pauper efficit suum quod

in extrema necessitate subripit, et consummat. Ita etiam Lugo, et alii, quos citat, et sequitur B. Ligorio (ibidem).

818. Q. Licet ne subripere in gravi necessitate (vide supra n. 108.)?

R/. Minime. Sic communissime omnes Doctores: quia cum in gravi necessitate nullum sit vitæ periculum, bona non fiunt communia, nec dominus esset *irrktionabiliter* invitus. Et proinde jure merito Innocentius XI. damnavit propositionem 36. quæ dicebat, *permissum* esse furari *non tantum in extrema necessitate*, *sed etiam in gravi*. Limitarem pro casu, quo necessitas sit adeo gravis, ut moraliter æquivaleat extremæ; ut si quis inveniretur in probabili periculo mortis, vel morbi gravissimi, vel captivitatis, vel incidendi in latrones; vel amittendi aliquod membrum principale, aut similia: hoc enim in casu, ut communiter apud B. Ligorio (loc. cit. sub initio), liceret stricte necessaria subripere.

819. Q. Quid requiritur ut compensatio sit justa, et licita?

R/. Septem requiruntur conditiones. Prima, ut res, quam quis subripit, sit certe sua, aut ex justitia, et non jam ob solam gratitudinem sibi debeatur (L. 4. de compens.): quia si certe non foret sua, vel sibi stricte ex justitia non debeatur, alter injuste re, quam possidet, spoliaretur, quod iniquum est. Secunda, ut rem suam nec in judicio, nec recurrendo ad amicos, nec alia via possit commode recuperare, vel saltem non absque notabili molestia, expensis etc. Tertia ut res, quæ subripitur, sit debitoris, et non jam alterius, qui rem illam debitori locaverat, commodaverat, deposuerat etc. quia tertius graveretur.

820. Q. Quænam est quarta, quinta, et sexta conditio, ut compensatio sit licita?

℟. Quarto requiritur, ut rem illam subripiendo, non adsit periculum damnificandi tertium, puta, si alius putaretur furatus quod tu subripuisti: quia hoc casu cum damno innocentis tu te compensares, quod contra justitiam, et charitatem videtur. Quinto, ut debitor non exponatur periculo rem, quam tu subripuisti, iterum tibi restituendi; quod periculum evitabitur, si meliori modo, quo possis, debitori manifestes, nihil tibi deberi. Sexto, ut, si fieri potest, accipiatur res ejusdem speciei, ex. gr. pecunia pro pecunia, triticum pro tritico etc.

821. Q. Quænam est septima conditio?

℟. Ut compensatio fiat sine præjudicio tertii, quale esset, si res, quam tu vis accipere, esset a tuo debitore alteri locata, commodata; aut si essent alii creditores forsan te anteriores, quibus omnibus solvendis tuus debitor sit impar: hoc enim tu sciens, non de toto tuo debito, sed pro rata tantum posses te compensare: aliter injuriam ceteris tu afferres. Vide infra n. 944. 945. et Croix (Lib. 3. Par. 1. a num. 961. ad 969.), et Ferraris V. *Compensatio* a n. 3. ad 12. et Doctores ab eis citatos. Licet autem cum his conditionibus compensatio sit licita, cum vero sit res valde periculosa, est semper dissuadenda, saltem sine consilio probi, ac docti Confessarii.

822. Q. Famulis licet ne compensatio?

℟. Distinguendum. Si famuli, et ancillæ de bonis domini aliquid subripiant ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt, hoc est illicitum; et propositio contraria proscripta fuit numero 37. ab Innocen-

tio XI. quia famuli contenti esse debent salarii cum domino conventi : dummodo minis, dolo, etc. coacti non forent ad serviendum pretio, quod sit minus justo, et minori, quod communiter dari solet aliis hujusmodi servitia præstantibus : hoc enim casu licita esset compensatio cum supradictis condictionibus. Sic Cardenas cum aliis, quos citat, et sequitur Ferraris (ibid. n. 24. etc.). Et ob eamdem rationem idem dic de aliis operariis, artificibus, ministris, et aliis salariatis. (Vide n. 531. 532.).

823. Q. Quid dicendum, si famuli nequeant habere mercedem, aut servitium majus præstent?

℟. Si mercedem debitam non possint habere, quamvis pluries petiverint, tunc licet etiam ipsis sibi facere cum solitis conditionibus compensationem. Et sic si famulus servitium majus convento præstet, et ab hero occupetur in aliis, ad quæ non est conductus, pro iis stipendium petere potest ; et si aliter obtinere nequiret, posset sibi occulte, ut supra, compensare. Si tamen famulus volens, et libens aliqua servitia præstaret, non potest sibi taxare stipendium, sed remuneratio esset libera domino ; et proinde non ei liceret occulta compensatio. Ita Navarrus etc. (ap. Croix supra n. 976.).

824. Q. Qui subripit a Turcis est ne reus furti?

℟. Si aliquis Christianus injuste detineatur captivus apud Turcas, aut alios Infideles, potest licite sibi subripere a domino quantum necesse est, ut redimatur, et in patriam redeat in compensationem injustæ servitutis, et damnorum, quæ pro tali causa patitur. Sic apud B. Ligorio (Lib. 3. n. 525.) decisit Congregatio S. Officii die 23. Augusti 1630. Non autem liceret, si Turca aut

alius Infidelis liber, aut servus ob sua negotia, aut alias ob causas sub fide Regia in locis Christianorum versaretur. Sic Felix Potest., quem citat, et sequitur B. Ligorio ibid.

825. Q. Est ne reus furti qui res inventas sibi retinet?

℟. Respondet S. Augustinus (Lib. 50. Hom. 9.): *Si invenisti, et non redditisti, rapuisti.* Et furtum committitur, etiamsi nesciatur, cujus sit res illa deperdita, quæ inventa est. Ita clare statuitur in L. *Falsus* (43. §. 4. ff. de furt.): *Qui alienum quod jacens lucrifaciendi causa sustulit, furti obstringitur, sive scivit, cujus sit, sive ignoravit: nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cujus sit, ignoret.* Si ergo dominus sciatur, illi restituendum. Si autem ignoretur, curet inventor id rescire affixione schedulæ, vel per promulgationem Parochi, aut alio meliori modo. Aliter si hanc indagationem omittat, et rem retineat, reus erit furti (ex ead. L. *Falsus*). Vide superius n. 627. et 628.

826. Q. Quid dicendum de furtis sacrarum Reliquiarum?

℟. Qui eas furaretur Romæ, in ejusque districtu, graviter peccaret: Clemens enim VIII., Paulus V., et Urbanus VIII., ob peculiares rationes excommunicationem latæ sententiæ indixerunt in eos, qui, invitis Rectoribus Ecclesiarum, Reliquias etiam minimas furantur. In aliis locis vero notant Sanchez, Castropalao, et alii, quos citat, et sequitur Croix (Lib. 3. Par. 1. n. 1003.) esse mortale, si foret aliqua insignis, aut rara Reliquia etsi minima, ex. gr. ex Ligno SS. Crucis, ex Capillis B. V. Mariæ etc. econtra foret veniale, si a Corpore alicujus Sancti auferret quid

minimum, ex. gr. parum pulveris, capillum, aut simile, quod Reliquiam ipsam non deformet, nec ejus æstimationem minuat.

Caput VI.

De Rapina.

827. Q. Quid est *Rapina?*

℟. *Rapina*, ut dictum est n. 790. est injusta, et violenta rei alienæ ablatio, præsente, ac rationabiliter renitente domino, aut alio justo detentore, ut custode, commodatario etc. Hæc specie differt a furto, et est gravior ob injuriam, quæ domino fit, et necessario explicanda in confessione. Et fieri potest, ut qui graviter non peccat ratione furti, peccet mortaliter in ratione rapinæ: ut si quis rem levis momenti per vim auferat a persona illustri. Hoc autem gravi peccato non solum rei sunt, qui viatorem aggrediuntur, et expoliant, aut alio modo per vim aliquid auferunt, sed multi, et multi alii.

828. Q. Qui sunt alii, qui hoc gravi peccato sunt rei?

℟. Sunt qui debitam mercedem operariis non solvunt: sunt fœneratores, qui contractibus illicitis, et usuris quod non debetur, sibi accipiunt: sunt judices, advocati, notarii, procuratores etc., qui muneribus allecti, egentium causas evertunt; qui pauperes a præpotentium tyrannide oppressos non eripiunt, cum possint, et ex justitia debeant. Sunt pariter de hoc crimine rei qui notant, et exigunt expensas non factas, vel factis majores; qui, ut litigantibus pecunias, et alias res expiscent, causas plus æquo protrahunt. Sunt con-

cussores, et publici ministri, qui aliquid sibi exposcunt, quod quis rogatus, ob metum recusare non audet.

829. Q. Sunt ne alii de hoc crimine rei?

℟. Maxime. Sunt præpotentes, qui pauperes invitos vel ad res sibi vendendas cogunt, vel eos impediunt, ne res suas valeant obtinere. Sunt illi, qui debita negant; vel quod tempore famis, et inopiæ mutuo acceperunt, renuunt restituere. Sunt milites, qui ab hospitibus, aut ab aliis civibus aliquid extorquent, ut tranquille vivere queant. Sunt illi, qui in frugum inopia frumentum occultant; faciuntque, ut sua culpa carior, et durior sit annona; et similes. Sic eruitur ex Catechismo Romano (Par. 3. de 7. Præc. a n. 11.), et a Besombes (de Furto Cap. 1. art. 4.).

830. Q. Est ne reus rapinæ qui domino vidente, et non contradicente rem aufert?

℟. Etsi reus non sit rapinæ, quia non supponitur coactio, et violentia; si autem dominus non contradicat vel ob verecundiam, vel ex aliquo metu; cum supponatur invitus, reus erit furti lato modo sumpti. Si autem metus, aut verecundia supponi non posset in domino; et posset hic contradicere, et non faciat; aut si quis prudenter præsumat, dominum esse contentum, vel certo sciat fuisse daturum, si rogaretur, Lugo, Lessius, cum aliis quos citat, et sequitur Croix (Lib. 3. Par. 1. n. 945. et 946.) dicunt quod saltem graviter non peccaret.

ARTICULUS IV.

De Restitutione.

831. Q. Quid est Restitutio?

℟. Est actus justitiæ commutativæ, quo reparatur damnum proximo per injuriam illatum, sub gravi, si materia sit gravis, ut supra explicatum est; sub levi, si materia sit levis. Hoc autem damnum variis modis potest proximo inferri, furando, defraudando, injuste retinendo, destruendo, rem alterius negligenter custodiendo, mutilando, occidendo, conviciando, honorem detrahendo, et similibus. In hoc implicatissimo Articulo, et in praxi scitu admodum necessario de multis agetur: de radicibus restitutionis; de cooperantibus ad damnum alienum; cui debeat fieri restitutio; de tempore, loco, modo, ordine, quo est facienda; de causis a restitutione excusantibus etc. quæ in sequentibus Capitibus videbimus.

Caput I.

De radicibus restitutionis.

832. Q. Quot sunt restitutionis radices?

℟. Radices, seu tituli, ex quibus restituendi obligatio oritur, etiamsi duo ab Angelico Doctore (2. 2. q. 62. a. 6.) numerentur, *res accepta* scilicet, et *injusta acceptio*: ob majorem autem claritatem quinque numerabimus, idest *ex injusta acceptione*, *seu injusta detentione*; *ex re accepta*; *ex injusta damnificatione*; *ex contractu*; *et ex Lege positiva*, quas Radices in sequentibus Paragraphis expendemus.

PARAGRAPHUS I.

De restitutione ex injusta acceptione, vel retentione.

833. Q. Qui ad restitutionem tenetur *ex injusta acceptione?*

℞. Ex injusta acceptione, vel retentione seu *ex delicto formali* restituere tenetur possessor malæ fidei, idest ille, qui etiamsi certo sciat, vel scire possit, et debeat, rem aliquam non esse suam, nec ad se jure posse pertinere: nihilominus vult illam accipere, aut retinere; ut sunt omnes illi, qui rei sunt de furto, vel rapina, ut supra diximus articulo præcedenti; vel illi, qui aliquam fraudem, dolum, aliamve injustitiam commiserunt in vendendo, emendo, in mutuo, in cambiis, in censibus, in societatibus, in locatione, in conductione, in ludo, aliisve contractibus, ut supra articulo 1.°; debitores, qui sunt in mora culpabili non restituendi. Hi omnes, et alii, de quibus infra, ex injusta acceptione, vel retentione ad restitutionem tenentur.

834. Q. Quæ sunt obligationes possessoris malæ fidei?

℞. Multæ sunt. Prima, quod possessor malæ fidei propriis expensis tenetur rem restituere, si extet, et in loco, ubi dominus eam haberet, si injuste detenta non fuisset. Et si res amplius non extet, reddere debet ejus valorem, etiamsi res illa fortuito periisset. Communis, ac certa ex Cap. ult. *de deposit.* Secunda, ut eam restituat secundum majus pretium, quod in manu ejus habuit, quamvis postea pretium decrevisset. Communis ex textu in L. *In re furtiva* 8. de condit. furt.

§. 3. Ratio est clara : quia quando res illa ad majus pretium crevit, spectabat ad dominum, et erat illi restituenda. Si ergo non fuit restituta, debetur ejus pretium. Ligorio ibid. n. 621.

835. Q. Quid sequitur ex his?

R/. Sequitur, quod si quis juvencum ex. gr. valoris viginti ducatorum subripuisset, qui postea adultus ad valorem creverit quadraginta ducatorum, quadraginta debet restituere; etiamsi postea decrevisset, deductis tamen expensis, quas ad ipsum conservandum etiam dominus facturus fuisset. Sic qui frumentum quando minoris valebat subripuit; et postea consumpsit, aut alienavit, quando pluris valebat, hoc majus pretium debet restituere, etiamsi dominus illud esset consumpturus, quando minoris valebat: quia pretium rei crescit domino. Aliter fur ex suo delicto meliorem suam conditionem efficeret, quod iniquum est. Imo si dominus frumentum illud consumpturus, vel venditurus esset, quando pretium magis crevisset, hoc summum pretium reddere deberet: quia hoc damnum domino causavit.

836. Q. Quænam sunt aliæ obligationes?

R. Tertia obligatio est, quod possessor malæ fidei tenetur etiam compensare lucrum justum, quod dominus ex privatione suæ rei amittit; et damnum, quod ei evenit: quia reapse est causa injusta talium malorum. Hinc qui pecuniam negotiationi expositam subripuisset, non solum pecuniam reddere, sed etiam lucra pro rata spei, quam habet percipiendi, et computatis periculis contingere solitis, debet compensare. Sicut compensare debet damnum, si quod ei evenit. Dixi: *lucrum justum*: quia lucrum *injustum*, ex. gr. *usurarium* non tenetur restituere, quia ex justitia non debetur. Communis.

837. Q. Est ne alia obligatio?

℟. Maxime. Quarta obligatio est, ut non solum rem, sed et omnes fructus ex re ipsa perceptos, exceptis expensis factis in eorum collectione, conservatione etc. et fructibus industrialibus (n. 850.) qui spectant ad possessorem malæ fidei, alios debeat domino reddere; et si amplius non extent, eorum valorem; etiamsi fructus illi perierint, et etiamsi dominus non percepisset: quia res semper suo domino fructificat. Imo reddere debet etiam illos fructus, quos dominus percepisset, etiamsi possessor malæ fidei eos non perceperit. Communis (ap. Ferrar. V. *Possessor* a n. 15.).

838. Q. Quid dicendum de expensis, et melioramentis factis a possessore malæ fidei?

℟. Jam dictum est, expensas esse deducendas. Cum autem hujusmodi expensæ aliæ sint *necessariæ*, sine quibus res periret, vel deterior fieret; aliæ *utiles*, quæ reddunt rem utiliorem, seu majores fructus afferentem; et aliæ *voluntariæ*, *seu voluptuosæ*, quæ conferunt tantum ad ornamentum, et delicias, ut statuæ, picturæ etc. hinc dicendum, quod possessor malæ fidei posset in conscientia sibi retinere expensas *utiles*, et *necessarias*, sicut et quod expendit in re aliena melioranda; non autem *voluptuosas*; quæ tamen si a re separari possunt, posset quidem sibi retinere. Vide Croix (Lib. 3. Par. 2. n. 208. 221. etc.).

839. Q. Si res pereat apud possessorem malæ fidei, est ne restituenda?

℟. Jam supra (834. et 837.) diximus, si res, aut ejus fructus pereant, adhuc possessorem malæ fidei, ex. gr. furem ad restitutionem teneri. Excipe, si res illa absque ullius injuria certo fuis-

set peritura etiam apud dominum, ex. gr. in naufragio, in incendio, et similibus: quia tunc damnum domino eveniret non tam per furis injuriam, qui forsan quadam die restituisset, quam per incendium, naufragium etc. Ita B. Ligorio (Lib. 3. n. 620.), et alii, quos citat Croix (Lib. 3. Par. 2. n. 218.) et confirmatur ex Lib. 1. ff. *ad Leg. Rhodian.*

840. Q. Quare dixisti: *absque ullius injuria, et si certo fuisset peritura apud Dominum?*

℟. Dixi 1.°: *absque ullius injuria*: quia si res illa certo fuisset peritura etiam domino sed per injuriam, quia ex. gr. ab alio fure subripienda foret, sicut iste fur ad restitutionem teneretur, sic et tenetur alius: nam ut bene advertit Bonacina (ap. Croix loc. cit.), qui prævenit in injuria prævenit etiam in obligatione restituendi. Dixi 2.° *si certo fuisset peritura etiam apud dominum*: quia in dubio possessio stat pro existentia rei, præsertim si non in eodem periculo, sed tempore anteriori res apud furem periisset, tempore enim postero forsan illa res in eodem loco non amplius extaret; et proinde esset tota restituenda, ut explicatum est supra n.° 837.

841. Q. Qui rem a periculo ereptam sibi retinet, est ne *injustus possessor?*

℟. Maxime: quia res a quocumque periculo ex. gr. incendio, naufragio etc. sit erepta, semper clamat ad dominum, et illi restituenda, detractis expensis, et merito laboris, et periculi ad illam eripiendam, et conservandam. Ita Cuniliati (Tr. 9. Cap. 5. §. 6. n. 3.). Limitarem pro casu, ut supra dixi (n. 628.) cum B. Ligorio (ibid. n. 603.), si spectatis circumstantiis, sit moraliter impossibile, rem, aut ejus pretium ad dominum

posse pervenire vel ob longitudinem temporis, vel ob distantiam loci, vel quia res, ex. gr. merces, vel pecunia a naufragio erepta a domino recognosci non possit: quia tunc dominus perderet de ea dominium; et tamquam derelicta, foret primi occupantis.

842. Q. Sunt ne alii malæ fidei possessores?

℟. Præter alios, de quibus infra Cap. 11. sunt etiam fures illi, qui invito rationabiliter domino sive per se, sive per alios in alienis prædiis vel piscantur, vel lignantur, vel uvas, ceterosque fructus asportant, vel pascunt armenta antequam herbæ, fœna, segetes, fructus etc. colligantur. Sunt pariter fures, imo rapaces, qui ut se a justo tributo solvendo eximant, numerum propriorum animalium diminuunt, si ob id alii proprietarii graventur. Hi omnes peccant, et ob injustam acceptionem ad restitutionem tenentur, et ad omnia damna compensanda, ut jubetur in Exodo (22. 5.) *Pro damni æstimatione, restituet.*

843. Q. Quid dicendum de defraudantibus tributa, gabellas etc.

℟. Regulariter loquendo etiam hi peccant, et ad restitutionem tenentur, quando sunt justa. Sic præcipit Christus (Matth. 22. 21.): *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; quæ sunt Dei, Deo.* Et etiam Apostolus Paulus (Rom. 13. 7.): *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Ratio: quia sicut Rex tenetur vacare saluti populi, et aliis oneribus; sic tenetur populus solvere Principi vectigalia ad ejus sustentationem.

844. Q. Quare dixisti: *regulariter loquendo?*

℟. 1. Quia certum est, ut ait B. Ligorio (lib. n. 615. Q. IV.) de jure apud omnes, nullum

deberi vectigal de rebus cuique deservientibus ad usum proprium, et familiæ, ut expressum habetur in L. *Universi* (Can. de vectigal.): nisi, ut limitat S. Antoninus cum aliis (loc. cit.) aliquod vectigal expresse imponatur etiam deferentibus bona ad usum proprium. Dixi 2.° *regulariter loquendo*: quia, ut ajunt Bartolus, Panormitanus, Lugo etc. apud eamdem B. Ligorio (loc. cit.), pauperes, si non possent alere se, et suos etiam cum mediocri lucro ex negotiatione; aut quia habent multos filios, aut debita; vel propter alias necessitates, non tenerentur gabellas solvere; quia jus naturale postulat, ut quis prius alat se, et suos; et postea tributa solvat.

845. Q. Lucrum ob actionem peccaminosam adceptum est ne restituendum *ex injusta acceptione?*

℟. Si actio mala non est adhuc patrata, ab hac est abstinendum, et lucrum restituendum: quia ex vi nullius contractus induci valet obligatio ad perpatrandum peccatum; et quæcumque pactio ad hoc committendum est nulla. Si autem actio mala est jam patrata, tunc, si adsit Lex, quæ prohibeat hoc lucrum retineri, prout vetatur retineri quodcumque est simoniace, vel usurarie receptum, etiam in hoc casu lucrum, quod per peccaminosam actionem est acceptum, est pariter restituendum.

846. Q. Quid dicendum, si Lex non vetet?

℟. Tunc non est restituendum. Hinc quod percipitur, ex. gr. ex lenocinio, meretricio, histrionia, et aliis hujusmodi, ut loquitur S. Thomas (in 4. d. 15. q. 2. a. 4. q. 2. et 2. 2. q. 87. a. 2. ad 2.) cum pluribus Doctoribus, quos citat, et sequitur Croix. (Lib. 3. Par. 2. n. 289.)

contra plures alios, etiamsi actio sit peccaminosa, lucrum perceptum non est restituendum : dummodo non sit immoderatum ; aut fraude, dolove quæsitum ; aut datum a non habente potestatem donandi (n. 774.). Expediret tamen, ut Confessarii obligarent pœnitentem ad dandum hujusmodi lucrum pauperibus, nisi ipse sit pauper : ne, ut bene advertit Antoine (Tr. de Just. et jur. c. 3. q. 14. resp. 3.), ad peccatum perpatrandum iterum alliciatur.

847. Q. Si datur aliquid ex actione aliunde debita, potest ne juste retineri ?

℟. Si quis aliquid exigere vellet ex actione, quæ debetur ex justitia, ex. gr. ut res deperdita, aut depositum restituatur ; ut falsum in judicio non deponatur ; et similia, non posset retinere : idem enim esset, ac si dans rem suam emeret, quod iniquum est. Excipe, si detur sponte ob meram liberalitatem, et gratitudinem, ut credi potest, quod detur inventori rei deperditæ præsertim si res sit magni valoris, vel rara. Si autem actio illa non debeatur ex justitia, sed ex alia virtute ex. gr. ex charitate, tunc si quid sponte donetur, potest licite retineri, præsertim si ob illum charitatis actum aliquid laboris, periculi, vel sumptus quis subierit, ad extinguendum ignem ex. gr. ad expellendum lupum a grege etc. Sic communiter Doctores (ap. Croix. n. 293. etc.).

PARAGRAPHUS II.

De restitutione ex re accepta.

848. Q. Quis ad restitutionem tenetur *ex re accepta?*

℟. Ex re accepta, seu *delicto materiali* restituere tenetur possessor bonæ fidei, idest ille, qui possidet rem aliquam, ex. gr. equum, gemmam, prædium, aut aliud, quod bona fide credit esse suum, et postea comperit esse alterius. Hic usquedum stat in bona fide, dicitur possessor bonæ fidei, et ad nihil aliud tenetur, nisi ad restituendam rem cum fructibus non industrialibus, si adhuc extent. Communis. Comperta autem veritate, si quamprimum commode potest, non restituat, dicitur iniquus detentor, et reputandus esset velut possessor malæ fidei, de quo Paragrapho 1.° dictum est. Excipe, si res, aut ejus fructus sint legitime præscripti: quia tunc, ut supra (a n. 634. ad 643) diximus, ad restitutionem non teneretur. Ita communiter Doctores ap. B. Ligorio (L. 3. n. 607.).

849. Q. Si res aliena non amplius existat, debetur ne restitutio?

℟. Distinguendum. Si rem illam, ex. gr. gemmam, equum vendidisti, tunc reddere debes ejus pretium, et fructus ab industria non provenientes, si quos percepisti, deductis expensis: quia bona fides non dat tibi rei alienæ dominium, nec ex re aliena potes ditescere. Si autem gemma fuit deperdita, aut donata, equus mortuus etc., si nullum lucrum accepisti, nec ex eo factus sis ditior, ad nihil teneris: quia cum bona fides tollat culpam, si ad restitutionem tenereris, de proprio deberes expoliari, quod ex reg. 48. jur. in 6. nemo dicet.

850. Q. Quare dixisti: *ab industria non provenientes?*

℟. Quia fructus possunt esse naturales, civiles, industriales, et mixti. *Naturales* sunt illi, qui

ab ipsa re proveniunt absque ulla quasi hominum opera, ut sunt fœtus animalium, lana ovium, fructus arborum, herbæ pratorum etc. *Civiles* sunt illi, qui in foro civili ut tales habentur; ut sunt pretia rerum elocatarum, pensiones, stipendia etc. *Industriales* sunt illi, qui soli humanæ industriæ correspondent; ut sunt lucra; quæ proveniunt ex pecunia censui, cambio, ludo, negotiationi etc. exposita; lucrum, quod quis retrahit ex ligone, falce, aliisque instrumentis etc.

851. Q. Qui sunt fructus *mixti*?

℟. Sunt illi, ad quorum productionem notabiliter concurrunt tam natura, quam industria; ut segetes ex agro, vinum ex vinea etc. Hinc quod tu lucratus es ex alterius ligone, falce, pecunia negotiationi exposita etc., non teneris restituere; quia sunt fructus, et lucrum tuæ industriæ. Communis. Fructus vero naturales, civiles, et mixti (ob eam partem, quæ ex natura provenit), quos tu lucratus es ex alienis arboribus, pratis, jumentis, vel domibus locatis etc., nisi sint legitime præscripti, ut supra dixi (n. 848.) deductis expensis forsitan factis, restituendi sunt; et si amplius non extent, restituere debes id, in quo factus es ditior, idest illud, quod ratione illorum fructuum nunc habes, quod alioquin non haberes.

852. Q. Quid ex dictis inferendum?

℟. 1.° Si oves furtivas, te omnino ignorante, justo pretio tu emeris, deductis expensis in eas conservando, comparente domino, restituere teneris una cum fœtibus, si extent: etiamsi pretium a tuo venditore non posses recuperare. Ad impedienda vero tot inconvenientia, in Codice

Neapolitano (n. 2186.) statuitur, quod si res furtiva (bona fide) empta sit in nundinis, mercatibus, sub hasta publica, vel a mercatore, qui hujusmodi res vendere soleat; si dominus velit illam repetere, debeat reddere possessori pretium ab ipso solutum. 2.° Si gemmam, te nesciente, furtivam bona fide tu donasti, tunc si illam non habens, aliam non donasses, ad nihil teneris: quia nec res amplius extat, nec ex ea factus es ditior. Si autem gemmam illam non habens, tuam donasses, cum parcendo tuæ factus sis ditior, tuam, vel ejus valorem debes domino reddere. 3.° Si pecuniam furtivam negotiationi, vel ludo exposuisti, etiamsi pecuniam reddere debeas, lucrum autem, quod ex negotiatione, vel ludo fecisti, restituere non debes: quia est lucrum, et fructus industriæ tuæ.

853. Q. Qui dubitat, an res, quam bona fide possidet, sit sua, potest ne eam retinere?

R/. Si dubitet ob leves rationes, et conjecturas, dicit Sporer (Tom. 2. Tract. 2. Sect. 2. n. 91.) tuto posse retinere: quia ob leves rationes nemo tenetur contra seipsum inquirere. Si autem dubitet ob graves, et probabiles rationes, tenetur diligenter examinare, an reapse res illa sit sua, an aliena. Et si comperiat esse alienam, reddere eam debet cum fructibus, uti est supra (a num. 848.) explicatum, domino, si sciatur; pauperibus, vel in alios usus pios, si dominus ignoretur. Si autem post diligens examen veritas non comperiatur, et dubium continuet, tunc potest licite ut suam illam retinere; quousque, ut notat doctissimus Cardinalis Gerdil (Theo. Mor. Lib. 3. Par. 2. Cap. 2.) *certe constet, eam ad alterum pertinere*. Communis ex textu in L. Ne-

mo 126. §. 2. ff. de Reg. juris: quia in his dubiis *melior est causa possidentis*. Sunt qui in æqualitate dubii dicunt, restituendam esse medietatem.

854. Q. Possessor bonæ fidei cum restitutione rei tenetur ne compensare damna, quæ domino illius rei evenerunt?

℟. Si damnum non provenerit ex mora culpabili in restituendo, ex dictis constat, quod non; possessor enim bonæ fidei tenetur tantum restituere rem, si extat, cum fructibus non industrialibus existentibus, aut, id, in quo factus est ditior. Excipe, si possessor ille bonæ fidei sit hæres possessoris malæ fidei, ex. gr. patris: aut alius personæ usurariæ, latronis, damnificantis etc. quia sicut hæres per fictionem juris consideratur una persona cum defuncto: sicut is succedit in omnia jura; sic succedere debet in omnes ejus obligationes, inter quas, ut dictum est n. 836. est obligatio compensandi damni, si quod domino evenit, et lucri, si quid dominus amisit, nec ob malam fidem defuncti potest ullo tempore præscribere (n. 643.). Ita ex L. *Cum hæres* etc. ap. Ferraris V. *Possessor* n. 66. Ad hæc autem non teneretur donatarius, legatarius, aut alio titulo in hæreditatem succedens. Ferrar. ibid. n. 68.

Paragraphus III.

De restitutione ex injusta damnificatione.

855. Q. Qui ad restitutionem tenetur ex *injusta damnificatione*?

℟. Extra materiam contractuum, Legumque dispositionem, de quibus infra Paragraphis IV. et

V., ad restitutionem tenetur *culpabilis damnificator*, idest ille, qui per se, vel per alios alteri aut infert damnum, aut bonum impedit. Ut qui aliquem occidit, vulnerat, calumniatur, ejus domum incendit; aut impedit a consequendo beneficium, officium etc. Dixi: *culpabilis*: quia si non adsit culpa, seu peccatum, restitutio non debetur. Ita communiter cum S. Thoma (2. 2. q. 62. a 5.). Ratio, quia restitutionis obligatio ob damnificationem non tam oritur ex damno ipso, quam ex injuria, seu culpa causantis.

856. Q. Quid sequitur ex his?

℟. Sequitur, quod si quis recordetur, se in amentia, vel in infantia ante usum rationis aliquod damnum effecisse; si judex reum juste damnet ad mortem; si executor eum jugulet; si milites in bello (n. 566.) justo occidunt etc.; sequitur in quam nos omnes ad restitutionem non teneri, quia non adest culpa, seu peccatum. Idem dic de eo, qui ob zelum Dei impedit, ne beneficium indigno conferatur; ne ancilla infidelis, vel inhonesta ad servitium recipiatur, vel retineatur, et similia: quia nullus ex supradictis censendus est *damnificator culpabilis.*

857. Q. Quis ergo censendus est *damnificator culpabilis?*

℟. Ille, qui invito rationabiliter domino, per voluntariam externam actionem, vel omissionem contra justitiam commutativam vel intendit damnum; vel prævidet, aut saltem prævidere debet, et potest damnum eventurum, vel bonum impeditum iri. Dixi: *voluntariam, et contra justitiam commutativam*: quia ex sola *voluntaria* hujus justitiæ violatione jus alterius læditur, ex qua oritur obligatio restitutionis, ut colligitur ex S. Tho-

ma (2. 2. q. 62. a. 1.). Hinc si cum illa actione, aut omissione violetur Charitas ex. gr. aut alia virtus, etiamsi peccetur, restitutio non debetur.

858. Q. Quid deducitur ex his?

℟. Varia Consectaria deducuntur. 1. Quod ad damna reparanda quis teneretur, non solum si data opera segetes alienas incenderet, sed etiam, si suam sepem succendendo, ignis ad vicini segetes extenderetur: quia hanc extensionem prævidere debebat, et poterat. 2. Si quis, omisso digniori, ad Beneficium Ecclesiasticum eligeret minus dignum; si hoc Beneficium sit simplex, etsi peccaret contra justitiam distributivam, non teneretur tamen ad restitutionem, juxta sententiam Navarri, Lessii etc., quam B. Ligorio (Lib. 4. n. 106.) vocat probabiliorem: quia dignior non acquisivit jus strictum ad tale Beneficium.

859. Q. Quid dicendum, si Beneficium sit curatum?

℟. Si Beneficiatus sit a Patrono præsentatus, etiamsi Patronus omittens digniorem, etiam peccet contra justitiam distributivam, præsertim si Patronus sit Ecclesiasticus (B. Lig. ib. n. 97.): ob eamdem rationem, quia dignior jus ad Beneficium non acquisivit, ad restitutionem non tenetur. Si autem Beneficium conferatur per concursum, cum juxta probabiliorem, et communiorem sententiam (ib. n. 109.) dignior jus ad Beneficium acquirat, tenebitur Elector ad restituendum digniori omisso; et juxta Salmaticenses, et alios apud eumdem Beatum (n. 106.) damnum resarcire Ecclesiæ ob electionem minus digni.

860. Q. Sunt ne alia Consectaria?

℟. Maxime. 3. Si quis sciens, Titium consecu-

turum esse hæreditatem, Beneficium, Officium ex. gr. Judicis, Advocati, Medici, Ministri, Famuli etc. et invidia motus curet impedire, distinguendum. Si Titius ad talia jus habebat, damna compensare teneretur. Si autem hoc jus non habebat, et solis precibus, et suasionibus impedivit, peccaret contra charitatem, sed ad restitutionem non teneretur. Denique si impediat minis, dolo, mendaciis, et similibus, tunc teneretur: quia unusquisque jus habet, ne dolo etc. impediatur ab assecutione alicujus boni. Ita Layman etc. ap. La Croix (Lib. 3. Par. 2. n. 68. et 69.).

861. Q. Est ne aliud Consectarium?

R⁄. Utique. 4. Si quis post occisum hominem, ponit cadaver ante portam inimici, non solum tenetur restituere hæredibus occisi, sed compensare etiam damna, si quæ inimico eveniant (Sanchez, Croix loc. cit. n. 158.); tum quia actionem inimico injuriosam efficit, tum quia si restituere debet qui dolo aliquem impedit a consecutione boni; multo magis si dolo damnum causet. 5. Si quis pabulum jumentis præbiturus, pergat de more ad fœnile; et pedibus offendens, cadat, ruptaque lanterna, flamma arripiat fœnum, et comburatur, cum hæc damnosa actio sit *involuntaria* in se, et in causa, et propterea *inculpabilis*, ex dictis n. 856. ad restitutionem non tenebitur.

862. Q. Quid dicendum de damnis in ebrietate causatis?

R⁄. Si quis experientia edoctus sciat, se ebrium solitum esse rixas movere, vulnerare, aliave damna facere, si hæc damna non præcaveat, ad restitutionem tenebitur. Ita Lugo, et alii apud Croix (ibid. n. 193.); quia hujusmodi damna sunt

jam prævisa, ac voluntaria si non in se, saltem in causa. Si autem non sint prævisa: quia alias in ebrietate damna non fuerit solitus efficere; nisi in se sint voluntaria, ad restitutionem non tenebitur, nisi post sententiam Judicis, qui per legem Aquiliam posset illum obligare.

863. Q. Quomodo per omissionem potest damnum causari?

℟. Quando quis culpabiliter omittit id, ad quod ex justitia tenetur, ne damnum sequatur. Ut in supradicto casu de eo, qui intrat fœnile sed non cum lanterna, sed cum lumine aperto, quod parum caute portat, si fœnile incendatur, ad restitutionem tenetur, quia omittit id, ad quod ex justitia tenetur. Idem dicendum de eo, qui canem ferocem, ursum, aut aliam feram absque custodia tenet, si aliquod damnum ista animalia inferant, dominus restituere debet, quia in aliorum perniciem omisit id, ad quod jure tenebatur. Communis cum Cuniliati (Tr. 9. Cap. 7. §. 7. n. 4.). Et sic de similibus.

864. Q. Quare in definitione damnificatoris culpabilis (n. 867.) dixisti: *invito rationabiliter domino*?

℟. Quia si damnum aliquod eveniret invito domino sed *irrationabiliter*, restitutio non deberetur. Hinc si ministri justitiæ latrones insequendo coacti sint intrare, et damnificare segetes alienas, adhibita possibili diligentia; ad restitutionem non tenerentur: quia cum bonum publicum prævalere debeat privato, dominus esset *irrationabiliter* invitus, si ad avertendum damnum a suo prædio vellet impedire transitum. Et eadem ratione ad restitutionem non teneretur qui coactus a latronibus ad evitandam mortem (vita enim prævalere de-

bet bonis fortunæ) vitulum, aut equum alterius illis traderet.

Paragraphus IV.

De Restitutione ex Contractu, vel quasi Contractu.

865. Q. Qui *ex contractu* ad restitutionem tenetur?

℟. Est ille, qui in formatione contractus ad aliquid restituendum, aut reddendum sese obligavit, ut in venditione, commodato, precario, deposito, mutuo etc. Sed sicut contingere potest, ut res antequam reddatur, aut restituatur, in manu pereat detentoris, hinc videndum est, an detentor teneatur restituere, vel compensare damnum, quod domino illius rei obvenit.

866. Q. Si ergo res restituenda pereat in manibus detentoris, debet ne fieri compensatio?

℟. Si res casu mere fortuito absque detentoris culpa eveniat, cum res domino pereat, aut deterioretur, nulla est facienda compensatio; dummodo detentor culpabiliter morosus non fuerit in restituendo, vel conventionem factam non fuerit prætergressus, vel si aliter non fuerit juste conventum. Communis. Hinc si quis domum transferens triticum mutuo acceptum onustum super mulam commodatam, a latronibus fuerit aggressus, et spoliatus; cum in mutuo dominium transferatur (n. 689.), non autem in commodato (n. 684.), triticum periret mutuatario, mula commodanti.

867. Q. Quare dixisti: *dummodo detentor culpabiliter morosus* etc.?

℟. Quia si detentor determinato tempore rem non reddat absque explicito, vel implicito consen-

su domini, ex. gr. equum venditum, commodatum, depositum, locatum etc., etiamsi fortuito equus periret, detentor ad compensationem teneretur; dummodo etiam apud dominum non esset periturus: Sic si equum commodatum pro octo diebus, et usque ad patriam longiori tempore detineret, vel longius præter pactum duceret, et ideo periret; pariter teneretur compensare: sicut ad compensationem teneretur, si conventum fuerit de compensatione, etsi equus fortuito periret. Communis. Vide Croix (Lib. 3. Par. 2. a n. 178.). Cum autem dictum pariter sit: *absque ulla detentoris culpa eveniat*, videndum nunc est, ex quali culpa compensatio debeatur.

868. Q. Ex qua culpa in contractibus oritur obligatio restituendi, seu damni compensandi?

℟. Culpa alia est *theologica*, quæ est peccatum sive mortale, sive veniale. Alia est *juridica*, seu *civilis*, quæ est omissio illius diligentiæ, quæ ad evitandum alterius damnum potuit, et debuit adhiberi; etiamsi hæc *juridica* culpa conjuncta non sit cum culpa *theologica*, seu peccato. Culpa autem *juridica* subdividitur in latam, levem, et levissimam, et juxta multos etiam in latissimam.

869. Q. In quo differunt hæ culpæ?

℟. Culpa *lata* est omissio illius diligentiæ, quam homines ejusdem conditionis, regionis, ac loci solent communiter adhibere; adeoque adjunctam habet positivam negligentiam, et plerumque est conjuncta cum culpa *theologica*, seu peccato. Ut si pastor saltem paxillo juxta morem patriæ ostium stabuli non firmet; ventoque ostium aperiatur: qua de causa a lupo ovis aliqua rapiatur. Si autem pastor ea malitia, et intentione apertum stabulum relin-

quat, ut ovis a lupo voretur, aut alio modo pereat, ejus culpa erit *latissima*.

870. Q. Quænam est culpa levis, et levissima?

℟. Culpa *levis* est omissio illius diligentiæ, quam homines diligentiores ejusdem conditionis etc. solent adhibere. Ut idem pastor, qui oves in stabulum intromittendo, ostium sera non claudit: quia pastores diligentiores, ne oves subripiantur, ostium sera claudunt. Culpa autem *levissima* est omissio illius diligentiæ, quam solertissimi adhibent. Ut idem pastor, qui ostium claudit quidem, et clausum credidit, sed manu non tentavit, an esset bene clausum.

871. Q. Per quam ex hisce culpis compensatio debetur damni allati in contractibus?

℟. Si culpa tam *juridica*, quam *teholologica* sit prorsus involuntaria, ante judicis sententiam coram Deo, et in conscientia ad nullam compensationem obligat. Si autem causa deducta sit ad forum contentiosum, post latam sententiam obligat. Ita colligitur ex S. Thoma (2. 2. q. 62. a. 3.), et ex aliis Doctoribus, quos citat, et sequitur Croix (ibid. n. 175. etc.); alias sententia judicis redderetur frustranea, si damnificans non teneretur parere; nec obtineretur finis Legum, qui est, ut major cautela servetur pro evitandis ejusmodi damnificationibus.

872. Q. Quid dicendum, si culpa *juridica* sit voluntaria?

℟. Si cum culpa *juridica* conjuncta non sit etiam culpa *theologica*, communiter dicunt Doctores apud B. Ligorio (Lib. 3. n. 554.), nullam pariter ante judicis sententiam adesse coram Deo obligationem compensandi; aut saltem, ut alii addunt, nisi dominus rem suam exposcat: quia Le-

ges civiles infra citandæ sunt pure pœnales, quæ ante judicis sententiam non obligant. Alii autem Doctores apud Croix (n. 117.) probabilius, et communius docent, hanc compensationem deberi etiam ante judicis sententiam, et etiam si a domino compensatio non exposcatur: eo quod Leges ita disponentes sunt consentaneæ naturali æquitati, et proinde observandæ.

873. Q. Quænam ergo regulæ servandæ sunt in restitutione, seu compensatione ob solam culpam *juridicam?*

℟. Distinguendum. Si contractus factus sit in gratiam solius recipientis, ut in commodato, detentor commodati tenetur ad compensationem damni etiam ex sola culpa juridica *levissima*. Ita deciditur in Cap. un. *de Commodato*. Æquitas enim postulat, ut ob tantum favorem exactissimam adhibeat diligentiam. Si contractus sit in gratiam solius dantis, ut in deposito, detentor tenetur ex culpa *lata* (Lib. 3. Instit. Tit. 15. §. 3.). Æquitas enim exposcit, ut in conservanda re aliena absque nulla sua utilitate, non majorem teneatur quis adhibere diligentiam, quam in conservanda re propria.

874. Q. Quare dixisti: *absque nulla sua utilitate?*

℟ Quia si ex conservatione depositi aliquam detentor accipiat utilitatem, ut accidit in tabernariis, vecturalibus, nautis etc. qui stipendium recipiunt; cum hoc casu contractus cederet in gratiam tam dantis, quam recipientis, ut accidit etiam in contractibus venditionis, locationis, societatis etc.; tunc detentor teneretur (ibid. §. 4.) etiam ex culpa *levi*: et proinde tenetur eam adhibere diligentiam, quam diligentiores solent adhi-

bere. Imo si res deposita sit valde pretiosa, ut gemma, liber rarus, et similia; aut si detentor sese exhibuerit ad diligentius conservandam rem depositam, teneretur etiam ex culpa *levissima*: maximam enim attentionem debet exhibere qui res pretiosas conservat, aut sese offert ad rem conservandam.

875. Q. Quid ex dictis infertur?

℟. Infertur. 1.° Quod si quis ab incendio, naufragio, aliove communi periculo non posset rem propriam, et simul rem sibi commodatam salvare, salvare debet commodatam; dummodo res propria non sit majoris valoris. Sed si salvet rem propriam; debet pretium rei commodatæ commodanti solvere: tum quia diligentia maxima in custodienda re commodata requiritur; tum quia æquum non est, re sua privari eum, qui ob solius commodatarii utilitatem eam dedit. Vide alias sententias apud Croix (n. 182.).

876. Q. Quid dicendum, si res sit deposita, aut locata?

℟. Si res sit deposita; posset quis rem propriam salvare; dummodo deposita majoris valoris non sit. Sed si rem depositam salvet, potest a deponente pretium rei propriæ deperditæ repetere: utiliter enim deponentis causam gessisset. Si autem res sit locata, salvetur pretiosior. Sed cum in utilitatem et locantis, et conductoris fiat locatio, damnum rei deperditæ in utrumque dividatur. Vide quæ dicta sunt supra in fine num. 874.

877. Q. Quid aliud infertur ex dictis?

℟. Infertur. 2.° Quod si quis remittens ad dominum rem commodatam, et multo magis locatam, aut depositam, remitteret per servum a domino missum, designatum, aut per alium satis

fidum, si hic aufugeret, et res ad dominum non perveniret, res domino periret: cum enim absque culpa etiam juridica, et etiam *levissima* (diligentissimi enim majorem non solent diligentiam adhibere in remittenda re ad dominum) damnum eveniret, casu fortuito periret. Hoc intelligendum, si aliter non sit conventum. Si autem res sit mutuo accepta, quocumque casu ad mutuantem non pervenerit, semper mutuatarius ad restitutionem tenebitur: quia cum mutuatarius sit dominus rei mutuo acceptæ, ipsi perit, nisi remittat per servum, ut supra: quia tunc ipse dominus censetur accepisse per servum designatum.

878. Q. Quis *ex quasi contractu* ad restitutionem tenetur?

℞. Est ille, qui delinquit in officio: ut si ex culpa judicis, advocati, medici, notarii, ministri, famuli etc. damnum alicui eveniat, isti ad restitutionem, seu compensationem damni tenentur. Sed regulariter loquendo tenentur tantum ex culpa *lata*. Dixi: *regulariter loquendo*: quia si officium aliquod magnam requirat diligentiam, vel si quis promittat diligentiam majorem ordinaria, vel majus stipendium recipiat, juxta Layman, Salmaticenses cum aliis apud B. Ligorio (n. 555.) tenetur etiam de culpa *levi*; et si diligentiam maximam promittat; etiam de *levissima*.

PARAGRAPHUS V.

De restitutione ex Lege positiva.

879. Q. Quis *ex Lege* ad restitutionem tenetur?

℞. Etiamsi multæ ex restitutionibus jam dictis, et infra dicendis debeantur ex aliqua Lege; cum

tamen multæ aliæ restitutiones sint, quæ nec *ex injusta acceptione*, nec *ex injusta detentione*, nec *ex injusta damnificatione*, nec *ex re accepta*, nec *ex contraotu*, vel *quasi contractu* proveniant, hæ debentur ex Lege. Ut si absque ullius culpa jumenta abruptis aggeribus, aliquod damnum campis, vineis, aut homini attulerint, ex Lege 1. *Si quadrupes* etc. dominus jumentorum totum debet reparare damnum. Et hoc, ut in custodiendis animalibus major diligentia adhibeatur, et sic damna avertantur.

880. Q. Qui ergo ex Lege ad restitutionem tenentur?

℟. Præcipuos referam. 1.° ex Can. *Si quis Episcopus* simoniaci restituere tenentur Ecclesiæ, vel peuperibus quidquid pro collatione Ordinum, Beneficii, pro examine Ordinandorum, pro visitatione Parochiarum, pro benedictione Ecclesiæ datum etiam sponte fuisset. 2.° Parochi, ac Canonici Cathedralis si post adeptam Beneficii possessionem intra duos menses Fidei professionem non faciant, ex Cap. XII. Concilii Tridentini Sess. 24. de Reformatione ad restitutionem fructuum perceptorum tenentur. 3.° Ex eodem Capite Canonici tam Cathedralis, quam Collegiatarum, si ultra tres menses, et etiam minus tempus, si Ecclesia illa longius requirat servitium, ab Ecclesiis suis abfuerint absque debita licentia, post sententiam judicis ad fructuum restitutionem tenentur.

881. Q. Qui alii ex Lege ad restitutionem obligantur?

℟. 4.° Sunt Beneficiati, qui post sex menses a pacifica Beneficii possessione divinum Officium non recitant, qui ex Constitutione 7. Leonis X. et S. Pii V. tenentur ad fructuum restitutionem, ut jam

est supra explicatum n. 269. etc. 5. Sunt Judices, qui si pro justitiæ executione notabilia munera accipiant, ex Cap. *Statutum* 11. de rescript. in 6. ad restitutionem pariter tenentur. Dixi: *notabilia munera:* quia leviora munuscula, ex. gr. esculenta, vel poculenta, quæ paucis diebus consumi possunt, accipere non prohibentur (ib.).

882. Q. Sunt ne alii, qui ex Lege ad restitutionem tenentur?

℟. Sunt 6. ludentes ludo prohibito, qui ex L. *Alearum* Cod. Aleatorib. possunt repetere a victoribus quod ludo prohibito perdiderunt. 7. Sunt usurarii, qui ex §. *Si quis a non domino* 35. tenentur restituere omnia acquisita per usuras usque ad æqualitatem damni illati, vel in individuo, si res accepta adhuc existat, vel in æquivalenti, si res commixta sit cum suis non indiscernibilibus. Et si res sit fructifera, etiam fructus ex ipsa perceptos, deductis expensis, ac æstimatione laboris, et industriæ: etiamsi dominus fructus illos non fuisset percepturus, ut supra (n. 837.) dictum est de possessore malæ fidei. Et hæc restitutio (ex Cap. *Cum tu* 5. de Usur.) facienda est illi, a quo extorserunt; aut ejus hæredibus; et in horum defectu, pauperibus.

CAPUT II.

De iis, qui ratione cooperationis ad restitutionem tenentur.

883. Q. Qui ex cooperatione ad restituendum tenentur?

℟. Sunt illi, qui alium, aut alios deliberate, et efficaciter movent, inducunt, aut concurrunt

ad aliquam injustam acceptionem, aut damnificationem; aut damnum, quod ex justitia obligati sunt impedire, non impediunt: Communis. Cum enim *qui occasionem damni dat*, *damnum dedisse videatur*, ut habetur ex Cap. *Si culpa tua* 9. de injur. et ex L. *Qui occidit* 30. §. 3. ff. ad L. Aquiliam: sicut peccat, et ad restitutionem omnium damnorum tenetur qui injuste accipit, et damnificat; sic peccat, et, licet diversimode, restituere tenetur qui ut supra cooperatur. Unde merito Innocentius XI. proscripsit propositionem 39. quæ dicebat: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum, non tenetur ad restitutionem istius damni allati.*

884. Q. Quot modis sequitur ista cooperatio?

℞. Novem modis, qui comprehenduntur in his duobus versibus relatis a S. Thoma (2. 2. q. 62. a. 7.):

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, (seu Receptans),

Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans.

Primi sex positive, et directe concurrunt ad injustam acceptionem, aut damnificationem; alii tres solum indirecte, et negative, omittendo id, ad quod ex justitia, et officio quis tenetur, ut explicabitur in sequentibus Paragraphis.

Paragraphus I.

De Mandante, Consulente, Consentiente.

885. Q. Quid intelligitur *per Mandantem*?

℞. Intelligitur ille, qui suo mandato, seu *jussione* aliquem movet ad injustam acceptionem,

seu damnificationem, aut ad bonum debitum impediendum sive fiat explicite, et expressis verbis; sive fiat implicite, et solis signis, et nutibus; aut manifestando inferioribus gratum sibi fore, si quid mali fiat. Dixi *movet*: quia si *injustam acceptionem* etc. ratam tantum habeat, cum non moverit, ad restitutionem non tenebitur. Teneretur autem, si sciens, alium paratum esse ad damnum alicui inferendum suo nomine, non impediat, cum possit: quisque enim ex justitia tenetur impedire, ne quis suo nomine damnum aliis inferat.

886. Q. Quid circa mandantem est addendum?

℟. Addendum 1. quod mandans non solum tenetur ad damnum, quod de facto jussit, sed etiam ad illud, quod ex circumstantiis prævidere poterat secuturum. Ut qui jussit comburere domum Caji, tenebitur compensare etiam combustionem domus vicini. Ad restitutionem autem non tenebitur, si mandatarius (idest executor mandati) excedens fines mandati, intulerit majus damnum, quod in ejus erat potestate non inferendi. Ut qui jussus subripere centum subripiat ducenta ducata; jussus vulnerare, ipse volens occidat. Hisce casibus mandans non tenebitur, nisi pro ratione damni, quod mandavit. Ita Collet (de Restitit. in gen. Cap. 3. Pun. 1.) Decast. cum Croix (Lib. 3. Par. 2. n. 26.).

887. Q. Quid præterea notandum?

℟. 2. Si quis mandasset, occidi Titium, et mandatarius per errorem Cajum occidat, mandans tenetur ad damna secuta ex morte Caji: quia homicidium etsi diversi hominis ex ejus mandato sequitur. Suarez, aliique apud Croix (ib. n. 27.). 3. Si mandans ante executionem delicti revocet

mandatum, idque mandatario innotescat; et nihilominus mandatarius committat delictum, ex. gr. subripiat, damnificet etc., tunc mandans ad nihil tenebitur: quia tunc ipse non foret vera causa furti, et damni. Lessius, et alii (ibid. n. 20.). Teneretur autem de damno, si mandatarius non credens revocationem, aut ejus immemor delictum committat: quia hoc casu damnum vere sequeretur ex priore mandato (ibid. n. 25.).

888. Q. Quid dicendum, si mandatario obveniat aliquod damnum in executione delicti?

℟. Si mandans sit Superior, tenebitur ad compensationem damnorum, quæ mandatario ob executionem delicti obveniant, ex. gr. si carceretur, multetur, et similia: quia jussio Superioris continet quamdam vim, et coactionem moralem in subdito ad operandum. Secus autem dicendum, si mandans non sit Superior, et mandatarium stipendio conducat ad delictum exequendum: quia hoc casu si mandatarius aliquod damnum patiatur, sibi imputare debet; cum volenti non fiat injuria; et libere ad periculum sese ipse exposuerit. Sic passim Doctores apud Ferraris (V. *Restitutio* Art. 1. n. 16.).

889. Q. Mandans teneretur ne ad restitutionem, si delictum, quod ipse mandavit, fuisset ab alio certe patratum?

℟. Maxime: quia etiamsi alius illud homicidium, combustionem, aut aliud delictum commisisset, semper verum est, mandantem homicidium etc. vere, et efficaciter influxisse ad delictum committendum; et proinde ipsi tamquam causæ efficaci imputandum. Et si alius commisisset, tunc hic peccasset, et ad compensanda damna teneretur. Et revera etiamsi dicat Christus (Matth. 18. 7.):

Necesse est, ut veniant scandala; attamen non obstante tali necessitate, concludit: *Verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Ferraris ibid. n. 22.

890. Q. Quando consulens ad restitutionem tenetur?

℟. Quando quis scit, aut prævidet, suo consilio, hortatu, promissis, precibus, motivorum suggestione, utilitatis, aut facilitatis ostensione etc. aliquem moveri ad injustam acceptionem, damnificationem, aut ad impediendum bonum, quod alicui ex justitia debetur; tunc totum damnum, quod vi sui consilii est illatum, reparare tenetur; utpote motor principalis illius injustæ actionis. Communis. Si autem quis jam motus esset ad illam injustam actionem perpatrandam, etiamsi consulens sua suasione peccet, ad restitutionem tamen non tenebitur: quia cum alius jam esset ad illam determinatus, etiam absque consulentis suasione, et motione damnum evenisset. Lessius cum Croix (ibid. n. 29.).

891. Q. Quid circa consulentem est addendum?

℟. Quod si alicui parato inferre damnum majus consulat quis inferre minus, ex. gr. volenti occidere suadeat tantum vulnerare: volenti furari centum, consulat furari tantum quinquaginta sed eidem personæ, ad restituendum non tenetur; eoquod hisce casibus proximi causam utiliter consulens gessisset majus damnum impediendo. Si autem consulens suaderet minus damnum inferre alteri personæ etiamsi ditissimæ, a restitutione non excusaretur, etsi nullam personam nominet: quia quisque etiam ditissimus jus habet, ne injuste damnificetur, ut bene arguit Sporer cum B. Ligorio (Lib. 3. n. 565.) contra alios, qui con-

sulentem excusant, si alii in genere damnum illud inferendum suadent.

892. Q. Revocato consilio, est ne obligatio restituendi, effectu secuto?

℟. Si consulens dederit simplex consilium, vel falsum, vel modo auctoritativo; tunc revocato ante executionem consilio, ostendendo, se esse deceptum, male consuluisse etc. liberabitur a restitutione: quia hoc casu non amplius extaret in consiliato motivum agendi. Secus autem decidendum, si etiam retractato consilio, adhuc in mente consiliati totum possit subsistere robur, motivum, delectatio, utilitas etc. consilii, quæ moveat consiliatum ad agendum: quia tunc consilium adhuc erit causa efficax damni; et proinde consulens ad restitutionem obligatus. Sic Lugo cum aliis, quos citat B. Ligorio (n. 559.).

893. Q. Quid infertur ex his?

℟. Infertur, quod si quis suaderet medicinam, quam credebat salubrem; contractum, quem credebat licitum; exposita sua deceptione, medicinam, et contractum reprobet; quidquid faciat alter, consulens ad restitutionem non tenetur. Econtra si ad evitandam infamiam consulat abortum, facilitando media, et similia; si etiam post retractatum consilium, abortus tentatur, et sequatur; consulens ad compensationem obligabitur. Layman (ap. B. Lig. loc. cit.) excusat consulentem a restitutione, si conetur meliori modo, quo potest, iniquam actionem dissuadere, exponendo præsertim gravissimum peccatum, damnationem æternam etc. Addunt tamen Salmaticenses (ap. Lig. ib.) quod si consulens nequeat malum avertere, tenetur ex justitia monere lædendum.

894. Q. Quando consentiens ad restitutionem tenetur?

℟. Quando quis suo assensu præstito voce, scripto, suffragio etc. efficaciter, et injuste concurrit ad inferendum alicui damnum. Ut consiliarii Principum, judices, electores, decuriones, aut alii, qui vel communi consensu, vel unus, inscio altero, suffragantur bello injusto, sententiæ iniquæ, electioni alicujus officialis, aut beneficiati indigni, persecutioni innocentis, impositioni injustæ, aut aliis injustis damnificationibus. Hi omnes cum reapse concurrant in alterius damnum, ad restitutionem tenentur; in solidum, si simul conveniant; pro rata, si absque communi consensu. Sic Communis Doctorum. Non autem tenentur, si consensiant post damnum datum, ut patet.

Paragraphus II.

De Palpone, Receptante, Participante.

895. Q. Quando Palpo ad restitutionem tenetur?

℟. Quando quis inique laudando, plaudendo, adulando, commemorando alicujus nobilitatem, vires etc.; aut exagerando acceptam injuriam, dedecus etc.; aut irridendo, vituperando, exprobrando alterius ignaviam, vecordiam etc., aut aliis modis iniquis cognoscit, alterum moveri ad vindictam, ad furandum, ad damnificandum, ad vulnerandum etc. Hisce casibus tamquam vera causa actionis injustæ et peccat, et ad restitutionem tenetur. Si autem facta jam injuria, quis laudet etc. etsi peccet, non tenetur tamen ad restitutionem, nisi forte alter his laudibus ad aliam injuriam faciendam forte non impellatur. Communis.

896. Q. Quando receptans ad restitutionem tenetur?

℟. Tunc Receptor, seu recursum præbens ceu concausa injuriæ factæ, vel faciendæ ad restitutionem tenetur, quando sicarium, furem, aliumve malefactorem hospitio recipiendo, cibando, protegendo etc.; aut ejus arma, vel instrumenta servando; aut ejus furta custodiendo, occultando, emendo etc., noscit, furtum, aut aliud malum factum esse; aut malefactorem animosiorem reddi ad illa, vel consimilia delicta perpatranda; *quia* (ut habetur in L. *Quo naufragium* 3. ff. de incendio §. 3.) *receptores non minus delinquunt*, *quam aggressores*.

897. Q. Quando participans ad restitutionem tenetur?

℟. Duobus modis potest quis rei alienæ participare, accipiendo partem rei ab aliis absque suo influxu sublatam, et influendo in delicto, seu in injusta acceptione, præbendo auxilium, operam, instrumenta; excubias agendo, claves adulterinas efformando, instrumenta usuraria conficiendo; hujusmodi instrumentis, ut testis, assistendo etc. Si quis primo modo participet, tenetur restituere partem tantum, quæ sibi contigit. Hinc si quis ab amicis invitatus ad manducandum vitulum saginatum, ipso inscio, subreptum; id resciens, portionem tantum a se manducatam reddere debet. Imo si nesciat, vitulum illum esse furtivum, nec teneretur restituere, nisi id, in quo factus fuit ditior, seu rei suæ pepercit. Communis.

898. Q. Quid dicendum, si participet in delicto?

℟. Si quis participet in delicto, in injusta acceptione influendo, ut dictum est, præbendo

auxilium etc., tunc regulariter loquendo peccaret, et ad restitutionem pro rata teneretur; imo totum damnum compensare deberet, si alii socii partem suam nollent, aut nequirent restituere. Et hoc verum est, etiamsi absque eo damnum fuisset illatum; et etiamsi nihil de re sublata traditum sibi fuisset: quia hic reapse influxit in damnum alterius. Communis.

899. Q. Quare dixisti: *regulariter loquendo?*

℟. Quia si quis ad evitandam veram infamiam, aut mortem deberet aliquo modo in damnum alterius influere, scalas applicando, claves conficiendo, aut alias actiones per se indifferentes ad faciendum et bonum, et malum; etsi diversi diversa dicant, B. Ligorio (Lib. 3. n. 571.) sentit, quod si quis ad præcavendum damnum suum in vita, aut honore illas faciat actiones, etiamsi fur illis abutatur ad suam pravam voluntatem exequendam, materialiter tantum ad furis peccatum ille cooperaretur, et proinde absque peccato, et absque obligatione restituendi. Confirmat suam sententiam exemplo illius, qui coactus a latronibus, suam arcam effringit, et pecuniam ipsis dat absque peccato. Et hoc casu dicit, dominum consentire debere ad jacturam suorum bonorum: aliter esset irrationabiliter invitus.

Paragraphus III.

De Muto, Non obstante, Non manifestante.

900. Q. In quo differunt *Mutus*, *Non obstans*, *Non manifestans?*

℟. *Mutus* est ille, qui antequam alterius damnum sequatur, non clamat, non monet, non cor-

ripit, non præcipit, cum ad id ex justitia teneatur. Qui autem dum fit damnum injuriosum homini; vel ejus bonis, non curat prohibere, et defendere, cum ex justitia teneatur, dicitur *Non obstans*. Qui autem non manifestat damnum jam secutum, ut resarciatur, cum pariter ex justitia teneatur, dicitur *Non manifestans*. Hi omnes si ex justitia, idest ex officio, contractu, quasi contractu etc. damnum debeant, et possint impedire, et non impediant; in defectu damnificantium tenentur ipsi ad resarciendum damnum, quod alteri obvenit. Communis.

901. Q. Quid sequitur ex his?

℟. Sequitur 1.° si quis videns damnificari prædium alterius, et ex odio non impedit; si ex justitia is tenebatur impedire, quia custos, famulus etc. tunc ad restitutionem tenetur. Aliter peccabit quidem contra charitatem, sed non tenebitur restituere. 2. Si domini temporales non obstant latronibus suas terras infestantibus; si duces belli, ministri justitiæ non impediant damna suorum militum, et dependentium; si custodes gabellarum, prædiorum etc. non impediant furta, et damna; aut facta non manifestent; ad restitutionem tenentur damni illati.

902. Q. Quid aliud sequitur?

℟. 3.° Si famuli, ancillæ, aliique domestici non impediant furta, aliaque damna, quæ dominis inferuntur, cum possint impedire, pariter ad restitutionem obligantur. Aliqui Doctores excusant famulos, et ancillas, qui non impediunt damna ab aliis conservis, vel condomesticis illata; dummodo custodia specialis domus, et rei familiaris non sit eis demandata. Et idem dic de tutoribus, curatoribus, advocatis, electoribus, ceterisque, qui

vel ex contractu, vel ex justitia aliorum damna impedire tenentur.

903. Q. Quid dicendum, si ad evitandum proprium damnum, damna aliena prædicti non impediant?

℟. Si damnum proprium sit majus, vel æquale damno alieno, ut si ad impediendum damnum alienum, debeat quis incurrere jacturam gravem rei familiaris, vel honoris, vel vitæ; tunc non peccabit, nec ad restitutionem tenebitur: quia prædicta officia curatorum, custodum, famulorum etc. ordinarie non sumuntur cum tanto onere, et periculo proprii damni majoris, vel æqualis, ut sentiunt Scotus, et alii, quos citat, et sequitur Ferraris (V. *Restitutio* art. 1. n. 59.): nisi ut bene advertit idem Ferr. speciale pactum explicitum, vel implicitum aliud non exposcat; ut Parochus tempore pestis, vel subversionis suorum parochianorum; miles tempore belli etc. qui etiam cum periculo vitæ impedire debent damna aliena, et præsertim spiritualia.

Caput III.

De Restitutione in solidum.

904. Q. Quando restitutio facienda est *in solidum?*

℟. Quando duo, aut plures ita se excitant ad furtum, aut aliud damnum faciendum, ut nisi esset hæc excitatio, et singulis non concurrentibus, vinea ex. gr. non diriperetur, domus non incenderetur etc.; tunc cum singuli causa sint totius damni, singuli in solidum tenentur restituere, idest, quisque ad totum damnum tenetur, etiam-

si alii aut nolint, aut nequeant restituere. Ita Croix cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 579.). Qui autem sic restituit, potest a reliquis repetere pro rata (n. 803.).

905. Q. Quid dicendum, si invicem non se excitaverint?

℟. Si se non excitaverint, sed tantum concurrerint, aut sint cooperati ad furtum, damnum etc., tunc distinguendum: si etiam absque illo socio furtum, aut damnum fieret; tunc ait Lugo cum aliis (ap. B. Lig. ibid.) teneri tantum ad suam partem; quia cum obligatio restitutionis pendeat ab influxu in damnum; cum partialiter tantum ipse concurrerit ex. gr. ad triticum asportandum, ad contractum usurarium faciendum, et similia; ad suam partem tantum tenetur.

906. Q. Quid dicendum, si absque illo furtum, aut damnum non fieret?

℟. Si autem absque illius auxilio, et cooperatione damnum non eveniret, ex. gr. equus fugiens non subriperetur, saccus tritici asportari nequiret; tunc certe ait idem Beatus, ille teneretur in solidum; etiamsi ipso non opitulante, alter eamdem opem certe præbuisset: quia ipse cum aliis est causa totius damni, quod absque illo non eveniret. Et ob eamdem rationem idem dicendum est de motore principali, de mandante, de consulente, de receptante etc., sine quo, aut alio simili damnum non fieret. Advertit tamen laudatus B. Episcopus, rudes etsi teneantur in solidum, raro expedire eos obligare ad totum restituendum, tum quia difficulter sibi persuaderent; tum quia præsumi valet, dominos damnificatos contentos esse de parte.

907. Q. Quando plures ad damnum fuerunt cooperati, quis prius restituere debet ?

℟. Si res ablata adhuc extet in se, vel in suo pretio, illam retinens primo tenetur. 2.° Motor principalis, mandans, consulens, si adsint. Et his restituentibus, ad nihilum alii tenentur. Communior cum S. Thoma (2. 2. q. 62. a. 5. ad 2.). 3.° Deficientibus aliis, tenentur executores damni et in solidum (S. Thom. ibid.). 4.° Alii cooperatores, uti receptantes, adjuvantes, consentientes, laudantes, singuli proportionaliter ad influxum ; et in defectu aliorum, tenentur in solidum. Cuniliati (Tr. 9. Cap. 5. §. 15.). 5.° Mutus, non obstans, non manifestans, ut dictum est supra n. 900. non restituentibus aliis. Sed hi possunt petere compensationem a damnificantibus.

Caput IV.

De Circumstantiis Restitutionis.

908. Q. Quænam sunt Restitutionis Cirmumstantiæ ?

℟. Circumstantiæ restitutionis in his duobus versiculis comprehenduntur :

Quis, Quid restituat, Cui, Quantum, Quomodo, Quando,

Quo ordine, Quove loco, Quæ Causa excuset iniquum.

Quis ad restitutionem teneatur, jam vidimus in tribus præcedentibus Capitibus a num. 792. ad num. 907. et ibi dicta attente recolantur. Quæ autem sint aliæ restitutionis Circumstantiæ, in sequentibus Paragraphis discutiemus.

Paragrapus I.

De Circumstantiis Quid, et Quantum, seu de eo, quod debet restitui.

909. Q. *Quid*, et *Quantum* debet restitui?

℟. Si agatur de injusta acceptione, vel detentione, regulariter loquendo eadem res ablata est restituenda, ex. gr. equus, vestis, gemma etc. si adhuc extent, cum fructibus, damno emergente, lucro cessante, ut explicatum est supra a n. 834, ad 854; quia res semper clamat ad dominum. Communis. Si autem res ablata amplius non extet, quia vendita, donata, aut alias consumpta, tunc ejus pretium, seu æquivalens est restituendum.

910. Q. Quare dixisti: *regulariter loquendo*?

℟. Quia si res in dominium transierit injusti detentoris per specificationem, confusionem, commixtionem etc. (vide supra n. 630. et 631.), ex. gr. si ex lana fiat pannus; si oleum cum alio simili confusum sit; si triticum, pecunia etc. cum aliis similibus sint commixta: vel si restituendo eamdem rem ablatam, scandala timeantur, ex. gr. quia fur manifestaretur, et infamaretur; tunc S. Antoninus cum aliis apud Croix (Lib. 3. Par. 2. n. 115.) docet, posse rem aliam restitui æquivalentem, aut ejus pretium. Et æquivalens pariter juxta peritorum æstimationem restituendum est pro injusta damnificatione, ex. gr. pro domus combustione, jumenti occisione, arborum recisione, prædii devastatione, et similibus.

911. Q. Quid restituendum pro homicidio, mutilatione, vulneratione, et similibus?

℟. Duplex damnum ob homicidium etc. homi-

ni infertur, in corpore per vitæ, vel membrorum privationem, vulnerationem etc., et in rebus temporalibus. Pro damno in corpore aliqui Doctores dicunt, compensationem per pecuniam esse faciendam : alii negant. Quidquid autem sit, conveniunt omnes. 1. Si reus cum parte læsa, vel ejus hæredibus de aliqua justa compensatione conveniant, vel hæc a judice sit taxata, hanc etiam in conscientia deberi. 2. Æquum esset, ut Confessarius hujusmodi reis imponat sacrificia, eleemosynas, preces, aliave opera spiritualia pro anima occisi; pro profectu spirituali vulnerati, mutilati etc. Videatur Ferraris (V. *Restitutio* art. 2.).

911. Q. Quid debetur ab occisore pro damno in rebus temporalibus?

℟. Injustus, et voluntarius homicida, mutilator, percussor (et in hujus defectu hæredes); juxta prudentis existimationem debent, 1. restituere omnes expensas rationabiliter factas in curatione vulnerati etc., deductis iis, quas ipse, si sanus foret, esset facturus. 2.° Compensare damna, si quæ evenerunt, ex. gr. si puella ob deformitatem contractam ex vulneratione etc. non posset nubere etc. 3.° Compensare lucrum, quod ex sua industria, professione, officio etc. occisus, mutilatus etc. esset facturus. 4.° Alere parentes, uxorem, filios (non autem alios hæredes non necessarios (si occisus eos alebat sua industria, lucro etc. quia si alebat ex bonis, cum hæc etiam post mortem, mutilationem etc. restent, non teneretur. Communis.

912. Q. Quare dixisti: *injustus, et voluntarius?*

℟. Dixi 1.° *injustus*, quia si occisor etc. non foret injustus, ad nihil teneretur. Hinc milites, qui in bello justo (vide supra n. 566, 567.);

ministri justitiæ, qui reum occidunt, ad nihil tenentur. Sicut ad nihil teneretur qui cum moderamine inculpatæ tutelæ injustum invasorem, provocantem etc. mutilaret, occideret: quia tales censentur renuntiare juri suo; et alter jus habet, quod in se est, ad se indemnem, et illæsum servandum. Sic Lessius, et alii passim ap. Ferraris (ibid. n. 16.). Dixi 2.° *voluntarius*: quia si quis intendens occidere feram, et per errorem invincibilem (adhibita omni diligentia) occidat hominem; cum homicidium foret involuntarium saltem negative, ad nihil pariter teneretur. Communis per textum in Cap. *Si culpa* 9. de injuriis etc.

913. Q. Quid restituendum pro fama, et honore læso?

℟. Qui aliquem inhonoravit vel verbis contumeliosis, vel actione injuriosa, ex. gr. alapis, pugnis etc. debet petere veniam, et in publico, si inhonoratio fuerit publica; et juxta qualitatem personæ, etiam genuflexione, reverentiam exhibendo, et similia. Pro fama autem læsa, etiamsi crimen sit verum, sed occultum, præter famæ restitutionem, de qua infra n. 1013. 1014. 1015. debet etiam damnum resarcire, si quod persona læsa passa sit: quia ex. gr. puella infamata innupta remanserit, vel cum augmento dotis nupserit: quia judex, medicus, famulus, aliive injuste infamati officium amiserunt etc. Ratio, quia unusquisque jus habet, ne injuste infametur; et proinde jus habet, ut damna ei causata reparentur. Communis.

914. Q. Quid restituendum pro defloratione, vel stupro?

℟. Si delictum remansit occultum, et puella æque lautum matrimonium fecit, ad nullam re-

stitutionem deflorator, aut stuprator teneretur: quia integritas virginalis nullo modo potest compensari. Si autem delictum manifestetur, distinguendum. Si puella sese obtulerit, aut libere consenserit, aut donis, blanditiis, aut precibus etiam importunis allecta cesserit, deflorator nihil restituere teneretur nec puellæ, nec parentibus. Non puellæ: quia ex regula 27. juris in 6. *scienti, et consentienti non fit injuria*. Ita Lessius, et alii apud Ferraris (V. *Dos* Art. 2. n. 35.). Non parentibus pro eo quod dos ei augeri debeat: quia tali juri puella potuit renuntiare absque parentum consensu, ut censetur renuntiasse libere consentiendo. Lugo, et alii ap. Croix (ib. n. 312.).

915. Q. Quid dicendum, si puella fuerit invita?

℟. Si deflorator fraude, dolo, minis, vi, vel per metum gravem injuste incussum, vel etiam precibus importunis factis a domino, superiore, aut alio magnæ auctoritatis, quæ juxta Busembaum, et alios (Croix sup. n. 312.) vi æquiparantur; tunc deflorator in foro conscientiæ jure naturali teneretur augere ejus dotem, ut viro pari possit nubere perinde ac si corrupta non foret, et hoc, etiamsi puella non esset virgo, sed ut virgo communiter reputata. Si autem causa deducta esset ad forum contentiosum, teneretur deflorator vel nubere, si puella, et ejus parentes velint; vel dotare. Vide jura ap. Ferraris (loco cit. a n. 14. ad 19.).

916. Q. Quid dicendum, si deflorator matrimonium promiserit?

℟. Si deflorator matrimonium cum deflorata valide et licite contrahere potest, etiamsi ficte promisisset, regulariter loquendo ducere teneretur: quia in omni contractu, ubi alter ex parte sua

acceptavit, et implevit, etiam alter ex justitia implere tenetur, et si ficte contraxerit; aliter omnia humana commercia fraudibus essent exposita. Ut autem hujusmodi flagitia quoad fieri potest a christiana republica avertantur, expediret, ut hujusmodi promissiones, quæ tot inconvenientium sunt origo, ab Episcopis invalidentur, etiam si fuerint juramento firmatæ, ut refert Tournely (ap. B. Ligorio Lib. 3. n. 641.), cum tanto profectu in praxi deductum esse in una ex Gallicanis Diœcesibus.

917. Q. Quare dixisti: *regulariter loquendo?*

℟. Quia si puella ex verbis ambiguis defloratoris fictionem facile potuisset advertere; vel si ipse conditionis valde superioris, quam sua, esset; tunc ad nihil teneretur juxta S. Thomam (Supplem. q. 46. a. 2. ad 4.): quia hoc casu deflorata non fuisset decepta, sed potius decipi voluisset; et reputaretur, ac si libere consensisset. Nec pariter ducere tenetur, si ex matrimonio magna scandala, et rixæ inter consanguineos timerentur; si ratione conditionis valde disparis obveniret magnum dedecus familiæ viri. Hoc autem casu deflorator teneretur dotem augere puellæ, ut dictum est n. 915. Denique deflorator ad nihilum pariter teneretur, si puella cum alio fornicaretur, aut si dixit, se esse virginem, et erat ab aliis corrupta: fraus enim nulli debet patrocinari. Vide loco citato B. Ligorio.

918. Q. Quid restituendum pro adulterio?

℟. Si proles nata non sit, nulla debetur restitutio, quia nullum damnum temporale. Si autem orta sit proles, et constet esse adulterinam, vel quia adultera est innupta; aut si sit uxorata, maritus tempore conceptionis erat absens, vel impo-

tens : tunc si proles hospitali non exponatur, per primum triennium ali debet a matre, et in hujus defectu, et impotentia, a patre, qui deinceps tenetur eam alere, et de toto providere saltem usquedum sua industria posset proles illa se sustentare. Communis ex cap. *Ex litteris* de convers. infidel. et ex L. *Ne filium* 9. Cod. de patria potest.

919. Q. Si adulteri sint divites, potest ne eorum proles hospitali exponi?

℞. Etiamsi aliqui Doctores ap. B. Ligorio (ib. n. 656.) negent; et si exponatur, dicant, adulteros teneri ad refectionem expensarum loco pio; attamen sententia contraria, quam idem Beatus vocat probabiliorem, permittit: quia hujusmodi hospitalia non tantum sunt instituta ad subveniendum pauperibus, quantum ad præcavendos abortus, aut fœtus occisionem; et sic ad liberandum fœtum a periculo mortis æternæ, et temporalis, quam facile et forsan facilius filii divitum incurrerent ob timorem infamiæ, si adulteri ex proprio eos alere deberent. Et idem dicendum, si proles nata sit ex fornicatione.

920. Q. Quid dicendum, si adulterium sit occultum?

℞. Si proles nata ex adultera reputetur a marito veluti proles a se genita, cum ob evitandam infamiam, et alia inconvenientia non teneatur adultera suum crimen manifestare, ut Lessius, et alii ap. B. Ligorio (ib. n. 653.) probant ex Cap. *Officii* 9. de Pœnit. sic ut maritus, et filii indemnes reddantur, uterque adulter in solidum, et in primis qui aliam partem excitavit, tenentur et expensas reficere, quas maritus in illa prole alenda, aut dotanda effecit, et damna compensa-

re, quæ filii legitimi, aliive hæredes in hæreditatis divisione patiuntur. Sic colligitur juxta communem ex Cap. *Si culpa* 9. de injur.

921. Q. Quid dicendum in dubio, an proles sit adulterina?

℟. Si dubium sit negativum, quia adultera tempore adulterii convivebat cum marito, ad nullam tenetur restitutionem: quia filius natus constante matrimonio reputatur legitimus, nisi, ut ait B. Ligorio (n. 657.) constet de opposito; aut saltem (potest addi) nisi adsint indicia admodum fortia ad sic judicandum: ex. gr. quia tempus partus correspondet tempori adulterii, præsertim si illis diebus cum marito non convivebat; vel quia ante id tempus numquam cum marito conceperat, et similia. Hisce casibus putat Molina ap. Croix (n. 335.) pro rata dubii damna causata et marito, et filiis compensari debere.

922. Q. Quid agendum, si justa compensatio fieri non possit?

℟. Diversa remedia a Doctoribus præscribuntur. Si adultera habeat bona paraphernalia, seu propria, partem disponibilem relinquat filiis legitimis, ut saltem in parte damna compenset. Minuat sumptus, et ornatus in vestiendo, in vescendo: abstineat a solatiis, curam majorem in administranda re domestica adhibeat; et si proles spuria signa vocationis præseferat, hortetur eam ad amplexandum statum religiosum: ut sic hæreditas pro filiis legitimis maneat.

923. Q. Adest ne aliud remedium?

℟. Aliqui Doctores ap. dictum Beatum (n. 653. et 54.) dicunt, teneri adulteram manifestare suum crimen, si non marito ob perpetuas i-

nimicitias, et alia gravia inconvenientia, quæ merito timeri possunt, ut etiam colligitur ex Cap. *Officii* de pœnitent. manifestet saltem filio spurio, ut hic renuntiet hæreditati: sed cum quo profectu? In primis non teneretur filius credere matri, etiamsi cum juramento, et in articulo mortis post recepta Sacramenta id assereret, quia ex Cap. *Licet universis* etc. uni testi nulla fides. Sed quamvis teneatur filius credere, eo quod mater probet absentiam, vel impotentiam mariti tempore, quo potuit concipi, renuntiaret filius bono nomini, et hæreditati, ut sub gravi teneretur? Oh quot damna, injustitiæ, et animarum perditiones ex flagitio tam enormi oriuntur!

Paragraphus II.

De Circumstantia Cui, seu de persona, cui facienda est restitutio.

924. Q. Cui restitutio est facienda?

℟. Regulariter loquendo facienda est domino rei injuste ablatæ, si cognoscatur, aut illi, cui damnum est allatum ex. gr. per devastationem campi, homicidium, vulnerationem, stuprum, ablationem famæ etc.; et si ille, cui facienda erat restitutio, sit mortuus, fiat hæredibus. Communis. Hinc qui equum furtivum emit, non venditori, sed domino debet eum restituere. Non desunt tamen graves Doctores; qui dicunt emptorem rei furtivæ posse rescindere contractum, reddendo rem in statu pristino, idest in manu venditoris, ad recuperandum pretium solutum. Et hoc, etiamsi mala fide emisset: etenim quamvis tali modo emendo peccasset, realiter tamen non

influit in damnum alterius. Vide diversas rationes apud Auctores, et præsertim ap. B. Ligorio (n. 569, et 570.).

925. Q. Quare dixisti: *regulariter loquendo?*

℟. Quia aliquoties non domino directo, sed alii est facienda restitutio. Hinc si quis rem subripuisset commodatario, depositario, usufructuario, tutori, curatori, administratori, artifici, aut aliis justis detentoribus, his est res restituenda, non domino directo. Aliter teneretur de lucro cessante, et damno emergente, quod ob non usum, aut custodiam illius rei justo detentori, aut domino directo eveniret. Communis. Sic juxta Navarrum, et Merbesium qui furatus fuisset viro dilapidatori rerum domesticarum, posset, imo deberet restituere uxori sagaci, ut in usum familiæ res restituta impendatur.

926. Q. Quare dixisti etiam (n. 924.): *Si dominus cognoscatur?*

℟. Quia si dominus non noscatur, et nesciatur, quis sit, aut ubi sit, tunc *præmissa diligenti inquisitione* expensis domini, si restitutio non sit facienda *ex delicto*, ut si restitutio facienda sit ex re accepta, ex re inventa, ex contractu etc.; tunc, ut ait S. Thomas (2. 2. q. 62. a. 5. ad 3.) curetur rescire de ejus persona; et si præsens sit, ei res sua restituatur. Si autem dominus sit absens, admoneatur juxta eumdem S. Doctorem, ut de re sibi restituenda disponat. Sed si res restituenda sit *ex delicto*, scilicet ex injusta acceptione, detentione, damnificatione etc., reus propriis expensis et dominum inquirere, et rem suam debet illi remittere. Si autem expensæ rei valorem excederent, aut etiam æquarent, Scotus, et alii ap. B. Ligorio (n. 598.) sentiunt,

posse tunc reum vel per se, vel per Parochum, aut per alium monere dominum, ut de re sibi restituenda disponat.

927. Q. Quid agendum, si post diligentem inquisitionem dominus non compareat?

℟. Si facta diligenti inquisitione per schedulas, proclamationes (et si res sit magni valoris, etiam per impressionem in publicis diariis, aut alio meliori modo), adsit aliqua spes, ut dominus compareat; res, aut ejus valor, si non possit res, pro eo in loco tuto conservetur. Si autem nec adsit spes, ut compareat, distinguendum. Si res restituenda sit, ut supra, *ex delicto*; tunc omnino impendenda est in usus pios ex. gr. in pauperes, præsertim illius loci, ubi delictum commissum est, in utilitatem Ecclesiæ, loci pii etc. Communis: Hanc enim præsumitur esse voluntatem domini, ut si res sua, nec ad se, nec ad hæredes possit pervenire, impendatur pro utilitate animæ propriæ, sive sit vivus, sive mortuus.

928. Q. Quid dicendum, si restitutio facienda sit *ex re inventa*?

℟. Si restitutio facienda sit *ex re inventa*, tunc subdistinguendum. Si res sit inventa in viis, plateis, domibus, aut aliis locis, ubi præsumatur, dominum rem suam inquirere; etiamsi aliqui Doctores sentiant, inventorem posse sibi appropriare; S. Thomas vero, S. Antoninus, et alii ap. Croix (n. 89.) verius dicunt, pariter impendi in usus pios, et hanc sententiam esse tenendam. Si autem præsumatur, dominum rem suam non amplius inquirere, quia naufragatam, vel transvectam a flumine etc.; tunc veluti derelicta, erit primi occupantis; et domino non comparente, potest ab inventore detineri, ut supra (n. 628. 841.) dictum est.

929. Q. Quid faciendum, si postea dominus compareat?

℟. Si ejus res adhuc extet, ut probabilius sentiunt Layman, et alii ap. Croix (n. 95. et 96.), restituenda est: quia res semper clamat ad dominum. Si autem res sit consumpta, restituendum est id, in quo pauper, aut alius, cui res illa fuit donata, factus est ditior, ut dictum est de possessore bonæ fidei (n. 849.). Hic autem advertendum, quod si non præcessit sufficiens diligentia, etiamsi res non extet, restituendum est ejus pretium; et in defectu pauperis, aut alius personæ, cui res illa fuit donata, debet ille restituere, qui rem inconsiderate dedit: quia tali modo dando, egit contra rationabilem domini voluntatem, fecitque illi injuriam.

930. Q. Quid ex dictis infertur?

℟. Infertur, quod si fur, aliusve injustus damnificator in usus pios impenderit pretium rei furatæ, vel damnificatæ, non præmissa debita diligentia ad inquirendum dominum, huic comparenti adhuc rei pretium est restituendum cum fructibus, lucro cessante, damno emergente etc., ut supra (n. 834. 835. et 836.) dictum est de possessore malæ fidei. Notent hæc Confessarii illi, qui non obligantes pœnitentem ad inquirendum dominum, imponunt eleemosynas faciendas, vel Missas applicandas. Hi ut injusti consulentes, imo mandantes, damnum resarcire tenentur, ut supra a num. 885. ad 891.

931. Q. Quid agendnm, si dubitatur, quis sit dominus compensandus?

℟. Si sciatur locus, oppidum, civitas, communitas, collegium etc. cui factum est damnum etc.; at non scit, nec scire quis possit, quis sit

damnificatus, tunc restitutio non pauperibus; sed loco illi etc. est facienda. At his casibus expediret, ut per manus Episcopi, Parochi, Magistratus, Superioris etc. fiat; et per hos veri damnificati poterunt inquiri, ac compensari. Sic qui scit, furtum, vel damnum factum esse societati plurium personarum, sed noscere nequit, quæ sit persona damnificata, vel quæ rem deperdiderit; tunc pro rata dubii facienda est restitutio. Communis ap. Ferraris (V. *Restitutio* Artic. 3. n. 56. et 57.).

932. Q. Cui facienda est restitutio ob furta minuta?

℟. Si hæc facta sint eidem personæ, huic est restituendum. Si facta sint pluribus; et nimis difficile, et incommodum sit singulis restituere, restituatur pauperibus, et illis præsertim, qui essent forsan damnificati. Si autem hæc furta minuta facta sint diversis in venditione panis, vini, olei, carnis, aliarumve rerum cum mensuris, vel ponderibus dolosis; ut restitutio quoad fieri possit, damnificatis efficiatur, vendat deinceps pretio viliori, pondere, et mensura crassa: et sic paulatim refundendo, compensabitur quod paulatim ablatum est. Et si hujusmodi damna facta sint etiam extraneis, qui ad emendum concurrerunt; etiam pauperibus aliquod restituatur. Talis enim præsumitur voluntas dominorum. Sic communiter ap. Ferraris (ib. n. 58.).

Paragraphus III.

De Circumstantiis: Quomodo, et Quando, seu de modo, et tempore, quo facienda est restitutio.

933. Q. *Quomodo* facienda est restitutio?

℟. Nisi agatur de ablatione famæ, et honoris, quæ si facta sit in publico, in publico pariter est restituendum; in rerum autem restitutione, nihil interest, quomodo ipsa fiat: dummodo cuique suum tribuatur, et res ad dominum perveniat. Sed sicut est modus in rebus; sic in restitutione ex contractu, vel quasi contractu, ad evitandas lites, expedit, ut requiratur a creditore, seu ab illo, cui fit restitutio, scriptura factæ restitutionis; vel restituatur coram testibus etc. Si autem restitutio fiat ex delicto occulto, ut præcaveantur scandala, infamia, aliave inconvenientia; debitor clam faciat restitutionem sive per se, sive per alium ex. gr. Parochum, Confessarium etc. Et hi exigant a creditore scripturam factæ restitutionis, quam tradant debitori. Et sic Parochus etc. suam honestatem ostendet; et debitor certus est de facta restitutione.

934. Q. Quando facienda est restitutio?

℟. Cum præceptum restitutionis, ut communiter cum S. Thoma (2. 2. q. 62. a. 8. ad 1.), sit etiam negativum obligans semper, et pro semper (Lib. 1. n. 104.) ad non retinendum aliena; sic qui novit, rei alienæ se esse debitorem, aut injustum detentorem, vel damnificatorem, eodem temporis momento statuere debet restitutionem: ita ut si etiam uno momento haberet quis voluntatem non restituendi, peccaret:

imo tot numero peccata committeret, quoties pravam non restituendi voluntatem renovaret. Patet ex dictis Lib. 1. n. 298. Restitutio autem realis, seu traditio rei regulariter loquendo facienda est, quamprimum absque suo gravi incommodo potest quis restituere. Communis.

935. Q. Quare dixisti: *regulariter loquendo?*

℟. 1.° Quia si creditor ex restitutionis dilatione majus, aut etiam æquale damnum pateretur; tunc debitor etiam cum gravi suo incommodo ad restitutionem teneretur: eo quod in pari necessitate melior est conditio creditoris innocentis. Ita communiter Lessius cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 3. n. 703.). 2.° Quia restitutio ex contractu, vel quasi contractu facienda est tempore a contrahentibus præfixo, etiamsi creditor non exigat (Cap. *Potuit* 4. de locato.). Si autem tempus non sit præfixum, restituatur, vel quando debitor absque suo gravi incommodo potest, vel quando creditor rationabiliter petat. Imo si debitor advertat, creditorem non petere, vel ex oblivione, vel ex verecundia, vel ex metu, quia debitor præpotens est, iracundus, ultor etc.; debitor ex se etiam non requisitus tenetur restituere.

936. Q. Restitutio potest ne differri?

℟. Si dilatio sit modici temporis, ex. gr. viginti dierum, ut sentit Palaus, non erit graviter peccaminosa, nisi creditor grave patiatur damnum. Ita Salmaticenses, et alii apud Beatum (n. 679.). Si autem possit quis restituere; et nihilominus ad tempus vult differre, aut restituere successive per partes, etiamsi possit totum; manet in continuo statu peccati ob injuriam, quam facit domino, rem injuste detinendo; et teneretur de lucro

cessante, et de damno emergenti, præsertim si restitutio debeatur ex delicto. Lugo, et alii (ibid. n. 680.). Et multo gravius peccabit qui potens nunc restituere, absque justa causa restitutionem differret ad mortem, aut faciendam post mortem ab hæredibus, qui forsan numquam facient.

937. Q. Quid infertur ex dictis?

℟. Infertur, quod si quis absque gravi infamia, et incomodo possit totum restituere, et nolit; etiamsi versetur in articulo mortis, regulariter non est absolvendus, ut contra alios bene sentit B. Ligorio cum aliis, quos citat (n. 628.), tum quia, ut dictum est, manet is in continuo statu peccati; tum, ut subdit idem Beatus, quia experientia teste, rarissime post acceptam absolutionem restitutio fiet. Dixi: *regulariter*: quia, ut subdit Lugo etc. (ibid.), si tales occurrant circumstantiæ, quod Confessarius solo proposito restitutionis faciendæ debeat esse contentus; tunc etiam ante realem restitutionem posset absolvi.

Paragraphus IV.

De Circumstantia: *Quo ordine.*

938. Q. Quo ordine est restituendum?

℟. Quando quis omnibus creditoribus potest satisfacere, nihil refert, cui prius restituat, dummodo tempore statuto omnibus sit satisfactum. Difficultas est, quando quis omnibus creditoribus nequit satisfacere, cui prius teneatur? Pro qua difficultate dissolvenda, hæ regulæ statuuntur. 1.ª Si res alterius adhuc extet in re, ut est res deposita, commodata, oppignorata, locata, furtiva, aut etiam vendita, pretio non soluto suo domi-

no, et non alii quantumvis privilegiato, reddi debet, quia res clamat ad dominum. Dixi: *pretio non soluto*: quia si venditor rei pretium habeat in æquivalenti, ex. gr. pignus, fidejussionem etc.; tunc venditori non debetur res vendita, quia jam securus est de pretio. Ita Lugo cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 3. n. 684. et 685.). Et si dominus ignoratur, res restituenda in usus pios impendatur, ut dictum est supra n. 926. etc.

939. Q. Quid dicendum, si res restituenda amplius non extet?

℟. Tunc debita privilegiata sunt aliis non privilegiatis præferenda. Si autem non sint privilegiata, debitum anterius est aliis præferendum, nisi Lex aliud statuet: quia ex Regula 54. Juris in 6. *Qui prior est tempore, potior est jure.* Et hæc secunda regula. Hæc autem sunt debita privilegiata, quæ ante omnia alia sunt solvenda. 1.° Quod moderate impensum est in ultima infirmitate, et morte debitoris quoad medicos, medicinas, funus; pro confectione inventarii, pro aperitione testamenti, pro adeunda hereditate. Vide jura, et auctoritates Doctorum apud Ferraris (V. *Restitutio* Art. 4. a n. 43. ad 73.) etiam pro infra dicendis.

940. Q. Quænam sunt alia debita privilegiata?

℟. 2.° Solvenda est pecunia mutuata pro emtione, vel constructione, reparatione domus, vel alius fundi; pro cultura agrorum; pro collectione segetum, pro vectura mercium cum pacto expresso, ut hæc omnia remaneant creditori hypothecata pro solutione. 3.° Solvenda est pecunia data a tutore, curatore nomine pupilli, seu impuberis pro emptione domi, aut alius fundi.

4.° Præferendus est Fiscus in bonis antea hypothecatis cum eo, cum quo contraxit. 5.° Pro recuperatione dotis uxor, ejusque descendentes præferendi sunt aliis creditoribus in bonis illis mariti, quæ ante matrimonium expresse non sint hypothecata. 6.° Denique præferendi sunt qui expenderunt pro sustentatione militum in castris; pro emptione armorum, equorum etc. illis inservientium.

941. Q. Quænam est tertia regula?

℟. Post privilegiatos veniunt creditores hypotecarii, illi nempe, qui pro assecuratione debiti unum, aut plures fundos debitoris hypothecatos, seu obligatos tenent, qui creditoribus non hypothecariis præferuntur. Et etiam inter istos hypothecarios creditores *qui prior est tempore, potior est jure*, sive hypotheca sit expressa; sive tacita. Hoc tamen advertendum, quod hypotheca facta per publicum instrumentum ob præsumptionem fraudis præfertur illi etiam anteriori factæ per scripturam privatam, seu oretenus, nisi a tribus fide dignis, et ab ipsis contrahentibus sit subscripta. Hæ autem regulæ sunt servandæ ubi ex legibus municipalibus aliud non statuatur. Notent Confessarii, et Theologi.

942. Q. Quænam est Hypotheca expressa, et tacita?

℟. Hypotheca *expressa* est quando debitor expresse rem obligat. *Tacita* vero, quando etiamsi debitor nullam faciat de ea mentionem; ex dispositione tamen juris positivi intelligitur facta. Ut pro pecunia mutuo data militi ad emenda arma, jus voluit, obligari bona militis. Sic pro dote promissa marito voluit, obligari bona illius, qui dotem promisit, etsi ad nihilum hi sese obliga-

verint. Sic Lessius, et alii apud Croix (Lib. 3. Par. 2. n. 389.).

943. Q. Quænam est quarta regula ?

℟. Post hypothecarios solvendi sunt chirographarii; ut est Respublica creditrix; sponsa de futuro pro *repetitione* dotis traditæ sponso, non secuto matrimonio; deponens pecuniam apud publicum nummularium, seu depositarium a Republica constitutum; mutans pro solutione creditoris personalis privilegiati; pupillus contra debitorem ex amicitia ejus negotia gerentem. Et post hos restituendum est aliis communibus seu personalibus creditoribus præferendo debita onerosa, ut ex emptione, mutuo, locato etc. debitis illis, quæ ex contractu gratuito, ex. gr. promissione, donatione, legato, et hujusmodi proveniunt.

944. Q. Hi creditores communes anteriores præferendi sunt ne posterioribus ?

℟. Duplex adest sententia. Prima est S. Thomæ, et aliorum (ap. Ferr. ib. n. 66.), qui sentiunt, esse præferendos; nam citata Regula *juris*: *Qui prior est tempore, potior est jure* fundatur in jure naturali, et nihil distinguit. Secunda est S. Antonini, et aliorum (ibid. n. 67.), qui hanc prælationem non admittunt: cum enim debitor pluribus creditoribus se obligarit, si postea ob latrocinium, incendium, aut aliam causam ad inopiam venerit; nec possit omnibus satisfacere in totum, debet in partem pro rata omnibus satisfacere. Hinc si quis debeat quingenta, et possit solvere solum centum, dividantur hæc inter creditores, assignando viginti in singula centena. Hæc secunda sententia æquior videtur. Sed consulantur Leges particulares, et justæ locorum consuetudines.

945. Q. Quid dicendum, si hic debitor uni tantum creditori dederit centum, quæ habebat?

℟. Si creditor exegerit debitum suum in judicio, certum est apud omnes (ib. n. 70.) debitorem teneri ad hujus solutionem, omissis aliis creditoribus; jura enim statuunt, diligentiorem in repetendo debito cæteris præferri. Imo Layman, et alii (ibid. n. 71.) hoc permittunt etiam creditori extra judicium repetenti ob suam vigilantiam, et diligentiam (ex L. *Pupillus*). Si autem debitor non postulatus uni tantum vel ob affinitatem, vel ob amicitiam totum dederit, contra justitiam peccabit (nisi excusetur a bona fide, et si ad pinguiorem fortunam pervenerit, omne damnum, quod aliis creditoribus intulit, majori cum rigore teneretur resarcire; præsertim si hujusmodi creditor in sententia S. Thomæ aliis fuisset posterior; et talis creditor juxta Salmaticenses, et alios, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 693.) in conscientia tenetur aliis pro rata satisfacere.

946. Q. Debita certa sunt ne incertis præferenda?

℟. Si dubium sit, an aliquid debeatur, certa sunt incertis præferenda: quia restitutio debiti certi, ut bene notat Illsung (T. 4. d. 3. n. 193.) est certo debita, non autem incerti. Si autem certum sit aliquid deberi, sed dubitatur, quis sit dominus; videtur pariter præferenda sententia illorum, qui dicunt, dominos certos esse anteponendos; merito enim præsumi potest, dominum ignotum in hoc consentire: quia si integrum servetur ejus debitum; et debitor ad pinguiorem fortunam redeat, potest ipse sperare, quadam die a debitore dominum detectum iri, et

proinde satisfactum. Et si dominus non detegatur, tunc saltem in pios usus expendere poterit (Collet Tr. de Just. de Rest. in gen. Cap. 3. Sect. 2. Concl. 4.).

Paragraphus V.

De Circumstantia : Quove loco.

947. Q. Quo in loco facienda est restitutio?

℟. Si restitutio facienda sit ex delicto, idest ex injusta acceptione, detentione, damnificatione, regulariter loquendo, sumptibus, et periculo iniqui debitoris facienda est in eo loco, ubi dominus eam fuisset habiturus, aut translaturus, si injuste ablata, detenta, aut destructa non fuisset, deductis tamen expensis, quas in ea conservanda, aut deferenda dominus debuisset facere. Communis apud Ferraris (V. *Restitutio* Art. IV. n. 1., et 2.). Sic enim dominus, indemnis, ut æquum est, servabitur, et ex alterius culpa damnum, et pœnam non sentiet.

948. Q. Quare dixisti : *regulariter loquendo* ?

℟. Quia si pro restituenda re in loco, ubi dominus illam haberet, faciendæ essent expensæ triplo, quadruplo etc. majores quam res restituenda valeat, præferenda videtur sententia S. Thomæ, aliorumque (ap. Ferrar. ib. a n. 5. ad 8.), qui dicunt, si res sit magni valoris, posse tunc differi restitutionem quousque appareat commodior occasio ad restituendum; et si hæc spes non adsit, restituatur proximis consanguineis domini, aut hæredibus, et in horum defectu, in usus pios : præsertim (adderem) si debitor sit pauper, et non viceversa. Ratio, quia charitas, quæ est

regina omnium virtutum, et recta ratio dictat, dominum nolle rationabiliter, ut cum tanto et intolerabili damno debitoris sibi restituatur: dummodo dominus non egeat; quia tunc etiam cum hoc tam notabili dispendio deberet debitor domino restituere; et damnum sibi emergens suæ malitiæ adscribat.

949. Q. Possessor bonæ fidei ubi restituere debet?

℟. Si quis comperiat, equum ex. gr. furtivum bona fide emptum esse Titii, monito domino, quid de suo equo disponat; in loco, quo noscit esse alienum, debet restituere; et ad nihil aliud tenetur; et dominus ipse suis sumptibus, et periculo ad se transferendum curare debet. Communis (ap. Ferr. ib. n. 9., et 10.). Si autem comperta veritate, ille negligeret dominum monere, et alieno equo uti pergat, ut iniquus detentor ad omnia teneretur, ad quæ hic (n. 947. et 948.) diximus teneri debitorem ex delicto. Si autem hic bonæ fidei possessor nesciat, quis sit, aut ubi extet dominus, faciat quod supra (n. 926. et 927.) dictum est.

950. Q. Quid dicendum de debitis ex contractu?

℟. Debita ex contractu restitui, et solvi debent in illo loco, et expensis, ut inter contraentes conventum est. Et si nullum pactum nec expressum, nec tacitum intervenerit, observetur praxis, et consuetudo regionis. Generaliter autem loquendo, ab illo faciendæ sunt expensæ, in cujus utilitatem vergit contractus, vel qui contractum petit. Hinc qui equum conduxit, vel commodatum accepit, hic suis expensis ad dominum remittere debet. Qui depositum alteri tradidit, illud propriis impensis ad se transferre debet.

951. Q. Quid addendum circa periculum rei ad dominum remittendæ?

℟. Si res restituenda sit ex delicto, jam dictum est (n. 947.), periculo iniqui debitoris esse remittendam: dummodo non remittatur per latorem ab ipso creditore designatum. Hinc si lator rei restituendæ etiamsi sit proprius Confessarius, ut communiter, et probabilius sentiunt S. Antoninus, Lugo cum aliis, quos citat, et sequitur Croix (L. 3. p. 2. n. 422.), rem restituendam sibi retineat, aut perdat, etiam absque sua culpa; debitor denuo debet restituere ex vi injustæ acceptionis præteritæ, non aliter ac si res apud se periisset: quia tenetur dominum prorsus indemnem servare. Et si hujusmodi debitor pluries debeat restituere, sibi imputet.

952. Q. Quid dicendum, si remittantur debita ex re accepta, vel ex contractu?

℟. Jam dictum est (n. 949.) debita ex re accepta sumptibus, et periculo domini esse remittenda. Excipe, si res culpa remittentis periret. Quæ autem debentur ex contractu, si remittantur per latorem fidum, et non diversum a designato a creditore, et in via casu fortuito pereant; si illarum rerum dominium sit penes creditorem, ut si esset res ab ipso commodata, locata, deposita, empta etc. creditori perirent. Si autem dominium adhuc esset apud debitorem, ut pretium domus conductæ, vel tritici a se empti, aut res sibi mutuata, et similia, debitori perirent: quia sicut res domino fructificat, sic domino perit, si fortuito pereat.

Paragraphus VI.

De Circumstantia : *Quæ causa excusat*, *seu de Causis a restitutione excusantibus*.

953. Q. Quæ Causæ a restitutione excusant?
℟. Aliæ sunt causæ, quæ excusant ad tempus, seu restitutionem suspendunt, cum scilicet hic et nunc non potest quis restituere, sed potest alio tempore. Aliæ sunt causæ, quæ excusant pro semper, et sunt illæ quæ totalem tollunt, et extinguunt obligationem restituendi. Quando autem hæc suspensio, et extinctio restitutionis possit fieri licite, ut debito ordine procedamus, in duas sectiones hunc Paragraphum dividendo, videbimus.

Sectio I.

De Suspensione restitutionis.

954. Q. Quando Restitutio potest suspendi?
℟. Quando aliqua ex his tribus circumstantiis concurrit: damnum scilicet creditoris, vel alterius; impotentia debitoris; et cessio bonorum ipsius debitoris. Et primo, si occurrat, sive prævideatur aliquod *damnum* sive spirituale, sive temporale creditori eventurum ex restitutione, christiana charitas dictat, esse illam differendam: ut si ex restitutione pecuniæ abutatur dominus in ludos, commessationes, ebrietates, luxurias, et hujusmodi. Imo si creditor re sua sit abusurus in injuriam alterius, non solum ex charitate, sed etiam ex justitia, ut communiter sentit Lugo cum aliis apud Croix (n. 427.) teneretur dif-

ferre restitutionem gladii ex. gr. cum quo dominus vellet occidere (nisi ex negatione restitutionis majus malum timeatur) : quia quisque habet jus, ne cooperetur ad ejus damnum.

955. Q. Quando ex impotentia differri potest restitutio ?

℞. Quando in debitore concurrit vera impotentia vel physica, vel moralis. *Impotentia physica*, quando debitor hic et nunc nihil penitus habet, unde vel in totum, vel in partem possit restituere : *Nemo* enim *ad impossibile potest obligari* (ex C. *Nemo potest* 6. de Reg. jur. in 6.). Dixi : *vera impotentia*: quia si debitor acceptando hæreditatem, donationem, legatum, aut abstinendo a ludis, ac commessationibus ; resecando luxus, et vanitates ; parcius vivendo ; occupando se in aliqua professione, arte, industria etc. posset nisi totum simul, saltem in partes, et paulatim citius restituere ; et hæc omnia nollet, cum non posset dici *vere* impotens, non excusaretur : quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ordinaria, et possibilia. Sic Lugo cum aliis, quos citat, et sequitur Croix (n. 427.).

956. Q. Quando differri potest restitutio *ob impotentiam moralem* ?

℞. Varias ob causas. 1.ª Quando incurritur grave, et probabile periculum amittendi bona altioris, et superioris ordinis. Ut si nequeat fieri restitutio absque periculo salutis animæ, vel absque periculo vitæ, vel absque notabili detrimento famæ : quia hisce casibus creditor non deberet esse rationabiliter invitus de dilatione restitutionis ; nisi etiam ipse in consimili periculo versetur. Hinc si quis ob faciendam restitutionem cogeretur mediis illicitis propriam, et suorum sustentationem pro-

curare; et periculum sit, ut ipse per impatientiam incidat in desperationem; ne uxor, et filiæ se prostituant; ne filii se dent latrociniis: vel periculum sit, ut fame pereat, vel in gravem morbum incidat: aut si ob faciendam nunc restitutionem in suspicionem veniatur gravis occulti criminis, et propterea diffamandus; in omnibus his casibus ob *impotentiam moralem* posset differri restitutio. Communis ap. Ferr. (ib. Art. 5. n. 8. etc.).

957. Q. Quænam est secunda causa differendi restitutionem *ob impotentiam moralem?*

℟. Est, quando quis, si statim restituat, deberet notabiliter decidere a statu suo honesto, et juste acquisito. Ut si quis nobilis juxta conditionem nobilium, civis proprietarius juxta conditionem suorum parium, artifex, et operarius juxta conditionem aliorum artificum etc. honeste vivere non possint. Hic tamen notandum, quod hi omnes juxta propriam conditionem restringere debent expensas, rejicere superflua etc. ut dictum est supra (n. 955.). Alias enim non essent *moraliter impotentes*. Hoc autem currit, quando status dejectio non immineat etiam creditori: quia tunc restitutio non posset differri. Notent hæc debitores illi, qui licet debitis obstricti, volunt luxuriari, pompose vestire, delicate nutriri, et hujusmodi. Et notent hæc etiam illi Confessarii, qui tales debitores facile absolvendos putant.

958. Q. Quare dixisti: *juste acquisito?*

℟. Quia si ille status splendidior acquisitus sit furtis, rapinis, usuris, aliisve mediis illicitis, debitor non potest restitutionem differre, ne cadat a suo statu; sed tenetur restituere etiam cum totali jactura hujusmodi status acquisiti: hoc enim non esset de suo statu cadere, sed descendere ab

eo, qui non erat suus, et ad pristinum redire. Communis per textum in Cap. *Cum tu* 5. de Usuris. Et cum ex fictione juris hæres sit una persona cum defuncto, succedatque ad omnes ejus jura, et obligationes; patet, ad hæc omnia teneri etiam hæredem hujusmodi injusti debitoris. Lessius, quem sequitur Piselli P. 1. Tr. 9. Cap. 29.

959. Q. Quænam est tertia causa?

℟. Quando si debitor faceret statim restitutionem, deberet pati in bonis suis temporalibus aliquod grave, et notabile damnum; ut si deberet vendere domum, vel prædium pretio longe minori, quam valent; si impos redderetur ad educationem filiorum, ad collocandam familiam; et aliunde effulgeat spes restitutionem postea faciendi absque tanto detrimento, et incommodo: cum hoc casu creditor non sit censendus adeo inhumanus, ut cum tanto damno sui proximi velit sibi satisfieri, poterit debitor ad aliud tempus commodius restitutionem differre; dummodo creditor ipse in æquali necessitate non versetur: quia tunc teneretur statim restituere; in pari enim damno melior est conditio creditoris in sua re strictum jus habentis, præsertim si restitutio facienda sit ex delicto. Communis ap. Ferr. n. 17.

960. Q. Quænam est quarta causa?

℟. Quando debitor versatur in extrema necessitate; ita ut si statim restituat, aut ipse, aut sui periculum incurrant fame moriendi, aut ut sentit Piselli (ibid.) incurrant periculum amittendæ salutis tam corporalis, quam spiritualis; etiam in hoc casu suspendi potest restitutio, etiamsi creditor in æquali extrema necessitate versetur, si debitor prius in dictam necessitatem inciderit: quia cum in necessitate extrema omnia sint com-

munia, ut supra (n. 815.) probatum est, conditio debitoris rem possidentis melior est. Non desunt tamen multi, et graves Doctores (ap. Ferrar. n. 21.), qui fundate asserunt, quod si debitor, et creditor versentur in pari extrema necessitate; tunc debitor teneatur restituere, saltem si debitor habeat in specie rem creditoris, et multo magis, si creditor prius in hujusmodi necessitatem inciderit, quia hoc casu creditor duplex habet ad suam rem habendam jus et dominii, et extremæ necessitatis.

961. Q. Debitor potest ne differre solutionem, ut ex pecunia restituenda lucrum percipiat?

℟. Nequaquam. Non enim est æquum, nec rationi consentaneum, ut creditor sua pecunia defraudetur, ut debitor ex illa lucrum reportet, præsertim si restitutio facienda esset ex delicto. Imo si ex culpabili debitoris dilatione lucrum cessans, vel damnum emergens creditori obvenerit, ad compensationem ille teneretur. Notat tamen Cuniliati (Tr. 9. Cap. 5. §. 18. n. 4.), quod si debitor lucrum illud quærat, ut aut ipsi creditori, aut aliis possit totum restituere, quibus alioquin per aliam viam satisfacere non valeret, creditor ex charitate dilationem concedere teneretur: dummodo ex hac dilatione grave non sit passurus incommodum.

962. Q. Quando per cessionem bonorum potest differri restitutio?

℟. Quando quis vere, et non ficte noscens se impotentem omnibus debitis solvendis, ne trahatur in carcerem, vel ut inde liberetur, renuntiat omnibus bonis suis temporalibus, quæ inter creditores dividuntur. Hic etiamsi in foro externo juxta consuetudinem locorum, non possit amplius

molestari; in foro conscientiæ tamen, ut probabilius judicant Lessius cum aliis apud Croix (n. 436.), si ad meliorem fortunam rediret, teneretur in conscientia omnibus creditoribus pro posse satisfacere. Imo in hoc Regno Neapolitano etiam in foro externo ad id teneretur (Codic. n. 12.—24.), et quamvis Lex Civilis cedentibus sua bona, qui decoctores, vulgo *falliti* appellantur, valde parum pro sustentatione relinquat, præsertim si ex industria bona sua dilapidassent: attamen in foro conscientiæ si aliunde non habent, possunt sibi reservare necessaria sustentationi tam pro se, quam pro suis convenienter ad proprium statum una cum instrumentis propriæ professionis, vel artis.

Sectio II.

De Restitutionis Extinctione.

963. Q. Quando obligatio restitutionis extinguitur?

℟. Sex de causis: per remissionem, per compositionem, per compensationem, per auctoritatem superiorem, per præscriptionem, et per interitum rei inculpabilem apud possessorem bonæ fidei. Extinguitur per *præscriptionem*, quando res aliena est legitime præscripta, ut dictum est supra (a n. 635. ad 644.). Extinguitur per *interitum* rei inculpabilem, quando apud possessorem bonæ fidei res aliena perit absque sua culpa, nec ex ea factus est ditior, ut dictum est n. 849. quia si factus sit ditior, deberet hoc restituere, ut ibi dictum est. Videamus nunc alias causas, quæ pro semper a restitutione excusant.

964. Q. Quando excusat *Remissio*?

℟. Quando quis habens potestatem donandi, voluntarie, et libere remittit alicui vel expresse, vel tacite rem sibi debitam, dummodo aliqua remissio a jure non vetetur. Communis: quia qui potest donare, potest etiam condonare. Dixi 1.° *habens potestatem donandi*; quia qui non potest donare, ut dictum est supra (n. 774.) nec potest condonare, ut patet. Dixi 2.° *voluntarie*, *et libere*, quia si quis pauperem, et impotentem se fingat; aut minis, fraude, vi extorqueat a creditore remissionem debiti, debitor a restitutione non eximeretur. Dixi 3. *expresse*, *vel tacite*, quia hujusmodi condonatio non solum fieri potest *expresse*, sed etiam *tacite* ex. gr. per lacerationem, vel restitutionem instrumenti, seu scripturæ debiti.

965. Q. Quare dixisti: *Si a jure non vetetur?*

℟. Quia aliquæ remissiones a Jure sunt vetitæ; et non obstante remissione, adhuc debetur restitutio. Ut esset remissio facta Judici Ecclesiastico, qui præter id, quod a jure est sibi permissum, aliud reciperet (ex Cap. *Statutum* 11.). Item nulla est remissio, quæ fieret Visitatori, qui præter sumptus ad sustentationem necessarios aliud reciperet in visitatione Ecclesiarum (ex. Cap. *Exigit* 2.). Nulla pariter est remissio pecuniæ quam ratione Officii Inquisitores forsan extorquerent (Clement. *nolentes* 2.). Pariter nulla est remissio distributionum, et punctaturæ facta Canonicis absentibus a residentia (Trid. Sess. 24. Cap. 12. de Ref.). Hi omnes, non obstante partis remissione, ad restitutionem tenentur.

966. Q. Quando excusat *Compositio ?*

℟. Quando Summus Pontifex ob jus indirectum, quod habet in res temporales, accedente necessi-

tate boni spiritualis, in casu, quo ignoretur Dominus, cui facienda est restitutio, indulget debitori, ut tradita aliqua summa in usus pios impendenda, reliquum debiti possit licite sibi retinere. Sic communiter Doctores apud Ferraris (*V. Restitutio* Art. 5. n. 41. et 42.). Quamvis autem de facto Papa non concedat hanc compositionem, nisi quando dominus est incertus, accedente tamen justa, ac legitima causa ejus animum movente, posset etiam concedere, quando dominus est certus: quia, ut dicunt prædicti Doctores, sicut Lex civilis per præscriptionem potest transferre dominium: sic Papa posset hoc casu transferre portionem debiti de domino ad alium. Notent ii, qui bona fide hæreditarunt bona furtiva, usuraria, aut alio modo injusta. Ad compositionem autem revocatur etiam Transactio.

967. Q. Quid est *Transactio*?

℟. Transactio, quæ fieri non potest nisi ab iis, qui potestatem habent donandi (n. 774.), dupliciter sumi potest; *lato modo*, et est amicabilis conventio, qua ad evitandas, aut ad componendas lites, aut ad dirimendas alias quæstiones creditor partem debiti gratis debitori remittit (C. *Super eo* 7. de Transact.). Et hæc a restitutione liberat, dummodo aliqua fraus, dolus, vis, aut minæ non intercesserint. Transactio autem *stricte* sumpta est *de re dubia, et controversa, sive lite incerta, et nec dum finita, non gratuita, sed onerosa inter partes conventio, seu pactio, vel compositio*, ut desumitur ex L. *Qui transigit* 1. ff. de Transact. Etiam hæc *stricta* transactio semel bona fide, et absque dolo legitime celebrata a restitutione liberat, etiamsi postea novæ rationes cognoscantur; nec invita parte re-

vocari potest, nisi, ut probabilius sentit Bartolus cum aliis multis contra alios, ob læsionem enormissimam. Videatur Ferraris V. *Transactio* per totum.

968. Q. Quando excusat *Compensatio*?

℟. Quando unus est debitor alterius in aliqua re ejusdem speciei, ex. gr. Titius debet mercatori pecuniam ex tritico empto, et mercator debet Titio pecuniam ex damno injuste causato, si debitum sit utrinque æquale, uterque creditor immunis erit a restitutione. Si autem debitum unius sit majus debito alterius, quod superest, sive superfluum semper erit restituendum. Dixi: *ejusdem speciei*, quia si unus debeat pecuniam, et alter aliam rem diversam, ex. gr. rem sibi commodatam, locatam, depositam etc.; ob pecuniam, quam alter debitorum habere debeat ex altero, non potest sibi retinere rem commodatam etc. Poterit tamen per retorsionem, ut ex L. *Si non sortem*. §. *Si centum* etc. rem non reddere, donec alter debitor vicissim solvat. Vide Croix (ibid. n. 455. et 456.).

969. Q. Quando excusat *Auctoritas superior*?

℟. Quando per dispositionem Legis, vel Judicis adjudicatur alicui quod aliunde non est suum. Ut quando res aliena alicui adjudicatur per præscriptionem (Vide supra a n. 635. ad 644.). Item cum Judex in pœnam delicti imponat mulctam pecuniariam solvendam alicui injuriato, hic injuriatus potest acceptare, et retinere mulctam sic acceptam, quia per justam Judicis sententiam illa facta est sua. Ob eamdem rationem potest quis acceptare, et retinere pretium damni absque culpa Theologica ab alio sibi causati, cum ob bonum publicum a Judice sit hoc decisum. Sicut minor, vel pupillus ob eamdem dispositionem Legis

(L. 2. C. de filio famil.) non tenetur restituere pecuniam mutuo acceptam, quam in luxum, et lascivias consumpserit. Vide Croix n. 451.

TRACTATUS IX.

De VIII. Decalogi Præcepto.

Non loqueris contra Proximum tuum falsum testimonium.

970. Q. Quid in hoc Præcepto præscribitur? ℟. Etiamsi prima fronte falsum tantummodo testimonium videatur prohiberi; non hoc solum, sed etiam mendacium, quo falsum dicitur ad decipiendum Proximum, vetatur. Prohibetur insuper injusta læsio famæ, et honoris, quam lædit qui contra Proximum obloquitur. Præcipitur, ut famam, et honorem, quem non licet denigrare, conservemus. Et cum falsi testes, et injusti læsores famæ, et honoris contra justitiam peccent, præcipitur proinde, etiam restitutio. Cumque non semper fieri possit hæc restitutio, etiam de Causis a restitutione excusantibus agemus hoc loco. De mendacio jam egimus supra (a n. 301. ad 311.), ubi de Perjurio. De çeteris erit objectum hujus IX. Tractatus.

Caput I.

De Falso Testimonio.

971. Q. Qui de falso testimonio sunt rei? ℟. Sunt illi, qui falsum pro vero, aut incer-

tum pro certo in judicio malitiose deponunt. Ut qui asserit, occisorem Titii fuisse Sempronium, damnificatorem campi fuisse Cajum; et neutrum sit verum. Aut qui deponit, equum venditum esse quinquaginta ducatis, et non certo recordatur; eum, qui blasphemavit, fuisse Titium; et non certo cognovit. Hi falsi deponentes graviter peccant, ut Communis cum S. Thoma (2. 2. q. 69. a. 1.); et si jurent, aliud peccatum et grave quidem, idest perjurium, committunt.

972. Q. Ad quid tenentur falsi depositores?

℟. Veluti culpabiles damnificatores (n. 855.) ad omnia damna parti læsæ causata, tenentur, et ad se retractandum, seu revocandum suum falsum testimonium etiam cum pari suo damno, et etiam cum periculo vitæ, si reus pro sua injusta et falsa depositione periclitetur ad mortem damnari: dummodo credatur, retractationem profuturam (saltem proderit ad reparandam famam). Communis ap. Ferraris (V. *Testis* Art. 3. n. 41.): quia in pari damno melior est conditio innocentis. Dixi *malitiose*: quia si quis ex ignorantia invincibili, inadvertentia, aut oblivione inculpabili (si detur hæc inculpabilis ignorantia, oblivio, inadvertentia) falsum deposuit, quamvis teneatur se retractare, et modo meliori, quo possit, damnum impedire; ad restitutionem tamen damni illati non tenetur, utpote inculpabilis damnificator. Cajetanus cum aliis ap. Ferr. ib. n. 43.

973. Q. Qui occultat veritatem reus ne est de falso testimonio?

℟. Etiamsi extra judicium interdum expediat, et aliquoties debeat etiam verum taceri; in judicio autem, ubi testis legitime interrogetur a Judice juris ordine servato, idest, quando hominis

infamia, justa accusatio, vel denuntiatio criminis cum semiplena probatione, vel alia sufficientia indicia præcesserunt, tunc regulariter loquendo tenetur sub gravi testimonium ferre, et dicere veritatem, ut Doctores communiter cum S. Thoma (2. 2. q. 70. a. 1.): quia in iis, quæ ad justitiam pertinent, debet testis Superiori obedire. Et hic valet quod dicit S. Augustinus relatus ab eodem S. Doctore (ibid.): *Qui veritatem occultat, et qui dicit mendacium, uterque reus est.* Vide etiam quæ dicuntur Lib. III. n. 255. etc.

974. Q. Quare dixisti: *regulariter loquendo?*

R/. Quia si quis delictum aliquod ex sacramentali solum noverit Confessione, non solum non potest, sed absque gravissimo peccato nec debet patefacere: quia notitia, quæ habetur ex sacramentali Confessione non est communicabilis. Sunt etiam alii casus, in quibus testis potest veritatem occultare: ut si criminis notitiam habeat sub secreto naturali: si habeat per injuriam, ex. gr. literas aperiendo, hominem cogendo etc. si ex testificatione sibi, vel suis notabile damnum immineat: dummodo damnum gravius alteri non eveniat; aut nisi crimen Regno, aut Communitati sit perniciosum, ut proditio, et similia, quæ alias impediri non possent; quia cum bonum publicum prævalere debeat privato, teneretur patefacere. Vide Ferraris (Loc. cit. n. 38.).

975. Q. Quid agendum, si quis cogatur a Judice ad testificandum?

R/. Tunc potest testis facere quod S. Thomas (2. 2. q. 69. a. 1.) suggerit reo, idest, *vel per appellationem*, vel *aliqua dissimulatione*, ut subdit q. 110. a. 3. ad 4. *vel aliter licite subterfugere: mendacium tamen dicere non licet.*

Sic si testis certo sciat, in illa actione ab accusato commissa culpam non adesse; quia ex. gr. ex invincibili ignorantia hominem pro fera ille occiderit: quia rem alienam ob justam compensationem, vel extrema necessitate coactus abstulerit etc.; tunc si testis cogatur ad testificandum, etiam cum juramento potest deponere, *crimen nescire*: quia mens Judicis, ut bene advertit Layman cum aliis (ap. Ferrar. ibid.), est inquirere *de crimine* quod in prædicto casu cum non adsit, testis falsum non jurat.

976. Q. Licet ne ob proximi utilitatem falsum deponi?

℟. Nequaquam. Sic ex S. Augustino, et S. Thoma respondet Catechismus Romanus (de VIII. Præc. *n.* 5.) 1.° quia nemini etiamsi propinquo, et amico per mendacium, et vanitatem, et multo minus perjurio favendum est; 2.° quia sæpe contingit, ut qui alteri favet, obsit alteri, cui forsan delictum imputabitur; et si aliis non obsit, obest sibimet, qui ob liberandum alium a pœnis temporalibus, addicit se pœnis æternis; 3.° quia qui ob falsum alicujus testimonium se novit impunitum, exultans iniqua victoria, assuescet corrumpere, falsosque adhibere testes; et delicta quia impunita; imo protecta de die in diem augentur, et vitia triumphabunt.

Caput II.

De Fama, et Honore.

977. Q. Quid est *Fama*, et *Honor?*

℟. *Fama* est bona opinio, et æstimatio de alicujus personæ excellentia; aut absolute in omni

genere, morali, litterario, civili; aut respective, puta scientifico, oratorio etc.; aut in aliqua particulari facultate, ex. gr. Theologia, Medicina, Geometria, et similibus. *Honor* autem est protestatio reverentiæ alii exhibita ob virtutem, et excellentiam, quam in illo cognoscimus. Hinc *Fama* in interiori judicio posita est. *Honor* vero in externo æstimationis signo consistit. Conservamus *Famam* in nobis, quando bonam opinionem, quam apud alios nos habemus, nec dictis, nec factis denigramus. Eam conservamus in aliis, quando nec interne, nec externe bonam aliorum opinionem, et excellentiam denigramus. *Honorem* in nos conservamus, quando dictis, et factis ostendimus, dignitatem, et characterem, qui in nobis est, revereri. Ostendemus in alios, quando aliquo signo externo reverentiam aliis exhibemus.

978. Q. Est ne obligatio conservandi propriam famam?

℟. Superiores tum Ecclesiastici, cum Civiles, aliique omnes, *quibus*, ut ait S. Thomas (Quodl. 20. a. 13. in corp.) *ex officio, vel statu perfectionis aliorum saluti providere incumbit, peccant, nisi infamiam propriam juxta posse repellunt.* Ratio; quia prædictis, utpote publicis personis bona fama necessaria est ad promovendum gloriam Dei, hominum salutem, et alia publica bona. Est, inquam, necessaria, non eo fine, ut in ea fama sibi complaceant (hoc enim vitiosum esset), sed ut Dei gloriam, et aliorum bonum ipsi promoveant; aliisque exemplo, et opera magis possint prodesse; et *nemo* illos *contemnat*, ut inquit Apostolus ad Titum (2. v. 15.). Et idcirco idem Apostolus requirebat a Ti-

motheo, qui erat Episcopus, *bonum nomen ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli* (2. Timoth. 3. 7.).

979. Q. Quid dicendum de persona privata?

℟. Etiam personæ privatæ tenentur propriam famam conservare non *propter seipsum*: quia hoc *esset inanis gloria*, ut docet S. Thomas (ibid.); *sed propter proximum ædificandum*, et Deum *honorandum*. Idem præcipit Christus: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*. (Matth. 5. 16.). *Conscientiam bonam*, subdit Augustinus (de bono viduit. C. 22.) *nobis debemus*; *bonam famam proximo*. Et idcirco Spiritus Sanctus tanto calore nos monet: *Curam habe de bono nomine* (Eccl. 41. 15.). Et alio loco (Prov. 22. 1.) *melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ*.

980. Q. Quomodo peccat, qui suam famam non conservat?

℟. Soto (ap. Besomb. de VIII. Præc. c. 4. a. 2.) sentit, personam privatam paccare venialiter, dummodo tales circumstantiæ non interveniant, quæ mortaliter peccatum aggravent: quia tunc regulariter loquendo peccaret graviter; ut si quis jactitet peccatum a se commissum: si jactitet se de aliquo peccato, quod non commisit, ut quandoque faciunt aliqui scelesti homines: si mendacium suum jurejurando confirmet: si ejus diffamatio in præjudicium alterius vergat, ut si paterfamilias manifestet suum crimen occultum, ex quo grave damnum familiæ eveniat: et sic de similibus. Dixi: *regulariter loquendo*: quia si quis sincera humilitate, et animi contritione aliquod suum peccatum manifestaret, ut adstantes pro illo orent,

tunc non peccaret : quia hujusmodi manifestatio non scandalum, sed ædificationem pareret. Superiores autem, aliæque pubblicæ personæ propriam infamiam occultam manifestando raro excusarentur a gravi ob rationes superius (n. 978.) expositas.

981. Q. Tenemur ne honorem proximo exhibere ?

℟. Maxime : omnibus hominibus aliquis honor est adhibendus major, vel minor juxta qualitatem, excellentiam, et dignitatem personæ. Clare eruitur ex Epislola prima S. Petri (2. 13.) : *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum . . . . . quia sic est voluntas Dei . . . . . omnes honorate*. Item ex S. Paulo (Rom. 12. 10.) : *Honorem invicem prævenientes*. Et si omnes sunt honarandi, multo magis, honorari debent qui sunt in aliqua Ecclesiastica, aut Civili dignitate constituti, ut patet. Nec obstat, quod aliquis sit vitiosus : quia hic honorem meretur non ratione peccati, quod vituperatione est dignum, sed propter personam, quam repræsentat; Christi nempe, si est persona ecclesiastica, ut monet S. Thomas (Quodl. 8. a. 7.); Reipublicæ, seu Principis, si dignitatem civilem habeat. Et ideo, concludit S. Doctor, *ei est honor exhibendus non propter se, sed propter eum, cujus locum obtinet; sicut adoratio Imaginis ad prototypum refertur*.

982. Q. Quomodo peccat qui proximum inhonorat ?

℟. Dupliciter potest quis alium inhonorare; *negative*, negando ei, præsertim, si sit Superior, respectum, et reverentiam, quam meretur : et tunc peccatum ex se foret veniale. Si autem inho-

rat *positive*, dicendo personæ præsenti, vel coram ejus ministro, aut imagine verba ei injuriosa, aut aliquam actionem faciendo, quæ ex se sit dehonorativa, si hæc fiant ex odio, ex aversione, ex vindicta, aut animo proximum dehonorandi, erunt peccata mortalia, si adsit plena deliberatio ex parte agentis, et gravitas materiæ ex parte rei, præsertim si dehonoratus sit Superior. Erunt peccata venialia, si interveniat aut indeliberatio, aut levitas materiæ. Besombes (ibid. C. VI. Art. 2.

Caput III.

De injusta læsione famæ, et honoris.

983. Q. Quomodo læditur fama, et honor?

℟. Læditur fama per diffamationem: læditur honor per dehonorationem. Diffamatio vel est interna, vel externa. Diffamatio *interna* fit per dubium, suspicionem, opinionem, et judicium temerarium: diffamatio autem *externa* fit per detractionem. Dehonoratio autem proximi fit per contumeliam, convicium, improperium, et derisionem; quæ omnia in sequentibus Paragraphis explicabimus.

Paragraphus II.

De Diffamatione interna, seu de Dubio, Suspicione, Opinione, et Judicio temerario.

984. Q. In quo differunt Dubium, Suspicio, Opinio, et Judicium?

℟. *Dubium* est hæsitatio intellectus in neutram partem inclinans, et hoc non est peccatum, ut si cui venit in mentem, Titium, qui noctu ex

prædio alieno exit, furtum ibi commisisse. *Suspicio* est actus intellectus, quo magis inclinatur ad credendum, ex. gr. Titium furtum in illo prædio commisisse, sed non assentitur. *Opinio* est actus intellectus, quo assentitur illi cogitationi, Titium furatum fuisse, sed non assentitur certo, imo cum formidine de opposito. *Judicium* vero est actus intellectus, quo certo, et absque formidine de opposito judicat, rem ita esse, ex. gr. Titium illa hora noctis fuisse furatum. Quando ergo Dubium, Suspicio, Opinio, Judicium sunt temeraria, tunc intervenit interna diffamatio proximi, quæ foret peccaminosa. Secus autem, si sint fundata.

985. Q. Quomodo noscitur, an Dubium, Suspicio, Opinio, et Judicium sint temeraria, an fundata?

R/. Quando quis absque sufficienti fundamento, nullis, aut levibus indiciis, vel certe insufficientibus dubitat, suspicatur, opinatur, judicat de improbitate proximi, ut in exemplo supra allato, temerarie aget: quia ut inquit Apostolus (1. Chorinth. 13. 5.) *Charitas non cogitat malum*; et juxta S. Thomam (2. 2. q. 60. a. 4.): *Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus Eum ut bonum habere.* Nec quia quis nocte e prædio exit alieno, sufficiens indicium est ad supponendum furtum. Sicut nec esset indicium sufficiens, si quis a persona levi, aut solita mentiri factum audivit. Et hic nota, quod quo gravius est peccatum, quod supponitur commissum; et quo gravior est persona, quæ supponitur rea; eo graviora, et clariora indicia requiruntur.

986. Q. Quando judicium etc. fundatum censetur?

℟. Quando perpensis circumstantiis temporis, loci, personæ, ea occurrunt indicia, quæ virum probum, prudentem, et cautum possint movere ad ita dubitandum, judicandum etc. Ut si quis tempore nocturno videat aliquem scalas ascendere, per fenestram ingredi domum, judicet, ad furtum, aut stuprum patrandum esse ingressum. Sic si quis videat juvenem domum intrare, ubi mulieres habitant inhonestæ; judicet, aut suspicetur, ad malum finem ivisse, præsertim si juvenis ille ad hujusmodi vitia sit deditus. Sic, si commisso aliquo furto, suspicetur quis de tali persona domum ingressa, quæ solita sit furari. Si factum auditum sit a persona proba, et prudenti. Et sic de similibus. Caute tamen procedendum, sæpe enim etiam hæc indicia fallunt.

987. Q. Quomodo peccant qui temerarie dubitant, suspicantur, opinantur, judicant?

℟. *Suspicio*, et *Opinio* ex genere suo etiam in materia gravi sunt peccata venialia; quia cum in his non sit *plenus* assensus, non adest contemptus proximi, ut accidit in judicio temerario. Ita S. Thomas (2. 2. q. 60. a. 3. et Quodl. 12. a. 34.). Dixi: *ex genere suo*: quia *si fiat ex odio*, ut inquit S. Doctor (ibid.) *erit aliquando mortale. In judicio vero temerario*, cum adsit plenus consensus, *in quantum non est sine contemptu proximi*, *si hoc sit de aliquo gravi* (idest si temerarie judicet, aliquod grave peccatum commissum esse) *est peccatum mortale*. Et etiam hic nota, quod quo gravior est persona, quæ rea judicatur; et quo gravius est defectus, et crimen, quod ei impingitur, eo gravius erit peccatum mortale.

988. Q. Quid circa hactenus dicta est notandum?

℟. Notandum, quod Parochi, Genitores, Magistri, Rectores, aliique curam educationis habentes ad præcavenda scandala, aliave peccata suorum dependentium non solum possunt, sed etiam debent de illis suspicari, seu potius timere, ne aliquid mali committant; et proinde eis vetare quasdam lectiones, quædam colloquia, quasdam familiaritates, et similia, in quibus eorum castitas, pietas, aut religio possit periclitari. Eadem ratione ad præcavenda furta, aliaque damna, quæ nobis, aut nostris possint inferri; dummodo de probitate proximi clare non constet, possumus absque temeritate cum eodem agere, ac si esset suspectæ fidelitatis, absque eo, quod talem eum judicemus, aut suspicemur juxta illud tritum: *diffidentia est mater securitatis*. Et ideo scripturæ formantur, juramenta exiguntur, sub clavibus res custodiuntur etc.

989. Q. Quid præterea addendum?

℟. Addendum quod Sylvius (in 2. 2. q. 60. a. 3. q. 1. concl. 4.) insinuat personis timoratis, præsertim scrupolosis, quæ sinistras cogitationes contra proximum patiuntur, et postea dubitant, an consensum præstiterint, ac peccaverint. Seipsas examinent; et quotiescumque conscientia respondeat, se noluisse consentire, si advertissent, illud esse judicium temerarium, censendum est, ob defectum consensus voluntarii, vel non plene deliberati non peccasse saltem mortaliter. Et eamdem regulam servent in cogitationibus contra Fidem, castitatem etc. quas Dæmon ad inquietandam, et turbandam devotionem talium animarum toties suggerit.

Paragraphus II.

De Diffamatione externa, seu de Detractione.

990. Q. Quid, et quotuplex est *Detractio?*

℟. *Detractio* est alienæ famæ injusta, et occulta læsio; seu denigratio famæ hominis absentis. Hæc autem dividitur primo in *formalem*, quæ fit animo denigrandi famam; et in *materialem*, quæ fit ex levitate, aut loquacitate. *Secundo* juxta S. Thomam (2. 2. q. 72. a. 1. ad 3.) dividitur in directam, et indirectam. Detractio *directa* est, 1.° quando defectus, aut crimen falsum alteri imputatur, vel verbis adaugetur; et hæc proprius vocatur *Calumnia.* 2.° Quando crimen verum, sed occultum quis manifestat; et hæc vocatur etiam *Murmuratio.* 3.° Quando alterius actionem, quæ per se est bona, dicit quis, factam esse mala intentione: quæ hoc versu comprehenduntur: *Imponens, Augens, Manifestans, In mala vertens.*

991. Q. Quando committitur detractio *indirecta?*

℟. Quando quis bonum alterius vel negat, vel malitiose reticet, vel minuit; vel ita frigide exponit, ut hujusmodi laudatio potius cedat in vituperium alterius. Et hæc alio comprehenduntur versiculo: *Inficians, Minuens, Reticens, Laudansque remisse.* Ad hanc externam diffamationem, seu detractionem refertur, quando quis libellos famosos divulgat; aut alienas litteras aperit, aut legit; aut secretum naturale revelat. Item refertur susurratio; et etiam quando quis loquens de aliqua determinata persona, familia, communitate, quibus-

dam expressionibus utitur, ex. gr. Oh! si scires quod agitur in illa domo; quam vitam ducat talis; quibus mediis illa familia sit nunc adeo locupletata. Oh! si mihi liceret loqui, ille doctus est, sed ..... et similibus locutionibus, quæ gravius forsan famam lædunt: quia auditores crimen admodum grave plerumque suspicantur.

992. Q. Quale peccatum est *Detractio?*

℟. Detractio illa, quæ *Calumnia* dicitur, qua quis falsum crimen, aut defectum alteri imponit in materia gravi, aut enormiter adauget; per se est semper grave peccatum non solum contra Charitatem, ut patet; sed etiam contra Justitiam: quia jus alterius lædit, et privat proximum bono sibi debito, idest sua bona fama. Et hoc, etiamsi *falsum crimen quis imponat, ut suam justitiam, et honorem defendat*; ut constat ex Prop. 44. damnata ab Innocentio XI. Dixi *per se*: quia si quis indeliberate illa verba infamantia protulerit; aut defectus imputatus foret levis, ex. gr. protulisse Titium mendacium jocosum, tunc non foret mortale. Communis. Sicut nec graviter peccaret qui non multum delictum adaugeret; ex. gr. si pro novem, decem gallinas diceret quis, Titium subripuisse. Peccaret autem graviter, ut mox dicetur, si crimen sit occultum.

993. Q. Quid dicendum de aliis detractionibus?

℟. Si quis sua voluntaria, ac deliberata detractione sinistre interpretatur bonam alterius actionem; vel negat bonum, aut malitiose illud reticet, aut minuit; vel laudet remisse; etiamsi plerumque hæc sint peccata venialia; potest tamen peccari graviter, si quis prævideat, alterum graviter infamatum iri, aut grave damnum in bonis animæ, vel fortunæ passurum. Si autem volunta-

rie, et advertenter manifestet quis alterius defectum, vel crimen verum utique, sed occultum; peccabit mortaliter non solum contra Charitatem, sed etiam contra Justitiam: dummodo defectus, quem manifestat, non sit levis secundum circumstantias; vel non adsit justa causa manifestandi. Communis. Ratio: quia quousque crimen remanet occultum, unusquisque habet jus ad conservandam suam famam.

994. Q. Quare dixisti: *secundum circumstantias?*

℟. Quia etsi manifestatio imperfectionis, defectus venialis, aut naturalis; ex. gr. quod aliquis sit vanus, solitus mentiri, aliquantum avarus, iracundus, plus æquo bibax, stupidus, spurius, luscus, et similia: etsi hæc detractio absolute et per se sit in materia levi, si fiat ex. gr. de aliquo puero, mancipio, aut de alio homine vilis conditionis: si autem hæc fiat de Prælato, de Superiore, aut de aliquo Sacerdote, Religioso, aut etiam de Magistratu, aliaque persona sæculari multum apud populum æstimata, potest esse gravis: quia talium personarum, fama multum imminuitur, decidunt hæ a bona opinione, in qua erant; populus non amplius fidet de eis; ejusque virtutes suspectæ ac dubiæ reddentur.

995. Q. Quid infertur ex dictis?

℟. Infertur, quod *ratione circumstantiarum* eadem detractio potest esse magis, vel minus gravis. Hinc detractio facta a Prælato, Sacerdote, Religioso, Magistratu etc. gravior est illa, quæ fit ab aliis inferioris conditionis. Sicut gravior esset detractio facta contra eos. Sic gravior est detractio, quæ fit contra Communitatem, quam ea, quæ fit contra privatum. Gravior ea, quæ fit coram multis, quam ea quæ fit coram uno,

aut paucis. Gravior ea, quæ nocet non solum famæ, sed etiam aliis bonis: ut si ob detractionem innocens incarceretur, arceatur ab Ordinatione, a Beneficio; privetur debita hæreditate; Ecclesia, vel Communitas privetur docto, et pio Officiali etc. Gravior, si fiat ex odio, vel invidia, quam si fiat ex quadam levitate, vel loquacitate. Et sic de similibus. Communis.

996. Q. Quare dixisti etiam (n. 993.): *Non adsit justa causa manifestandi?*

℟. Quia si manifestetur crimen sed verum (nam falsum nullo fine potest imputari) non jam animo proximum infamandi, sed, ut docet S. Thomas (2. 2. q. 72. a. 2.), *propter aliquod bonum necessarium*, *debitis circumstantiis observatis*, *non est peccatum*, *nec potest dici detractio.* Hinc ob bonum publicum licet manifestare hæreses, sollicitationes, patriæ proditiones, indignitatem eorum, qui ad publicum officium essent promovendi, et similia. Imo hæresis, et sollicitatio ex præcepto Ecclesiæ debent manifestari. Sic ob bonum delinquentis, si correctio fraterna non prodest, licet manifestare crimen Superiori, genitoribus, heris etc. ut precipit Christus (Mat. 18. 16.): *Si eos non audierit dic Ecclesiæ*, ad hoc ut delinquentes corrigantur, et resipiscant. Pariter ad sui, aut proximi justam defentionem; vel ad evitandum grave damnum, aut ad captandum necessarium consilium, vel auxilium, licet viro prudenti alterius crimen manifestare. At his casibus si necesse non sit manifestare nomen delinquentis, non manifestetur. Ita pariter, ut aliorum periculo consulatur, licet alterius crimen detegere, ex. gr. Titium esse furem, inhonestum etc., ut de illo tu caveas; talem esse infidelem,

ne in servum tu accipias; fœminam illam esse rixosam etc., ne in uxorem quis accipiat. Et sic de similibus. Cave tamen, ne sub hisce prætextibus tuum odium, aut invidiam nutrias.

997. Q. Peccat ne qui defunctos infamat?

℟. Sicut viventes habent jus ad suam famam, sic habent et mortui, qui in sua fama adhuc censentur vivere. Sicut ergo qui occultum crimen viventis in gravi materia propalat, graviter peccat, et ad restitutionem famæ tenetur, ut infra (n. 1016.) dicetur: sic peccat, et ad restitutionem tenetur qui agit contra defunctos; quorum memoria sicut capax est gloriosæ recordationis; sic et ignominiosæ detractionis est capax. Ita Layman, Lessius, cum aliis, quos citat, et sequitur Ferraris (V. *Detractio* Art. 1. n. 39.). Unde scriptura (Eccl. 7. 37.) ait: *Mortuo non prohibeas gratiam*, quam gratiam, et gloriam injustus detractor ab eo aufert.

998. Q. Quid dicendum, si delictum non sit occultum?

℟. Quando delictum non est occultum, sed jam est publicum vel notorietate *juris*, idest sententia judicis; vel notorietate *facti*, idest publice patratum aut propagatum; Concina (Tom. 1. p. 239. n. 10.) dicit, posse ubique manifestari. Et Busembau (Tr. 6. Cap. 1. dub. 2.) sentit, non esse peccatum contra justitiam, quia hoc casu jam amisit jus ad suam famam etiam in aliis locis. Et revera hujusmodi delicta ob bonum commune mandantur etiam historiæ, præsertim si sint crimina, quæ possint esse aliis perniciosa, ut crimina scandalosæ impudicitiæ, lenocinii, homicidii proditorii, et similia. Et sic sentiunt etiam Lugo cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligo-

rio (Lib. 3. n. 974.). Subjungit autem Concina (ibid.), quod quando delictum est publicum notorietate tantum *famæ*, quia sic vociferatur in aliquo loco, communitate etc., *cauti omnes sint oportet*: *quia facile fingitur hæc publica fama*.

999. Q. Infamatus de uno delicto potest ne infamari de alio non publico?

℟. Numquam potest. At si unum delictum est affine, et quasi connexum cum alio, est tantum veniale. Ut si quis diceret, publicum ebriosum esse etiam rixosum, blasphemum; publicum inhonestum misisse literas amatorias, et similia. Si autem unum delictum non sit connexum, et sit quasi disparatum ab alio, non excusatur a gravi: quia in illo occulto delicto delinquens habet jus, ut non detegatur. Unde graviter ex se peccaret qui publicum blasphemum diceret, esse etiam furem; si quæ in uno adulterio diffamata, infametur etiam de alio occulto, etc. B. Ligorio etc. (n. 976.): Sicut graviter peccaret qui crimen jam oblivioni mandatum, vel de quo delinquens jam se emendavit, absque justa causa denuo evulgaret: quia is, fama recuperata, habet jus ad ejus conservationem. Ita Lugo cum aliis, quos citat, et sequitur Ferrar. n. 36.

1000. Q. Quomodo peccat qui audit injustum, et gravem detractorem?

℟. Qui hortando, incitando, plaudendo verbis, risu, gestibus, aut alio modo ejus murmurationem, et multo magis calumniam audit, peccat graviter et contra Charitatem, et contra Justitiam. *Contra Charitatem*, quia positive ad peccatum alterius influit, vel confirmat. Peccat *contra Justitiam*, quia positive influit in damnum alterius, idest, infamati; et proinde ad restitu-

tionem tenetur, ut infra (n. 1013. etc.). Communis apud Ferraris (n. 54.). Qui autem in detractionem non influit, sed cum interna complacentia audit; et præsertim si audit ex odio, vel gaudio de alterius damno, etiam graviter peccabit contra *Charitatem*: quia de proximi gravi damno delectatur. Et quamvis non delectetur de damno, sed tantum de lepiditate, et gratia in detrahendo, adhuc posset graviter peccare omissione correctionis. Ferr. ibid. n. 56.

1001. Q. Semper ne peccat qui correctionem omittit?

℟. Si quis speret sua correctione, aut alio modo detractionem impedire; et non curet, etiam graviter peccat contra *Charitatem* ex duplici capite; et quia peccatum detrahentis non impedit; et quia non impedit damnum infamati. Dixi: *si speret:* quia si ex correctione nullus fructus speretur; imo timeatur, ne detractor exacerbetur potius, quam coerceatur; tunc curet impedire saltem indirecte, vel tacendo, vel ad alia sermonem convertendo, vel discedendo. Et si aliud facere non possit, vultum tristem ostendat: nam multoties, ut monet Spiritus Sanctus (Prov. 15. 23.) *facies tristis linguam detrahentis dissipat*. Ferrar. n. 57.

1002. Q. Quid præterea addendum circa correctionem?

℟. Addendum, quod etiamsi ex S. Thoma (2. 2. q. 73. a. 4.) *qui absque resistentia detractiones audiat, videatur detractioni consentire, unde fit particeps peccati ejus*; subjungit autem: *Si vero non placeat ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam* (puta, quia detractor est vir magnæ au-

ctoritatis, dominus, superior etc.), *peccat quidem . . . . . et plerumque venialiter.* Qui autem ex officio, et gradu, quem tenet, detrahentem corrigere tenetur, ut Pater filium, Magister discipulum, Dominus servum, et multo magis Episcopus, et Parochus suos subditos; idem S. Doctor subdit, hos quandoque peccare mortaliter; et B. Ligorio (n. 980.) dicit peccare non solum contra *Charitatem*, sed etiam contra *Justitiam*: quia hi ex justitia tenentur ad corrigendos subtitos.

1003. Q. Quid notandum circa libellos famosos?

℟. Divulgare absque justa causa libellos famosos, seu chartas, et schedulas, quæ scriptum, vel pictum contineat grave crimen alicujus verum quidem, sed occultum, est crimen gravissimum, detestabile, sub pœna Excommunicationis ferendæ sententiæ a sacris Canonibus (Cap. *Qui in alterius* 1. etc.) prohibitum et sub pœnis gravissimis prohibitum etiam a jure Civili; ferme in omnibus Diœcesibus reservatum; et in hac nostra Marsorum Diœcesi reservatum sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ; crimen multo perniciosius detractione, quæ fit verbis: verba enim transeunt, et volant; scripta autem, et picturæ remanent. Eodem crimine sunt rei, et iisdem pœnis subjiciuntur cooperantes, mandantes, consulentes horum libellorum divulgationem: qui signum aliquod infamatorium in domo alicujus appendit; aut ponit. Et sicut peccant audientes detractorem, sic peccant hujusmodi libellos legentes. Vide Ferrar. (V. *Libellus famosus*) B. Ligorio (n. 995.), Cuniliati Tr. 9. Cap. V. §. 6.

1004. Q. Quid notandum circa revelationem secreti, et lectionem litteræ alienæ?

℟. Qui absque justa causa revelat crimen occultum, quod scit sub secreto, vel ex injuriosa lectione literæ alienæ, peccat, ac si detraheret. Quando autem adsit justa causa secretum revelandi, vide apud Auctores. Quoad literas autem est insuper addendum, quod qui alienas literas aperit, aut legit apertas, et positas in loco tuto, ex. gr. in cubiculo super mensa, ubi sunt aliæ scripturæ, dicit Cuniliati (ibid. §. 6. n. 14.), Eum ex communi peccare mortaliter ratione gravis afflictionis, et tristitiæ, quam alter patitur. Excipe, si consensus expressus, aut tacitus habeatur ejus, a quo, aut ad quem litteræ mittuntur : si qui aperit, vel legit, sit Superior, ex. gr. Pater quoad filios, Rector quoad dependentes, Prælatus Regularis quoad subditos, dummodo ad Superiores majores a subdito non mittantur, vel ab illis ad istum : Sic a peccato excusaretur qui certo, aut saltem probabiliter scit, illam litteram scriptam esse in suum injustum damnum, quod intendat avertere. Sicut non peccarent ministri publici, qui præsertim tempore belli ob publicum bonum id judicent.

1005. Q. Quid et quale peccatum est *susurratio?*

℟. Est prava oblocutio de proximo ad injuste tollendam amicitiam; discordiamque seminandam. Etiamsi *Susurratio conveniat cum Detractione in materia*, et *in forma*, *sive in modo loquendi*, ut innuit S. Thomas (2. 2. q. 74. a. 1.); *differunt autem in fine* : *quia detractor intendit denigrare famam proximi . . . susurro autem intendit amicitiam separare*. Et ideo *Susurratio* est peccatum gravius detractione, et etiam contumelia quando facta est deliberate : quia intendit tol-

lere bonum amicitiæ, quod censetur præstantius fama, et honore, quæ auferuntur detractione, et contumelia. Hinc merito *Susurro et bilinguis* maledicitur a Spiritu Sancto (Eccl. 28.). Qui autem intendit dissolvere amicitiam pravam, ex. gr. inter concubinarios, malos socios, et similia, non peccat, nec dici potest *susurro*: quia non *injuste*, sed *juste* hanc pravam amicitiam tolleret: dummodo hoc faciat absque mendaciis.

Paragraphus III.

De Dehonoratione per Contumeliam, Convicium, Improperium, et Derisionem.

1006. Q. In quo differunt Contumelia, Convicium, et Improperium?

℟. Etiamsi tam *Contumelia*, quam *Convicio*, et *Improperio* dehonoretur proximus, et aliquis defectus in ipsius detrimentum repræsentetur: attamen juxta doctrinam S. Thomæ (2. 2. q. 72. a. 1. ad 3.) in hoc distinguuntur, quod si ei objiciatur aliquis defectus, qui sit peccaminosus, dicitur *Contumelia*: ut si quis alteri objiciat esse furem, adulterum, iracundum etc. Si objicitur defectus culpæ, et pœnæ, vocatur *Convicium*: ut si quis alteri objiciat, damnatum esse ad triremes, ad carcerem, et similia. Si autem alicui objiciatur ejus miseria, minoratio, indigentia, erit *Improperium*: ut si quis injuriose reducat in memoriam alterius eleemosynam, quam ei dedit; auxilium, quod ei porrexit, et similia.

1007. Q. Quale peccatum est *Contumelia*, *Convicium*, *Improperium*?

℟. Si verba illa injuriosa proferat quis animo

proximum dehonorandi, dummodo proferantur deliberate, et materia sit gravis, erunt peccata lethalia; ut sunt peccata lethalia furtum, et rapina: non enim homo minus amat suum honorem, quam suam rem. Besombes (De 8. Præc. c. 6. a. 2.). Et si quis animo proximum inhonorandi *dixerit fratri suo fatue*, ex attestatione ipsius Christi (Matt. 5. 22.) *reus erit gehennæ ignis*, et proinde reus culpæ mortalis: quo gravius peccabit qui objiceret alicui furta, rapinas, adulteria, et similia? Imo si crimen, quod objicitur, non sit verum, *Contumelia* contraheret etiam malitiam *Calumniæ*; et si sit verum, at occultum; et coram aliis objiciatur, contraheret malitiam *Murmurationis*. Vide supra n. 982.

1008. Q. Quid notandum circa dicta?

℟. Quod contumeliæ, convicia, et improperia, quæ quandoque sibi invicem objiciunt mulierculæ, pueri, hominive vilis conditionis, vocando aliam adulteram, sagam, superbam, nebulonem, et similia, ut bene advertit Stephanus a S. Paulo (ap. Croix n. 1224.), plerumque excusantur a gravi: quia ordinarie proferuntur absque deliberatione; non sentiunt sicut dicunt; non intendunt saltem graviter dehonorare; et audientes non credunt similibus verbis, quia advertunt dici ex passione. Si autem aliquis ex dictis vero animo dehonorandi in hujusmodi voces erumpat, nisi excusetur vel ob inadvertentiam, vel ob parvitatem materiæ, non excusaretur a gravi.

1009. Q. Quare dixisti: *animo proximum dehonorandi?*

℟. Quia si verba contumeliæ, convicii, ac improperii quis proferat non animo proximum dehonorandi; sed intentione corripiendi, vel ob jo-

cum, aut alium finem honestum, dummodo id fiat prudenter; vel non sunt peccata, vel tantum venialia. Hinc illa verba, quæ a Genitoribus, Magistris, aliisque Superioribus dicuntur suis dependentibus ad exprobrandum eorum negligentiam, defectus, peccata, ad hoc, ut erubescant, se emendent, a peccatis deterreantur, et convertantur; debito modo prolata, non sunt peccata. *Hoc modo*, ut notat S. Thomas (2. 2. q. 72. a. 2. ad 2.) *Christus discipulos vocat stultos*; *et Apostolus Galatas insensatos*. Idem dic, quando hujusmodi verba dicuntur ob jocum, si ab audientibus hoc advertatur. Raro autem hoc fiat: multi enim ex hujusmodi jocis irascuntur, et offensos se credunt.

1010. Q. Quid est *Derisio*.

℟. Est dehonoratio facta ludricis verbis, aut gestis, ut quis confundatur, erubescat, et contemptibilis reddatur. Quod si ista dehonoratio fiat verbis, vel cachinnis, vocatur proprie *Derisio*. vel *Irrisio*. Si fiat per gestus, aliosve motus corporis, sive *naso rugato*, ut se exprimit S. Thomas (2. 2. q. 75. a. 1. ad 1.), vocatur *Subsannatio*; ut Christo Crucifixo subsannabant Judæi qui moventes capita sua dicebant: *Vah qui destruis templum Dei* (Matth. 27. 40.)! Si demum fiat illusorio modo, et cum quadam deceptione, dicitur *Illusio*; ut cum Judæi Christo, velata facie, dicebant: *Prophetiza nobis*, *Christe*, *qui te percussit* (Matth. 26. 68.).

1011. Q. Quale peccatum est *Derisio*?

℟. Juxta regulam, quod dat Sylvius, et eruitur ex S. Thoma (2. 2. q. 75. a. 2.), quandoque est peccatum mortale, aliquando veniale, et quandoque nullum. Est peccatum mortale, quando quis illis ludricis verbis, aut factis grave ma-

lum alteri objicit : quando prævidet, alterum graviter et rationabiliter esse contristaturum, et tollendo tranquillitatem animi, quæ juxta S. Doctorem tam grande bonum est : et multo magis quando intendit graviter pudefaciendi, et contemnendi alterum. Et hic nota cum eodem Angelico Doctore, *tanto gravius* esse peccatum, *quanto major debetur reverentia personæ, quæ illuditur.* Erit autem peccatum leve, quando malum, quod objicitur, est leve, et cum intentione eum leviter pudefaciendi ; vel si objiciatur quid gravius, accidat id ex subito motu, atque indeliberate.

1012. Q. Quando *Derisio* non est peccatum ?

℟. Quando quis illis verbis, aut factis intendit emendationem alterius, ut a suis defectibus resipiscat ; et in posterum ab illis se abstineat ; et hoc casu *derisio* pertineret ad fraternam correptionem. Item quando amici non animo se lædendi, sed recreationis gratia quædam levia sibi invicem jocando objiciunt. Sed cum grano salis hoc ipsum efficiatur : ut enim advertit Billuart (§. 2.) sæpe accidit, ut qui tam libere alios derident, ad minimam sui derisionem excandescant. Etiam imprecationibus potest persona dehonorari, quando hæ in impetu iræ coram proferuntur. Sed de his supra (a num. 143.) locuti sumus, ubi de Odio ; et ibi dicta recolantur.

Caput IV.

De restitutione Famæ, et Honoris injuste ablati.

1013. Q. Ad quid tenetur qui læsit proximum in *fama*, vel *honore* ?

℟. Qui injuste, et culpabiliter alterum læsit in *fama*, vel *honore*, debet quamprimum commode potest, in primis restituere famam, et honorem ablatum, vel læsum; sub gravi si læsio sit in materia gravi; sub levi, si læsio sit in materia levi: cum enim quisque jus habeat, ne injuste infametur, et dehonoretur; qui hoc jus violavit, ex regula generali ad restitutionem tenetur. Cum autem hæc obligatio restitutionis sit personalis, non transit ad hæredes. Si autem ex hac injusta et culpabili famæ, et honoris læsione aliquod damnum in bonis fortunæ alteri evenerit, ut dictum est n. 913. et 995, veluti injustus damnificator ad omnia damna compensanda teneretur. Cumque hæc obligatio non solum sit personalis, sed etiam realis, nisi compensaverit iniquus detractor, vel conviciator, tenentur hæredes, ut constat ex dictis n. 854. Communis.

1014. Q. Quare dixisti: *injuste et culpabiliter?*

℟. Quia si *juste* lædatur quis in fama, et honore, cum hoc casu non peccetur, ut dictum est n. 996. nec restitutio debetur. Dixi secundo *culpabiliter*: quia si læsio absque culpa eveniat, vel quia inadvertenter læsit; vel quia delictum, quod est falsum, vel occultum, credebat quis verum, vel publicum; ad restitutionem nec teneretur. Hic autem nota, quod cognito errore, idest, noscens quis, delictum manifestatum, vel falsum esse, vel occultum, ex justitia tenetur famam restituere, si absque suo gravi incommodo possit: aliter perduratio infamiæ fieret ei voluntaria, et proinde injusta, ipsique moraliter imputabilis. Et si culpabiliter famæ restitutionem differat, teneretur ad omnia damna quæ post cognitum errorem alteri evenerunt. Communis apud Ferraris (V. *Detractio* art. 2. n. 10. etc.).

1015. Q. Quomodo potest fama restitui?

℟. Si delictum, quod iniquus calumniator propalavit, est falsum, debet se retractare etiam cum juramento, si opus sit; et aperte confiteri, se verum non dixisse; etiamsi se retractando æquale damnum subire deberet in bonis sive fortunæ, sive famæ, sive vitæ: quia in pari damno melior est conditio innocentis. Secus autem dicendum, si se retractando majus damnum subire deberet. Hæc autem retractatio fieri debet non solum apud eos, quibus is narravit; sed si noscat, et fieri potest, etiam apud eos, quibus a suis auditoribus fuit crimen revelatum (nisi hi jam restituerint); si ipse prævidere potuit, suos auditores utpote garrulos, et loquaces esse facile evulgaturos. Si autem hoc non præviderit, quia sui auditores erant viri prudentes, vel promiserunt, nulli manifestaturos; si manifestatio eveniat, horum malitia eveniret, et ipsi ad restitutionem tenentur. Lugo, et alii, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib. 3. n. 991.).

1016. Q. Quid agendum, si crimen sit verum?

℟ Si sit verum, at occultum, et injuste (n. 996.) manifestatum; iniquus detractor, ut ait S. Thomas (2. 2. q. 66. a. 2. ad 2.) cum Communi, pariter *tenetur ad restitutionem famæ, quantum potest, sine mendacio tamen:* dicendo ex. gr. *se male dixisse*, *injuste diffamasse* etc. Sed si crimen sit falsum, clare dicendum est, *se verum non dixisse*, aut æquivalens. Alii insinuant, quod data occasione, detractor serio et pluries laudabiliter loquatur de persona læsa: Sed prior infamia semper manet. B. Ligorio (n. 992.) cum Lugo, et aliis suggerit detractorem posse adhuc dicere absque mendacio, *se deceptum fuis-*

se, vel mentitum esse, vel *falsum dixisse* etc. Cum enim, ut ait idem S. Doctor (1. p. q. 17. a. 1.) *peccata dicantur in Scripturis falsitates, et mendacia*, potest detractor illis verbis ambiguis *falsum*, *mentitum*, intelligere, *se peccasse*. Et si non adsit alius modus opportunior ad faciendam restitutionem, concludit idem Beatus, posse et teneri his verbis ambiguis uti.

1017. Q. Ad quid tenetur qui detraxit defuncto, vel cum libellis infamatoriis (1003.)?

℟. Qui detrahit personæ defunctæ debet famam restituere, ac si esset viva: cum enim defuncti habeant jus ad suam famam, ut dictum est n. 997., qui eam lædit, ad restitutionem tenetur. Qui autem detraxit libellis infamatoriis, tenetur pariter ad restitutionem, sicut alii detrahentes, ut patet. Sed ad hoc ut restitutio sit efficax, eam facere debet vel scriptis contrariis, vel publica revocatione (Bonac. d. 2. de test. q. 4. p. 9.). Sed quamvis quæ dicta sunt de famæ restitutione sint tam necessaria ad salutem, cum non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum, quam paucæ sunt istæ restitutiones? En, in quo periculo æternæ perditionis versantur et detrahentes, et sponte audientes, qui in tanto numero diebus nostris existunt!

1018. Q. Quid dicendum, si detractio iverit in oblivionem?

℟. Si vere constet, detractionem factam in oblivionem ivisse, quia per multum tempus nulla facta sit mentio de illa, Lessius, et Navarrus apud Croix (Lib. 3. p. 2. n. 1255.) dicunt non esse revocandam in memoriam, etiamsi dubitetur, an sit oblivioni data: quia renovaretur memoria delicti, id quod potius in damnum perso-

næ læsæ verteret. Hoc enim casu judicandum est, infamiam secutam jam esse deletam. Et ob eamdem rationem non debetur restitutio, si fama sit jam recuperata vel ex comperta facti veritate, vel ex declaratione juridica, vel alio modo. Detractor autem tenetur semper laudabiliter sed absque mendacio de infamato loqui, illum honorare etc.

1019. Q. Quomodo restituendus est honor ablatus?

℟. Distinguendum. Si dehonorans sit Superior, sufficit, si dehonoratum benevole salutet, domum invitet, et similia benevolentiæ signa ei ostendat. Si autem sit æqualis, vel inferior, major satisfactio requiritur, nempe ut cedat locum, præveniat in salutando; et juxta qualitatem contumeliæ, et personæ læsæ etiam veniam petere, et etiam flexis genibus, et similia. Item si honor fuerit publice ablatus, publice etiam sive per se, sive per alios est restituendus. Si autem contumelia fuit occulta, etiamsi aliqui dicant, satisfactionem non deberi, communis tamen sententia, quam B. Ligorio *veram* putat, dicit satisfactionem deberi, sed in privato. Ita plures Doctores apud Beatum (n. 984. etc.).

1020. Q. Quid præterea notandum circa petitionem veniæ?

℟. Idem B. Ligorio (n. 988.) monet, quod aliquoties expedit, ut Confessarius non obliget pœnitentem, qui extat in bona fide, ad petendam veniam: ut si Confessarius, et pœnitens timeant, ne in petitione veniæ odium inter offensorem, et offensum renovetur: si probabiliter putent, offensum potius recusare illam publicam satisfactionem, ne memoria injuriæ acceptæ apud alios renovetur;

si Confessarius prævideat offensorem ob quemdam naturalem ruborem ad hunc actum difficulter devenire: si putetur, offensum jam remisisse injuriam, quia offensorem valde familiariter tractat; quia sponte suam domum accedit; et similia. Offensor autem non omittat respectum, et reverentiam personæ offensæ exhibere, ut aliquo modo ostendat se satisfacere: eo magis quod, quia ex condonatione injuriæ non censetur condonata restitutio honoris, sicut nec damni allati in rebus temporalibus.

Caput V.

De Causis excusantibus a restitutione famæ, et honoris læsi.

1021. Q. Quid excusat ab hac restitutione?

℟. Multæ sunt causæ, quæ possunt excusare. 1. Si restitutio evaserit impossibilis, ex. gr. quia quis non recordatur, de quo, vel apud quos detraxit; si persona infamata, vel dehonorata non possit reperiri. Ratio, quia ad impossibile nemo tenetur. 2. Si hæc restitutio spontanee condonetur a persona læsa: dummodo infamatio in alios non redundet, aut non sit aliis damnosa, ut dictum est n. 978. 979. 980. quia etiamsi possit quis cedere juri suo, præsertim si cedat propter Dei amorem, vel ob alium finem honestum; non potest cedere juri alieno, seu obligationi in alterum. 3. Si quis absque vitæ periculo restituere non possit: dummodo alter ob alienam infamationem in eodem vitæ periculo non versetur, ut bene advertunt Salmaticenses (ap. B. Ligorio n. 1002.): quia tunc a restitutione non excusabitur.

1022. Q. Quænam est tertia, quarta, quinta, et sexta causa?

℟. 3. Excusatur, si quis absque suo damno notabiliter graviori restituere nequeat (Goritia Tab. 85.); aut si ob restitutionem famæ timeat quis, ut notat Croix (n. 1251.) cum Illsung, incurrere damnum gravissimum in bonis temporalibus, quod judicio prudentum judicetur majus, quam fama. 4. Si ex detractione vel dehonoratione, nullum sit damnum secutum in fama, vel honore alterius: quia detractor utpote solitus mentiri, et detrahere ab auditoribus non fuit creditus; vel quia auditores jam sciebant crimen illud, aut aliud forsan gravius commissum ab infamato. 5. Si fama ablata per aliam viam, ut dictum est n. 1018., sit jam recuperata, vel ex testimonio fide dignorum; vel ob vitam exemplarem, vel ob consimilia motiva. 6. Si crimen revelatum, quod erat occultum, alia via fiat publicum: quia tunc infamatus non habet amplius jus ad famæ restitutionem.

1023. Q. Sunt ne aliæ causæ, quæ ab hac famæ, et honoris restitutione excusent?

℟. Maxime. 7. Excusatur qui *juste*, et *absque culpa* proximum læsit in fama, vel honore, ut n. 1014. dictum est. 8. Quando infamia, vel dehonoratio in oblivionem ivit, ut n. 1018. explicatum est. Hic autem nota, quod si infamia reviviscat, reviviscit etiam obligatio restitutionis, ut patet. 9. Si duo vicissim æqualiter sese infamaverunt, vel dehonorarunt, juxta aliquos ad restitutionem non tenentur: quia infamia, et dehonoratio est compensata. 10. Si fama, vel honor personæ læsæ sit valoris minoris, quam fama, et honor offensoris. Hinc Prælatus non teneretur ad hanc restitutionem erga personam vilis conditionis; nec vir valde illustris plebejo; si hi famam,

et honorem proprium essent amissuri. Ita Lessius cum aliis apud B. Ligorio (n. 1002.). Sed sufficit hoc casu, ut dictum est n. 1019. si personam læsam benevole tractent, laudent etc.

1024. Q. Si hæc restitutio fieri non possit, debet ne compensari cum oblatione pecuniæ?

℟. Aliqui affirmant; alii negant. Sed sententia negans juxta eumdem Beatum (n. 1000.) est probabilior: quia justitia obligat tantum ad reddendum ablatum, seu æquivalens. Cum ergo per infamationem, et dehonorationem nec pecunia; nec æquivalens auferatur, patet, non deberi hanc pecuniariam compensationem. Monent autem communiter Doctores, quod si offensor sit dives, et persona offensa sit pauper, congruum est, ut offensor ex quadam æquitate compenset personam læsam cum aliqua pecunia. Si autem personæ læsæ aliquod damnum in bonis temporalibus eveniat; offensor ad omnia damna tenetur, ut dictum est numeris 913. 995. et 1013.

TRACTATUS IX.

De Præceptis Ecclesiæ.

1025. Q. Quot sunt Præcepta Ecclesiæ?

℟. Etiamsi multa sint, quæ ab Ecclesia præcipiuntur, hic autem non loquimur, nisi de illis sex, quæ vulgo sub nomine Præceptorum Ecclesiæ intelliguntur; idest de auditione Missæ in diebus festivis; de Jejunio, et Abstinentia in quibusdam diebus; de annua Confessione; de Communione Paschali; de Decimis solvendis; et de Nuptiis certo tempore vetitis. De primo præcepto, seu de

Missæ auditione jam locuti sumus Tractatu IV. a num. 434. ad 440. et a num. 447. ad 451. et ibi dicta recolantur. In sequentibus Articulis de ceteris Præceptis loquemur.

ARTICULUS I.

De secundo Ecclesiæ Præcepto.

1026. Q. Quid præcipitur in secundo Ecclesiæ Præcepto?

℟. Duo. Primo præcipitur jejunium omnibus diebus Quadragesimæ, exceptis Dominicis; in quatuor anni temporibus; et in Vigiliis eorum Festorum, quæ habent Vigiliam, exceptis Vigiliis Epiphaniæ, et Ascensionis, in quibus non jejunatur; et in quibusdam locis etiam diebus Rogationum. Hic autem nota, quod in hoc Regno Neapolitano ex Constitutione *Paternæ Charitatis* Pii VII. 10. Aprilis 1818. et etiam in aliis locis, lex jejunii præter Quadragesimam, et quatuor anni tempora, obligat tantum in Vigiliis Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, Ss. Apostolorum Petri, et Pauli, Assumptionis B. V. Mariæ, Festi omnium Sanctorum, Nativitatis D. N. J. Christi (et in universa parte Regni trans Pharum etiam in Vigilia Conceptionis B. V. M.); et insuper in singulis feriis sextis, et sabbatis sacri Adventus.

1027. Q. Semper ne in dictis Vigiliis est jejunandum?

℟. Si aliqua Vigilia incidat in diem Dominicam (Cap. *Ex parte* 1. et Cap. *Consilium* 3. de observ. jejun. anticipandum est ad sabbatum præcedens. Item si Vigilia S. Joannis Bapti-

stæ (idem dic de Vigilia S. Antonii apud Conventuales) cadat in Festo Corporis Christi, anticipandum est jejunium die præcedenti. Ita Urbanus VIII. (Constit. *Cum evenire* 14. Octobr. 1638. et S. R. C. die 26. Maj. 1659.). Et ob eamdem solemnitatis rationem dicunt Innocentius, Abbas, Silvester, et alii Doctores, quos citat, et sequitur Ferraris (V. *Jejunium* Art. 1. n. 25.), si aliqua Vigilia occurrat in Festo solemni alicujus Patroni principalis, posse licite ab Episcopo fieri commutationem jejunii in diem præcedentem.

1028. Q. Quid aliud præcipitur in hoc secundo Præcepto?

℟. Præcipitur abstinentia a carnibus in omnibus aliis feriis sextis, et Sabbatis per annum. Et ad hanc abstinentiam tenetur unusquisque, statim ac ad usum rationis pervenit. Hic autem nota, quod si in feria sexta occurrat Festum Nativitatis D. N. J. Christi, stante generali Ecclesiæ consuetudine; illis, qui nec voto, nec Regulari observantia sunt adstricti, Honorius III. propter Festi excellentiam permisit, ut illa die carnibus vesci possint, et valeant; ut habetur Cap. *Explicari* 3. de Observ. jejun. Et propter eamdem consuetudinem idem observatur, si Festum Nativitatis occurrat in Sabbato. Videamus nunc, quid sit Jejunium; qui ad ipsum teneantur; qui excusentur; et alia necessaria.

Caput I.

De Natura Jejunii.

1029. Q. Quid, et quotuplex est Jejunium?

℟. Jejunium generatim sumptum est abstinentia

ab aliquo. Est autem quadruplex, Spirituale scilicet, Naturale, Morale, et Ecclesiasticum. Jejunium *spirituale* est abstinentia a vitiis, et illicitis voluptatibus (Cap. *Jejunium* dist. 5. de Consecr.). *Naturale* est abstinentia ab omni prorsus cibo et potu, quod ex præcepto Ecclesiastico requiritur pro sumenda Eucharistia. *Morale*, seu *Philosophicum* est abstinentia ab illa qualitate, et quantitate cibi, quæ virtuti Temperantiæ opponitur. Jejunium vero *Ecclesiasticum* (de quo tantum hic est sermo) est abstinentia a quibusdam cibis, et a pluribus refectionibus juxta modum ab Ecclesia præscriptum.

1030. Q. Qui cibi prohibiti sunt diebus jejunii?

℟. Sunt carnes, et quidquid a carne procedit, ut sanguis, jusculum etc. item ova, lacticinia, idest lac ipsum, butyrum, caseum, et quidquid aliud ex ovis, vel ex lacte conficitur; et hoc etiam diebus Dominicis in Quadragesima, etiamsi hujusmodi diebus non jejunetur. Communis ex Can. 56. et Cap. *Denique* 6. distinct. 4. Et constat ex Prop. 32. damnata ab Alexandro VII. Hic autem nota, quod in quibusdam locis extra Quadragesimam sive ex consuetudine, sive ex privilegio permittuntur non solum ova, et lacticinia; sed etiam adeps seu pinguedo, quæ axtrahitur ex suibus, aliisque animalibus. Standum est ergo receptæ locorum consuetudini, quæ a personis piis observatur. Vide Ferraris V. *Jejunium* Art. 1. a n. 8. etc. et B. Ligorio Lib. 3. n. 1009. etc. cum Auctoribus ibi notatis.

1031. Q. Omnes ne carnes vetitæ sunt diebus jejunii?

℟. Minime. Etenim præter pisces, etiam caro

illorum animalium, quæ nascuntur, et nutriuntur in aquis, ut sunt anguillæ, ranæ, cammari, ragustæ, ostreæ etc. stricte loquendo non reputantur veræ carnes, et proinde non prohibitæ. Sicut nec vetita censetur caro limacum, testitudinum, lytrarum, fibrorum, viperarum etc., et illorum animalium, quæ ex recepta consuetudine solent apponi in mensa jejunantium. (Bened. XIV. de Syn. Diœc. Lib. XI. c. 5. n. 11.). Aves tamen, licet nutriantur in aquis, ut sunt fulicæ, anates, corvi marini, et similes, habentur ut veræ carnes, et proinde prohibitæ. Vide B. Ligorio (Supra n. 1011.) cum Doctoribus ibi citatis.

1032. Q. Quot refectiones permittuntur diebus jejunii?

℟. Una tantum, et continuata refectio seu vocetur cœna, seu prandium, permittitur, cui ex præsenti Ecclesiæ usu addi potest parva collatio, seu collatiuncula, refectiuncula, cœnula horis vespertinis, vel nocturnis sumenda. Dixi *Continuata*; quia non potest quis ad libitum prandium interrumpere, et postea continuare; dummodo interruptio non sit ad breve tempus ex. gr. ad quadrantem, vel ad duos summum. Dixi *ad libitum*: quia ex justa causa, ex. gr. quia quis debet ministrare mensæ; vel vocatus sit ob aliquod negotium, quod non possit differri, etiam post duas horas potest prandium continuare, nisi in prima comestione sufficienter se refecerit: quia Ecclesia non intendit obligare ad diem transigendum absque sufficienti refectione. Vide B. Ligorio (ibid. n. 1020.), et Doctores ab eo citatos.

1033. Q. Qua hora sumenda est refectio?

℟. Licet antiquitus in Quadragesima sumeretur post Vesperas, et in aliis jejuniis tertia hora post

meridiem ; et laudabilis esset qui etiam nunc usque ad tale tempus jejunaret ; nihilominus præsens Ecclesiæ consuetudo permittit, ut sumatur circa meridiem ; et proinde etiam una hora ante meridiem, ut solent efficere Religiones, Seminaria, aliæque Communitates. Et hæc hora absque gravi causa nequit notabiliter anticipari : Etenim juxta S. Thomam (in 4. sentent. d. 15. q. 3.) *Cum Ecclesia instituit certum tempus comedendi a jejunantibus : qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit.*

1034. Q. Quæ qualitas, et quantitas cibi sumi potest in serotina collatiuncula, seu cœnula ?

℟. Varii varia dicunt. Sed cum hæc cœnula a consuetudine sit introducta, et tractu temporis sit semper variata, videtur concludendum, etiam temporibus nostris posse servari consuetudinem, et praxim timoratorum. Cum autem multi Doctores, quos citat, et sequitur B. Ligorio (ibid. a n. 1025. ad 1029.) communiter asserant, posse permitti in cœnula octo uncias cibi, et etiam pisces, aliosque cibos quadragesimales, et in vigilia Nativitatis (forte quia nocte est vigilandum) quantitatem duplo majorem ; et hunc esse communem usum piorum ; videtur, hæc doctrina tuto posse sequi, etiamsi ad satietatem quis reficiatur.

Monitum.

Meminerimus autem, jejunium institutum esse tum ob satisfaciendum justitiæ divinæ pro peccatis admissis, tum ob domandas nostras rebelles passiones. Is ergo, cui cordi est suæ animæ salus, non solum in cœnula se abstinet a tanta cibi quantitate, et a cibis exquisitis, præsertim si in cœ-

na ordinaria vix, aut vix tantam sumat quantitatem; et multo magis si multorum criminum sit reus, vivasque habeat passiones; sed etiam in prandio mortificare se curat.

1035. Q. Licet ne mane sumere cœnulam, et sero prandere?

℟. Minime, nisi adsit justa causa: cœnula enim a consuetudine (ob quam permittitur) introducta est tempore vespertino: et idcirco communiter dicitur *refectiuncula serotina*. Communis cum Layman (L. 4. Tr. 8. Cap. 11. n. 10.). Si autem justa intervenerit causa, ex. gr. copia negotiorum, quæ non permittant circa meridiem prandere; occasio itineris, advenarum sero intervenientium; vel si quis non sit plene refectus, dormire nequeat, vel capitis dolorem, vel aliud corporale incommodum patiatur, licite potest fieri hæc inversio; scilicet circa meridiem (vel si necessitas urgeat, etiam citius) sumere cœnulam; et prandium ad noctem differre. Marchantius cum aliis, quos citat, et sequitur Ferraris (V. *Jejunium* Art. 1. n. 46. et 47.).

Caput II.

De obligatis ad jejunium, de ejusque transgressione.

1036. Q. Qui obligati sunt ad jejunium?

℟. Quoad abstinentiam a carnibus, ovis, et lacticiniis tenentur omnes christiani, statim ac ad usum rationis pervenerint, quod ordinarie evenit post septem annos completos. Et idem dic de abstinentia a carnibus in feriis sextis, et Sabbatis per annum. Communis. Quoad abstinentiam

autem a pluribus refectionibus obligati sunt omnes fideles post completum annum vigesimum primum suæ ætatis, nisi sint legitime impediti, ut videbitur infra Cap. III. ubi loquetur de Causis a jejunio excusantibus. Sic Communis post S. Thomam (2. 2. q. 147. a. 4.): quia adolescentes ante illam ætatem frequentiore, et abuntantiore cibo indigent. *Conveniens tamen est*, subdit idem S. Doctor, *ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus, vel minus secundum modum suæ ætatis*; præsertim si quis vividas habeat passiones. Regulares autem videant proprias Constitutiones.

1037. Q. Quomodo peccant trasgressores jejunii?

℟. Si quis jejunium transgrediatur vel vescendo carnibus, aliisque cibis prohibitis (n. 1030. et 1036.); vel præter prandium, et cœnulam sumendo alias refectiónes, nisi excusetur a parvitate materiæ, graviter peccabit. Communis, etiamsi nec ex contemptu, nec ex inobedientia hoc faciat; ut constat ex Prop. 32. proscripta ab Alexandro VII. Si autem transgrediatur, anticipando, etiamsi notabiliter horam refectionis, seu prandii, etiamsi multi Doctores sentiant, graviter eum peccare; Salmaticenses autem cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (ibid. n. 1016.) dicunt, peccare venialiter. Et hanc sententiam idem Beatus vocat probabiliorem, et communiorem. Et idem dic de eo, qui absque causa mane sumit cœnulam, et sero prandium. Layman, quem citat, et sequitur Ferraris (ibid. n. 46.).

1038. Q. Quare dixisti: *Nisi excusetur a parvitate materiæ?*

℟. Quia sicut in furto, et in tot aliis præceptis datur parvitas materiæ; sic datur et in jejunio.

Hinc qui in die jejunii, aut in feria sexta, et Sabbato octavam partem unciæ carnis (quam Roncaglia, et Diana apud Croix Lib. 3. Par. 2. n. 1305. dicunt esse parvitatem materiæ) sumeret, non peccaret graviter, sed leviter. Et idem dic de eo, qui sumeret unam, aut ad summum *duas uncias* ciborum non vetitorum. Hic autem nota, quod qui in die jejunii plura modica comederet, quæ simul juncta ad quantitatem notabilem perveniant, frangeret jejunium, et graviter peccaret: ut constat ex Prop. 29. damnata ab Alexandro VII.

1039. Q. Quot peccata committit qui in die jejunii notabilem cibi quantitatem pluries sumit?

℟. Si sumat carnes, aliosve cibos vetitos, toties peccat mortaliter, quoties repetit comestionem. Communis; quia cum abstinentia a carnibus sit præceptum negativum, obligat semper, et pro semper. Si autem præter unam refectionem et cœnulam, comestionem repetat ciborum permissorum, variant Doctores. Qui dicunt, graviter peccari toties quoties, eadem moventur ratione: quia cum Ecclesia unicam permittit refectionem, prohibet plures refectiones; et proinde est præceptum pariter negativum. Qui autem asserunt, peccari graviter solum per secundam comestionem, et non jam per alias subsequentes, hoc ratione moventur: quia posita secunda comestione, destructa est essentia jejunii consistens in unica refectione; et proinde cessat præceptum. B. Ligorio ibid. n. 1030.

1040. Q. Quid dicendum de eo, qui mane jentaculum sumsit?

℟. Si jentaculum illud æquivalebat, vel quasi æquivalebat prandio, non potest die illa prandere; sed contentus esse debet de cœnula. Si autem

jentaculum æquivalebat cœnulæ, poterit ad noctem prandere: quia etsi hisce casibus impossibile sit servari circumstantiam temporis prandii, et cœnulæ; potest tamen servari jejunium quoad unam refectionem; cum hac differentia, quod si is data opera, et sciens, esse jejunium, jentaculum sumpsit, peccavit saltem venialiter (n. 1037.). Si autem nesciens, aut non recordans hoc fecerit, nullum peccatum commisit. Layman cum aliis, quos citat, et sequitur Ferraris (ibid. n. 37. et 38.).

1041. Q. Quid dicendum de liquoribus?

℞. Liquores, ut sunt aqua, vinum, cerevisia, sicera, spiritus, et alii consimiles, etiamsi antiquitus essent prohibiti; nostris autem temporibus ex se non vetantur: quia, ut docet S. Thomas (2. 2. q. 147. a. 6. ad 2.): *Ecclesia non intendit interdicere abstinentiam potus . . . licet aliquo modo nutriat.* Et quamvis *si quis immoderate potu utatur, possit peccare, et meritum jejunii perdere*; sicut peccaret, et jejunii meritum perderet, *si immoderate cibum in una comestione assumat*: peccaret tamen contra temperantiam, sed non contra legem jejunii.

1042. Q. Quare dixisti: *per se?*

℞. Quia si in aliqua regione, provincia, et Diœcesi esset consuetudo diversa, tunc horum liquorum sumptio extra refectionem, et cœnulam non liceret: quia *in jejuniis*, ut inquit idem S. Doctor (in 4. dist. 15. q. 3. a. 8. ad 3.) *diversæ consuetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet.* Insuper si quis ad finem famis sedandæ biberet, ut videtur insinuare S. Doctor (ibid. a. 4. q. 1. ad 1.) jejunium frangeret: etiamsi B. Ligorio (Lib. 3. n. 1022.) cum aliis, quos citat, communius, et probabilius

judicet, non frangere: quia etiamsi contra finem præcepti is ageret; juxta eundem S. Thomam (ibid.) *modus virtutis non cadit sub præcepto.*

1043. Q. Quid censendum de electuariis?

℟. Circa electuaria, vulgo *conserve*, idem Doctor Angelicus (Q. 147. cit. a. 6. ad 3.) docet, quod *etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio.* Limitat tamen: *nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.* Idem dicendum cum B. Ligorio, et aliis, quos citat (ibid.), et cum Billuart (Tract. de Temp. dist. 2. art. 2. §. 5.) de potionibus vulgo dictis *Sorbetti*, *Limonate*, *Caffè*, *The* etc.; quæ licet aliquo modo nutriant ratione jusculi herbarum, aut fabarum, et ratione sacchari, mellis etc.; nisi forte multum sacchari, mellis etc. immisceatur; aut sumantur in magna quantitate, jejunium non frangunt; quatenus juvant ad caput, et stomachum confortandum; aut ad vehendum cibum.

1044. Q. Quid ptæterea notandum circa potionem *chocolatis*?

℟. Etiam hæc potio, permissa est in die jejunii: dummodo non sumatur ad instar densæ pultis, sed modo ordinario, ponderis unius unciæ, aut paulo plus; et unus tantum cyatus mane diei: quia, cum hæc potio, ad instar cœnulæ, sit jam introducta a quamplurimis annis, et etiam apud viros timoratos, et religiosos, ut videre est apud B. Ligorio (ibid. n. 1023.), et Ferraris (V. *Jejunium* Art. 1. n. 41.), qui tot alios Doctores citant; insuperque addant, licitam eam declarasse S. Pium V. Gregorium XIII, Paulum V. et Ur-

banum VIII. etiamsi hæc potio sit non parum nutritiva ; absque scrupulo sumi potest modo tamen supra expresso. In jejuniis enim, sicut et in aliis rebus multum valet consuetudo piorum, ut diximus n. 1034, et 1042.

1045. Q. Quid dicendum de iis, qui cooperantur ad transgressionem hujus præcepti ?

℟. Qui cooperantur, vel ministrando cibos vetitos ; vel ministrando permissos, sed extra refectionem, et cœnulam obligatis ad observantiam præcepti, generaliter loquendo peccant : quia cooperantur ad peccatum alterius. Et multo gravius peccaret qui, ut quandoque evenit etiam inter amicos, alium incitaret, et quasi urgeret ad edendum ; et pejus esset si hujusmodi cooperatores essent parentes, Domini, Rectores, aliive Superiores, qui tenentur impedire transgressiones filiorum, ceterorumque famulorum dependentium : imo eos obligare ad observantiam præceptorum. Videant pariter caupones, et quicumque alius, ne alienis peccatis graventur, si cœnulam nimis lautam parent paratis jejunium violare ; aut cibos vetitos ministrent.

1046. Q. Quare dixisti : *generaliter loquendo ?*

℟. Quia si quis obligatus ad jejunium, peteret a publico caupone ex. gr. aut ab uxore, filia, famulo, aliove dependente vel cibos vetitos, vel plures refectiones ; et ex denegatione timeantur, ut non raro accidit, graves iræ, blasphemiæ, graves minæ, grave damnum, grave lucrum cessans, ut evenire posset cauponi, cujus caupona ex hujusmodi denegatione vel omnino, vel notabiliter deseratur : hisce, et similibus casibus juxta principium S. Thomæ (2. 2. q. 78. a. 4.), et aliorum, quos citat, et sequitur B. Ligorio (Lib.

2. n. 47.) posset permitti peccatum nolentis jejunare. Non posset autem hoc peccatum permitti, si damnum, vel lucrum cessans, quod timetur, sit leve.

Caput III.

De Causis excusantibus a jejunio.

1047. Q. Quæ, et quot sunt causæ, quæ a jejunio excusant?

℟. Quatuor vulgo numerantur: Impotentia, Labor, Pietas, et Dispensatio. *Labor* autem, et *Pietas* reducuntur ad *Impotentiam*. Quando autem hæ causæ vel in totum, vel in partem a jejunio excusent, videbitur in sequentibus Paragraphis.

Paragraphus I.

De Impotentia.

1048. Q. Qui a jejunio excusantur propter *impotentiam*?

℟. Sunt omnes illi, qui absque gravi incommodo, aut notabili damno vel in totum, vel in partem jujunare non possunt. Ut sunt infirmi, et convalescentes, qui frequentiori cibo, et jusculis indigent; mulieres gravidæ, aut lactantes, quæ nutrire se debent etiam pro fœtu, aut prole; qui graves stomachi dolores, aut capitis vertigines, cordisve deliquia sentiunt, stante corpore jejuno, qui ita sunt debiles, ut una vice alimentum sufficiens sumere nequeant; mendici, qui eleemosynis frustatim collectis vivunt, si simul habere non possint quod ad unicam comestionem sufficiat, ceterique pauperes, qui vivunt solis legumi-

nibus, et herbis cum pane, aut non habent cibos sufficientes pro unica necessaria refectione, et ceteri consimiles.

1049. Q. Quare dixisti: *vel in totum*, *vel in partem*?

℟. Quia exceptis infirmis, et convalescentibus, quibus forsan opus sit cibo frequentiori, et cibi quadragesimales nocent; de ceteris autem, si cui sint nocivi cibi quadragesimales, permittatur esus carnium, aut solum ovorum, et lacticiniorum juxta judicium probi, et periti medici, aut alterius viri prudentis in ejus defectu; et hic jejunet abstinendo a pluribus refectionibus. Qui indiget cibo frequentiori, jejunet abstinendo a cibis vetitis (n. 1030.). Qui usque ad meridiem jejunus esse non potest, sumat mane frustum panis, aut aliud simile. Qui incœnatus non potest dormire, aut calefieri, circa meridiem sumat cœnulam, et sero prandeat. Qui ob debilitatem virium omnibus Quadragesimæ diebus jejunare non potest, jejunet ter, vel quatuor in hebdomada. Et unusquisque jejunet meliori modo, quo potest. Videantur Auctores, ac præsertim B. Ligorio (Lib. 3. n. 1033. etc.).

1050. Q. Quid præterea notandum circa eos, quibus esus carnium permittitur?

℟. Notandum, quod tam in Quadragesima, quam in aliis diebus jejunii, nisi ratione ætatis, aut alia justa causa a jeunio excusentur, in sola refectione, seu prandio hora jejunantibus præscripta faciendo eis conceditur esus carnium, aliorumque ciborum vetitorum, non autem in cœnula. Insuper in eadem mensa non eis permittitur esus carnium simul, et piscium, et hoc etiam in Dominicis Quadragesimæ: (Pisces autem non in-

terdicuntur illis, quibus facultas datur adhibendi ova tantum, et lacticinia, et non jam carnes). Ita præscribitur a Benedicto XIV. in Encyclicis *Libentissime*, et *Si fraternitas* 8. *Jul.* 1744.

1051. Q. Est ne aliud addendum?

℟. Maxime. Hæc enim restrictio edendi carnes etc. in solo prandio; et non miscendi carnes, et pisces non afficit infirmos, et adversa valitudine laborantes. Idem enim Pontifex (Encycl. *In suprema* 22. Aug. 1741.) sequentem apponit exceptionem: *Dummodo nulla certa, et periculosa valetudinis affectæ ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat.* Et cum hæc prohibitio non miscendi carnes, et pisces stricte sit intelligenda, ut scribit B. Ligorio (ibid. n. 1015.), ei, qui non carnem, sed pulmentum tantum, vulgo *minestra*, carnis jusculo coctum edit, pisces non prohibentur. Ita sentit Franzoja (Lib. 3. Tr. 6. c. 3. animad. 2.) apud eumdem Beatum.

1052. Q. Quid dicendum de senibus.?

℟. Si senes sint robusti, etiamsi sint sexagenarii, septuagenarii, et etiam octogenarii, S. Antoninus cum aliis, quos citat Ferraris (V. *Jejunium* Art. 2. n. 13.) dicunt, ad jejunium teneri, præsertim si tenentur jejunare ex voto. Et revera Navarrus licet octogenarius, et continuis studiis deditus fatebatur, absque gravi incommodo se posse jejunare. Alii autem, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 1036.), et ap. Ferraris (n. 12.) excusant senes sexagenarios, etiamsi robustæ sint valetudinis.

1053. Q. Quam rationem afferunt isti Doctores?

℟. Ratio, quam afferunt, est: quia etiamsi nonnulli in ea ætate robusti videantur, eorum robur est de facili illusivum; et si in morbum in-

cidant, difficulter perfecte convalescunt. Et etiam, quia esset res multis scrupulis obnoxia, si deberet examinari, an sexagenarius sit robustus nec ne. Et comprobant eorum assertionem testimonio oculato Hieronymi Lamas (P. 3. meth. c. 5. §. 20.) qui loquendo de Regularibus, qui in ætate 60. annorum ex vi Bullæ Cruciatæ vesci possunt ovis, et lacticiniis, subdit, Summum Pontificem declarasse, eos ad jejunium non teneri, addens: *Gratias Deo, quod regula deinceps tenebitur certa a Summo Ecclesiæ Pastore decreta* (ap. Ferrar. ibid.).

Paragraphus II.

De Labore.

1054. Q. Quinam labor excusat a jejunio?

℟. Est ille, qui exercetur cum ingenti corporis agitatione. Et quia in eo multi spiritus consumuntur, generaliter loquendo reputatur incompatibilis cum jejunio. Talis communiter æstimatur labor, quem exercent agricolæ, rustici, fabri lignarii, murarii, lapicidæ, sectores, texentes, lanarii, ferrarii, fullones, bajuli, remigantes, typographi prælum versantes, non vero typos componentes, sutores, qui calceos conficiunt; cæterique, qui artes laboriosas exercent non sine magna corporis agitatione; qui pluries in diem comedere possunt. Et hoc verificatur juxta declarationem factam ab Eugenio IV. quam multi Auctores apud B. Ligorio (ib. n. 1042.) referunt, etiamsi rustici, vel artifices sint divites.

1055. Q. Semper ne hujusmodi labor eximit a jejunio.

℟. Tunc eximit, quando hujusmodi labor per majorem diei partem exercetur; et non sit susceptus in fraudem legis; quia si per paucas horas quis laboret, et non multum defatigetur; in hoc casu etiamsi cœnulam pleniorem forsan sumere queat, non excusatur tamen a jejunio. Et illi, qui excusabant a jejunio quoscumque corporaliter laborantes, etiamsi non se certificarent, an labor foret compatibilis cum jejunio, ab Alexandro VII. (Prop. 30.) fuerunt damnati. Pariter si quis in fraudem legis, idest ut a jejunio se eximat, aliquem laborem suscipiat, non suscepturus nisi esset dies jejunii; non excusatur; quia ex Cap. *Sedes* 15. etc. fraus, et dolus alicui patrocinari non debet.

1056. Q. Prædicti tenentur ne jejunare illis diebus, quibus vacant a labore?

℟. Si prædicti artifices, et operarii uno, vel duobus tantum diebus a solitis abstineant laboribus, commune est inter Doctores, ut inquit B. Ligorio (n. 1044.), non teneri ad se abstinendum a pluribus refectionibus; quia in primo die reficere debent lassitudinem diei præcedentis; in secundo autem die ad servandas vires pro labore in subsequentibus diebus assumendo; dummodo aliquis expertus non esset, absque gravi incommodo potuisse jejunare, ut potest accidere in personis robustæ complexionis, presertim si sint divites qui commodum habeant unam sufficientem refectionem sumendi. Si autem per plures dies non laborant, diebus saltem intermediis a jejunio non excusatur: dummodo non sint pauperes rustici, qui plerumque non habent cibos sufficientes, et nutritivos pro una facienda refectione.

1057. Q. Quisnam labor non excusat a jejunio?

2. Est ille, qui absque magna corporis agitatione, et gravi incommodo potest exerceri. Ut est ille, quem excercent sartores, nentes, phrygiones, plumarii, scribentes, barbitonsores, horologiarii (exceptis illis, qui magna horologia construentes, magnas vires impendunt), et consimiles artifices. Hi cum in exercitio suorum operum non multum defatigentur; etsi cum aliqua difficultate jejunium sustineant, ab eo autem non excusantur. Si autem aliquis ex his sine magno incommodo nequeat suam artem exercere, vel propter debilitatem personæ, vel quia præter diem ad plurimam noctem aliquoties illam exercet, et multum defatigatum se sentiat; aut propter aliam peculiarem circumstantiam, dicit B. Ligorio (n. 1041.), regulam communiter receptam cum Lessio esse, non teneri ad unicam refectionem.

1058. Q. Quid notandum circa itinerantes?

R/. Varia sunt notanda. 1. Si iter *commode differri potest*, ut docet S. Thomas (2. 2. q. 147. art. 4. ad 3.), *non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda.* Iter autem inceptum non tenetur quis abrumpere, ut jejunet. Ita docent etiam Lessius, Layman, et alii quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 1047.). 2. Non licet in fraudem legis (idest ne quis jejunet) iter incipere, venari etc., ut dictum est supra (n. 1055.) de labore. 3. Non omnes itinerantes a jejunio excusantur. Et illi, qui excusabant a jejunio omnes illos *qui iter agunt equitando utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant*, proscripti fuerunt ab Alexandro VII. (Prop. 31.).

1059. Q. Quando ergo itinerantes a jejunio excusantur?

℟. Etiamsi varii Doctores assignent præfixum numerum leucarum, dierum tam pro itinerantibus pede, quam equo, curru etc.; hæc regula tamen aliis merito non placet: nam toties plus defatigat iter unius leucæ, seu trium milliarium per vias lutosas, præruptas, per montes, tempore pluvio etc., quam iter trium, aut quatuor leucarum, seu novem, aut duodecim milliariorium per vias planas, commodas, tempore propitio etc. Item plus defatigatur debilis, quam robustus, plus non assuetus quam assuetus: plus itinerans equo effræni, et præcipiti, quam quieto, et bene ambulatorio; et sic de similibus.

1060. Q. Quænam ergo regula est tenenda?

℟. Placet regula, quam ex S. Thoma (in 4. d. 15. a. 2.) tradunt plures Doctores apud Ferraris (V. *Jejunium* Art. 2. n. 28.). Docet S. Doctor, tunc itinerantes a jejunio excusari, quando *simul cum jejunio itinerari non possint.* Quando ergo, consideratis personis, viis, temporibus, aliisque circumstantiis, quomodocumque fiat iter; sive pedibus, sive equo, sive curru, taliter quis defatigetur, ut absque magna difficultate, et gravi incommodo jejunare non possit, non tenetur abstinere a repititis refectionibus. Et in dubio, an incommodum sit grave, petat dispensationem, ut infra (a n. 1064.) dicetur. Et eadem regula currit pro famulis, ancillis, aliisque, qui in rebus domesticis occupati, fere tota die debent ambulare, et circumire nunc domi, nunc per vias; plateas etc.

Paragraphus III.

De Pietate.

1061. Q. Qui ratione *pietatis* excusantur a jejunio?

℟. Sunt illi, qui vacant alicui operi pio, et sancto, quod jejunio sit excellentius, et cum jejunio fieri non potest: dummodo opus illud ad aliud tempus non possit differri; aut in fraudem jejunii opus illud non assumatur, idest, ne jejunare teneatur. Communis. Rationem affert S. Thomas (2. 2. q. 147. a. 4. ad 3.): *Quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, et magis necessarias causas.* Dixi 1.° *dummodo ad aliud tempus* etc. *quia si peregrinatio*, subdit S. Doctor (et idem dic de aliis piis operibus), *commode differri possit . . . . . non sunt propter hoc jejunia Ecclesiæ, prætermittenda.* Dixi 2. *aut in fraudem jejunii* etc. quia ut dictum est supra (n. 1055.) fraus nulli debet patrocinari.

1062. Q. Quæ sunt hæc pia opera, que a jejunio excusant?

℟. Sunt illa misericordiæ opera tam spiritualia, quam corporalia, quæ absque gravi, et notabili incommodo a jejunantibus exerceri nequeunt. Si enim absque gravi incommodo, etsi cum aliqua difficultate exerceri queant, a jejunio non excusant. Hinc Concionatores, qui quotidie, aut fere quotidie concionem habent, præsertim Missionarii, qui tempore Missionis vehementiori agitatione concionantur; Confessarii debilis complexionis, qui per multas horas, ex. gr. septem, aut octo suum munus exercent; si isti jejunando red-

derentur inhabiles ad concionandum, ad audiendas confessiones, excusantur ab unica refectione. Plurimos autem Concionatores, et etiam Missionarios, assiduosque Confessores vidi, qui propriæ perfectionis amantes cum tanta populorum ædificatione jejunant.

1063. Q. Qui alii ratione *pietatis* a jejunio excusantur?

℟. Excusantur qui pluribus infirmis cum magno labore in hospitalibus inserviunt, aut etiam in domo privata, si majori noctis parte coacti sint vigilare; et pluribus molestiis subjaceant. Item cantores illi, qui officio canendi vivunt; et jejunando impares ad cantandum evaderent. Item Lectores scientiarum, qui magno studio, et labore indigent; non vero qui lectiones jam prius ordinatas dictant. Item alii Magistri, Advocati, Professores etc. Hi omnes si reapse cibo frequentiori opus habeant ad reparandam spirituum consumationem; et aliter proprio muneri satisfacere nequeant, excusantur. Ne autem ab amore proprio decipiantur, viros doctos, ac cordatos consulant; et in dubio dispensationem petant, ut mox dicetur. Videantur Auctores, et præsertim B. Ligorio n. 1048. etc.

Paragraphus IV.

De Dispensatione.

1064. Q. Quid notandum circa dispensationem?

℟. Notandum juxta communem doctrinam, quam tradit S. Thomas (2. 2. q. 147. a. 4.) quod *si causa sit evidens, per seipsum licite potest homo statuti observantiam præterire, præsertim consuetudine interveniente, vel si non posset de*

facili recursus haberi ad Superiorem. Hinc si ex dictis in tribus Paragraphis antecedentibus clare constet, cibos Quadragesimales nocivos esse, ut accidit in infirmis, ac convalescentibus; aut aliquem pluribus refectionibus egere, non opus est petere dispensationem. *Si vero*, subdit S. Doctor, *causa sit dubia, debet aliquis ad Superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi.*

1065. Q. Quis est iste Superior, qui dispensare possit in jejuniis?

℟. Pro tota Ecclesia est Summus Pontifex. Episcopus, ejusque Vicarius Generalis (sed ex speciali Episcopi facultate), Vicarius Capitularis, Sede vacante: Sed hi pro sua tantum Diœcesi possunt dispensare, et justa interveniente causa, et pro aliquibus in particulari, non autem pro omnibus suis subditis in generali. Aliter dispensatio erit nulla. Item Prælatus Regularis, et Superior localis pro suis subditis, et cum iisdem limitationibus. Et cum iisdem limitationibus potest Parochus cum aliquo suo subdito dispensare. Si vero causa non videatur omnino sufficiens ad dispensandum vel dubitetur, an sufficiat, poterunt supradicti partim dispensare, et partim commutare in aliud opus pium, ex. gr. preces, eleemosynas etc. Sic sentiunt Roncaglia, et alii apud B. Ligorio (ibid. n. 1032.).

1066. Q. Quæ regula servanda est in concedendis hujusmodi dispensationibus?

℟. Examinet Superior dispensandum; et si opus sit, vel voce, vel scripto consulat probum; et expertum medicum; et videat, an dispensando necessariæ sint carnes, an sufficiant ova, et lacticinia. Examinet, an reapse dispensandus opus

habeat pluribus refectionibus; an possit jejunare parvulum jentaculum mane sumendo, et hinc hora debita prandium, ac cœnulam sumere; et cum hac regula dispenset juxta superius dicta (n. 1049., et 1050.). Et hic nota quod medici, sicut et Confessarii nullam habent dispensandi auctoritatem, sed possunt tantum declarare, quæ noceant, et quæ necessaria credant dispensando. Et hi advertant, se graviter peccare, si ut faveant gulæ, divitum præsertim et nobilium, dicant quod reapse non est.

1067. Q. Dispensato ad carnes capite familiæ, censentur ne dispensati reliqui de familia?

℞. Etiamsi aliqui parum curantes observantiæ Præceptorum Ecclesiæ id permissum sibi putent, ne sumptibus duplicis mensæ subjiciantur; et dispensati ipsi cogant ad carnes edendas filios, famulos, reliquosque de familia; nihilominus Benedictus XIV. (Instit. Eccl. 15. §. 25.) hunc usum vocat *malum sane perniciosum*, *et nullo modo ferendum*. Igitur tam dispensati, quam non dispensati parciori cibo sint contenti, ut decet diebus jejunii, qui statuti sunt ad corporis mortificationem; et sic œconomiæ domesticæ consuletur, et Ecclesiæ præcepta juxta quæ pater familias suam debet alere familiam, non frangentur. Sic docet idem Summus Pontifex (ibid.).

ARTICULUS II.

De III. IV. V. et VI. Ecclesiæ Præcepto.

1068. Q. Quid in his Præceptis præcipitur?

℞. Præcipitur, ut statim ac ad annos discre-

tionis quis pervenerit, saltem semel in anno confiteatur; in Pascha communicet; Decimæ Ecclesiæ Ministris solvantur; et certis anni temporibus nuptiæ solemniter non celebrentur. Quæ omnia in sequentibus Capitibus videbimus.

Caput I.

De annua Confessione.

1069. Q. Unde oritur, et quos obligat præceptum annuæ Confessionis?

℟. Hoc præceptum continetur in Canone 21. Concilii IV. Lateranensis, in quo sic legitur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti* (idest, cuicumque Confessario adprobato, ut declaravit Clemens VIII. an. 1592.); *et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum.* Quod præceptum comprobatur a Synodo Tridentina (Sess. 14. c. 5.). Et cum dicat, confessionem *fideliter* esse faciendam, deducitur per Confessionem voluntarie sacrilegam præcepto non satisfieri, ut declaravit Alexander VII. damnando 14. Propositionem, quæ dicebat: *Qui facit confessionem voluntarie nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Et ex verbis præcitatis constat etiam, *omnes*, *qui ad discretionis annos pervenerint*, ad hanc Confessionem teneri.

1070. Q. Quando incipit annus discretionis; et quomodo computandus annus, intra quem obligat hoc Præceptum?

℟. Tunc incipit annus discretionis, quando quis pervenit ad usum rationis, idest ad septem annos: etiamsi in aliquibus pueris hic rationis usus soleat anticipari; in aliis posticipari. Hinc quando pueri erubescunt de quibusdam actionibus turpibus; aut apprehendunt, quid sit mendacium etc. potest credi, pervenisse ad usum rationis, et obligatos ad hanc annuam Confessionem. Advertant Parochi, ac genitores. Quomodo autem computandus sit hic annus, nihil Ecclesia decrevit. Aliqui apud B. Ligorio (Lib. 6. n. 662.) computant ab una confessione ad aliam. Alii ab initio Januarii ad totum Decembrem. Alii ab uno Paschate ad aliud, quando adimplendum est Præcepto Paschali. Et hæc est universalis consuetudo: et hunc morem tamquam pium adprobat Tridentinum (loc. cit.).

1071. Q. Quomodo obligat hoc Præceptum?

℟. Obligat sub gravi. Communis: tum propter gravitatem materiæ, tum propter pœnam a Concilio Lateranensi (ibid.) comminatam transgressoribus, quæ est *Interdictum* ab ingressu Ecclesiæ in vita, et privatio sepulturæ Ecclesiasticæ post mortem. Hæ autem pœnæ sunt ferendæ sententiæ. Hinc qui infra annum, ut supra, rite dispositus ad Pœnitentiæ Sacramentum non accedit, et absolutionem non recipit; et in Paschate non communicat, graviter peccat: dummodo prudens Confessarius aliquam dilationem non duxerit ei necessariam; et dummodo inter infideles, hæreticos non versetur, aut in longa navigatione, aut ob aliud legitimum impedimentum copiam Confessarii non habeat.

1072. Q. Qui prævidet, se impeditum iri a facienda Confessione in decursu anni tenetur ne prævenire?

℟. Maxime. Etenim post ultimam annualem confessionem jam incepta est obligatio anni currentis. Qui ergo prævidet, in decursu anni hoc Præceptum non posse adimplere, ex. gr. quia longam suscipere debet navigationem, aut alio motivo; debet anticipare confessionem, saltem si versetur in peccato mortali: sicut cœpto tempore Præcepti Paschalis, debet illico communicare, ut docent Suarez, et alii apud B. Ligorio (n. 298.); si quis prævideat postea esse impediendum. Dixi: *Saltem si versetur in peccato mortali*: quia si habeat tantum venialia, licet expediret ut ad Confessionem accederet, aut saltem *Sacerdoti se præsentaret*, ut inquit S. Thomas (in 4. d. 17. q. 3. a. 1. q. 3. ad 3.), non teneretur autem: quia finis Præcepti est, ut quis Deo reconcilietur.

1073. Q. Quid agere debet qui uno anno huic non satisfecit Præcepto?

℟. Tenetur quamprimum potest anno sequenti satisfacere, etiamsi absque culpa anno præcedenti non satisfecerit, et se accusare etiam de transgressione hujus præcepti. Ita de Lugo cum aliis, quos citat, et sequitur B. Ligorio (n. 665.). Ratio: nam terminus anni non apponitur ad finiendam, sed ad non differendam obligationem. An autem per Confessionem factam in sequenti anno satisfiat Præcepto utriusque anni, controvertitur inter Doctores. Sententia quam veriorem dicit idem Beatus (669.), distinguit. Si pœnitens se accuset de mortalibus utriusque anni, satisfacit: quia per unicam illam confessionem implet finem Præcepti, quod est se reconciliandi cum Deo. Si autem pœnitens se accusavit tantum de mortalibus anni præcedentis, et post fa-

ctam confessionem incidit in mortale; tunc non satisfaceret; et teneretur iterum confiteri, ut satisfaciat Præcepto confitendi mortalia commissa intra hunc annum.

CAPUT II.

De Communione Paschali.

1074. Q. Quando fideles ad communionem tenentur?

℟. Etiamsi adsit Præceptum etiam divinum sacram recipiendi Communionem; hic autem loquimur de Præcepto tantum Ecclesiastico, quod continetur in Canone 21. Concilii Lateranensis IV. supra (n. 1069.) relato, ubi præter annuam Confessionem, præcipitur sub gravi, et sub iisdem pœnis Communio *ad minus in Pascha*; idest, ut declaravit Eugenius IV. in Bulla *Fide digna*, a Dominica Palmarum usque ad totam Dominicam in Albis: dummodo ex indulto, consuetudine, necessitate, aut de consilio Confessarii ad tempus longius non transferri contingat. Et sicut per Confessionem sacrilegam non satisfit Præcepto annuæ confessionis, ut dictum est n. 1069., sic nec per Communionem sacrilegam satisfit huic Præcepto, ut declaravit Innocentius XI. in proscriptione hujus 55. Propositionis: *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

1075. Q. In qua ætate obligat hoc Præceptum?

℟. Etiamsi ex citato Canone Lateranensi S. Antoninus cum aliis sentiant, quod sicut fidelis quando ad annos discretionis, idest *ad usum rationis* pervenit, obligatur ad confessionem, sic obligetur etiam ad Communionem: nihilominus sententia

communissima, et probabilior, quam tuetur Suarez cum aliis, quos citat, et sequitur Benedictus XIV. (de Syn. Diœc. Lib. 7. c. 12. n. 2.) requirit extra periculum mortis perfectiorem discretionem, et usum rationis in Communione, cujus excellentia et dignitas requirit in suscipiente majorem judicii maturitatem, ut debita reverentia ad eam accedat. Et hanc maturitatem secundum majorem, aut minorem perspicaciam solent pueri acquirere a decimo usque ad decimum quartum ætatis annum; et quidam etiam tardius.

1076. Q. Qui in Paschate non communicavit, tenetur ne postea?

℟. Etiamsi S. Antoninus cum aliis putet, non teneri, sicut non tenetur jejunare postea qui non jejunavit in Vigilia: nihilominus sententia communior, quam tenent Lugo, et alii, quos citat et sequitur B. Ligorio (Lib. 6. n. 297.), dicunt teneri. Ratio: quia circa Communionem duo præcipit Ecclesia, unum communicandi infra annum, et alterum communicandi in Paschate, sicut colligitur ex citato Canone Lateranensi, et multo clarius ex Tridentino, in quo (Sess. 13. can. 9.) sic legitur: *Si quis negaverit omnes fideles teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ, anathema sit.* Si ergo Præceptum communicandi in Paschate, transacto hoc tempore, nequit amplius observari; remanet obligatio alterius Præcepti communicandi *singulis annis*; et propterea paritas jejunii non tenet.

1077. Q. Qui prævidet, in Paschate non posse communicare, tenetur ne anticipare?

℟. Si annus transactus non sit ab ultima communione, non tenetur. Ratio: quia Præceptum

annuæ Communionis in hoc casu jam implevisset; et cum Præceptum Paschale, et novus annus non adhuc sit inceptum, Communione diebus antecedentibus facta hoc Præceptum non posset adimplere; sicut qui prævidet, Missam non posse audire die festo, Præceptum non implet, si audiat die præcedenti. Si autem annus ab ultima Communione sit transactus, quia anno præcedenti Pascha anticipavit; tunc tenetur; ut saltem Præcepto annuæ Communionis satisfaciat. Hic autem notandum, quod qui ante Pascha communicavit, cessante impedimento, teneretur communicare iterum in Paschate, ut Præcepto satisfaciat. Sicut juxta Rituale Romanum (De Comm. Pasch.) diebus Paschalibus denuo tenentur communicare ægroti, etiamsi diebus præcedentibus hunc sacrum cibum recepissent.

1078. Q. Ubi hæc annua Comunio est facienda?

℞. In propria Parochia. Ita statuit Clemens VIII. anno 1592, (ap. Lambert. Instit. Eccles. 18. n. 7.), et declaravit S. C. Concilii 20. Mar. 1638. Et cum Innocentius XI. 5. Febr. 1682. declaraverit, non satisfacere Præcepto, etiamsi quis communicaret in Ecclesiis S. Joannis in Laterano, vel S. Petri in Vaticano, patet, nec satisfacere qui in Metropolitana, aut Cathedrali sacram acciperet Eucharistiam. Si autem interveniat consensus expressus, vel præsumptus cum certitudine morali de voluntate Papæ, vel Episcopi, vel proprii Parochi, ut sentiunt Salmaticenses cum aliis apud B. Ligorio (n. 300.) ubique satisfit. Excipiuntur Sacerdotes, qui ubicumque celebrant, satisfaciunt. At si non celebrant, tenentur, ut alii, in propria Parochia communicare. Ita Rosignolius apud Lambertini (Instit. Eccles. 55. n. 9.). Exci-

piuntur etiam vagi, qui non habent propriam Parochiam; et advenæ, qui diebus Paschalibus a propria absunt Parochia (nisi in fraudem absint), qui ubique reperiuntur, satisfacere possunt.

Caput III.

De Decimis, et Nuptiarum prohibitione.

1079. Q. Quid sunt istæ Decimæ?

℟. Sunt illæ præstationes, seu oblationes, quæ jure naturali, divino, et humano debentur Ecclesiæ Ministris; sicut ex Dei institutione etiam in veteri Testamento (Exodi 22. Levit. 18. et 27. et alibi) illis debebantur. *Jure naturali*; quia jus naturæ dictat, quod sicut Ecclesiæ Ministri plebi spiritualia debent; sic plebs pro illorum sustentatione corporalia tribuat. Debentur *jure divino*; quia præter textus relatos veteris Testamenti, etiam in novo Christus (Luc. 10. 7.) inquit; *Dignus est enim operarius mercede sua.* Etiam Apostolus (1. Cor. 9. 11.) ait: *si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Debentur *jure humano*; sic enim præcipitur in tot locis juris Canonici relatis a Ferraris (V. *Decimæ* art. 1. n. 17.).

1080. Q. Peccant ne qui decimas non solvunt?

℟. Peccant quidem, et graviter; et contra Religionem, et contra Justitiam. *Contra Religionem*: quia Decimæ in contestationem supremi, et universalis Dominii, quod Deus in nos, et res nostras habet, debentur. Et idcirco Gregorius VII. (in Cap. *Decimas* 1. caus. 16. q. 7.) loquens de defraudantibus, aut non solventibus Decimas,

dicit: *sciant, se sacrilegii crimen committere, et æternæ damnationis periculum incurrere*. Peccant *contra Justitiam*: quia ut supra dictum est, sicut ex justitia Ecclesiæ Ministri debent plebi spiritualia; sic plebs illis debet corporalia. Et *qui eas* (Decimas) *dare noluerint, aut dantes impediunt*, ex Concilio Tridentino (Sess. 25. Cap. 12. de Ref.) *res alienas invadunt . . . . . excommunicantur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur*.

1081. Q. Quando nuptiæ prohibentur?

℟. Prohibentur *ab Adventu D. N. J. C. usque in diem Epiphaniæ; et a Feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive*. Ita in Concilio Tridentino (Sess. 24. c. 10.). Hic autem nota, quod in hoc Concilii decreto juxta Rituale Romanum (Rubr. de Matrim.) Bellarminum, et tot alios, quos citat, et sequitur Lambertini (Instit. Eccles. 80. n. 18.) non prohibetur celebratio, et consumatio Matrimonii; sed prohibentur tantum solemnitates nuptiarum: ut nuptias benedicere, sponsam solemniter traducere, ut declaravit etiam S. C. Concilii 10. Junii 1684. nuptialia celebrare convivia, et publica illa pompa, quæ in solemnitate nuptiarum adhiberi solet. Sed hæc convivia, et tripudia, ut ait B. Ligorio (Lib. 6. n. 983.) citans Sanchez, *non prohibentur sub gravi, nisi excessus sit magnus: imo, si fiant moderate, nulla erit culpa*.

TOMI PRIMI FINIS.



INDEX ALPHABETICUS.

RERUM, ET VERBORUM NOTABILIUM HUJUS PRIMI TOMI.

Lib. indicat Librum ; n.° indicat numerum marginalem illius Libri.

A

Abortus. *Quale peccatum sit Abortus ; a quo possit absolvi ; et quas pœnas inducat.* Lib. II. n.° 558. *Qui evadant rei hujusmodi peccati.* n.° 559. *An liceat illum procurare.* n. 560. 561. et 562. *Quando ob illum incurratur Irregularitas. Vide* Lib. V. *in Tom. II. in* nn. 86., 87., 91., *et* 96.

Ablatio rei alienæ. *An quandoque sit permissa.* Lib. II. *a* n. 814. *ad* 818.

Abrogatio. *Quid sit abrogatio legis.* Lib. I. n. 136. *Quis possit legem abrogare.* n. 137.

Abstinentia a carnibus *etc. Quando hæc abstinentia præcipiatur ; quos obliget ; et quid, si Feria sexta, vel Sabbatum incidat in die Nativitatis Domini.* Lib. II. n. 1028. *et* 1036. *Quæ alia abstinentia jubeatur diebus jejunii,* n. 1030, *et* 1031.

Accessio. *Quando accessione acquiratur rei dominium.* Lib. II. n. 630.

Acedia. *Quid, et quale peccatum sit Acedia.* Lib. I. *a* n. 374. *ad* 377. *Quænam peccata ab illa oriantur.* n. 378. *et* 379. *Quænam sint ejus remedia.* N. 380.

Actus humanus. *Quid, et quotuplex sit.* Lib. I. n. 1. *et* 2. *Quando cognoscatur, illum esse voluntarium.* N. 4. *Quomodo cognoscatur, an*

sit bonus, vel malus. N. 24. Quid sit ejus objectum n. 25. Quis sit finis n. 26. Quæ sint ejus circumstantiæ. n. 27. 28. et 29. An dentur Actus indifferentes. n. 31. 32. et 33. Quid sit agendum, ut actus indifferentes evadant boni. n. 34.

ADVENÆ. *Ad quas leges ipsi teneantur.* LIB. *I. a n.* 112. *ad* 118.

ADVERTENTIA AD PECCATUM. *Quid, et quotuplex sit Advertentia.* LIB. *I. n.* 257. 258. *et* 259. *Quænam advertentia ad peccatum requiratur. a n.* 260. *ad* 266. *Quid in dubio, an ad peccatum quis adverterit. n.* 271.

ADULTERIUM. *Quid sit.* LIB. *II. n.* 576. *Quæ obligationes adulteri. n.* 918. *etc.*

ÆDIFICATIO. *Quando ædificatione acquiratur rei dominium.* LIB. *II. n.* 632.

AGGRESSOR. *An vitæ aggressor possit occidi.* LIB. *II. n.* 544. *et* 545.

AGRICOLA. *Ad quid* Agrigolæ *teneantur erga Dominum.* LIB. *II. n.* 532.

ALLUVIO. *Quando alluvione acquiratur dominium.* LIB. *II. n.* 629.

AMBITIO. *Quid, et quale peccatum sit ambitio.* LIB. *I. n.* 321.

AMENS. *An amens teneatur ad leges servandas.* LIB. *I. n.* 110.

AMOR. *Quem amorem filii debeant in parentes.* LIB. *II. a n.* 470. *ad* 476. *Quem amorem quoad animam, et quoad corpus nobis, et aliis debeamus n.* 539. *ad* 540.

AMPLEXUS. *Quando turpis amplexus sit peccatum.* LIB. *II. n.* 594.

ANCILLA. *Vide V. Famuli.*

ANTICHRISEOS. *Quid sit, et an licitum.* LIB. *II. n.* 706. *et* 707.

Apes. *Cujus sint apes inventæ. Lib. II. n.* 624.
Apostasia. *Quid sit. Lib. II n.* 49. *et* 50.
Quando ob hanc Irregularitas incurratur. Vide Lib. V. n. 79. *in Tom. II.*
Aspectus turpis. *Quando hic sit peccatum. Lib. II. n.* 592. *et* 593.
Assecuratio. *Quid hæc sit, et quando licita. Lib. II. n.* 753. *et* 754.
Avaritia. *Quid, et quale peccatum sit Avaritia. Lib. I. a n.* 333. *ad* 336. *Quid Avaritiæ opponatur. n.* 337. *Quænam peccata ab Avaritia oriantur. n.* 338. *Quænam sint ejus remedia. n.* 339.
Austeritas. *An austeritates corporales sint licitæ, si vitam abbrevient. Lib. II. n.* 543.

B

Beneficiatus. *An extra territorium teneatur ad Leges Diœcesis. Lib. I. n.* 14. *An teneatur ad Horas Canonicas, si habeat Beneficium tenue. Lib. II. n.* 218. *Quot peccata committat, si non recitet. n.* 225. *Quas pœnas incurrat, non recitando. n.* 269 *etc. et* 881. *Quale Officium recitare debeat extra Diœcesim. n.* 235.
Bellum. *Quid, et quotuplex sit. Lib. II. n.* 564. *An licitum. n.* 565. *Quid liceat in Bello. n.* 566. *An in Bello injusto possint milites cogi ad belligerandum. n.* 567. *An insidiæ, et stratagemmata permissa sint in bello. n.* 568. *Quid in bello non liceat. n.* 569.
Bestialitas. *Quid sit, quæ pœnæ, et quomodo explicanda sit in Confessione. Lib. II. n.* 590.
Blasphemia. *Quid, et quotuplex sit. Lib. II. a n.* 286. *ad* 291. *Quale pecvatum sit. n.* 289. *An mortuis maledicere sit blasphemia. n.* 291.

Bona. *Quotuplicis generis hæc sint. Lib. II. a n.* 612. *ad* 615. *De quibus bonis disponere possint filii familias. ibid. De quibus uxores. n.* 616. 617. *et* 618.

C

Calumnia. *Quid sit. Lib. II. n.* 990. *Quale peccatum. n.* 992. *Quomodo peccet qui eam audit, aut non impedit. n.* 1000. *etc. Ad quid teneatur calumniator. n.* 1013. *et* 1014. *Quomodo calumniator debeat famam restituere. n.* 1015. *Quid dicendum, si calumnia ivit in oblivionem n.* 1018.

Cambium. *Quid, et quotuplex sit. Lib. II. a n.* 725. *ad* 727. *An liceat Cambium siccum. n.* 726. *An reale. n.* 728. *An permissum sit Clericis. n.* 729.

Canonici. *An Canonici, aliique Choro addicti non residentes ad restitutionem teneantur. Lib. II. n.* 351. *Quando ad hanc restitutionem teneantur. n.* 880. *et* 881.

Cappellæ. *Quænam sint Cappellæ publicæ, et privatæ. Lib. II. n.* 461.

Castitas. *Hæc virtus servanda est in omni statu. Lib. II. n.* 573. *Quænam sint peccata huic virtuti opposita. a n.* 574. *ad* 603. *Qua cautela, et quando legenda sint ea, quæ huic virtuti opponuntur. n.* 574. *Quæ castitas in Clericis requiratur. Vide Tom. II. Lib. III. n.* 22. *etc.*

Castrare. *An liceat seipsum, aut alios castrare Lib. II. n.* 554. *et* 555.

Castrentia. *Quæ sint bona castrensia, et quasi castrensia; et an filii familias de his possint disponere. Lib. II. n.* 612.

Census. *Quid, et quotuplex sit. Lib. II. a n. 732. ad 734. An sit licitus. a n. 735. ad 739. Quid notandum circa census personales, et redimibiles. n. 739. Quid circa censum vitalitium. n. 740.*

Charitas. *Quare hæc vocetur virtus Theologalis. Lib. II. n. 2. Quid sit charitas. n. 70. Quodnam ejus objectum. n. 71. De præcepto charitatis erga Deum. a n. 72. ad 84.* Quænam *sint peccata huic virtuti opposita. n. 85. Quænam sit charitas erga proximum; et quis sit proximus. a n. 86. ad 130. Ad quid obliget charitas erga proximum. a n. 92. ad 130. Qui teneantur ad hæc charitatis officia. n. 97. Qui præferendi in actibus charitatis n. 98. et 99. Quænam sint vitia charitati opposita. a n. 131. ad 171.*

Choreæ. *Choreæ sunt fomentum libidinis. Lib. II. n. 603. Choreæ sunt clericis interdictæ. Lib. III. a n. 67. ad 69. Tom. II.*

Circumstantiæ. *Quid, et quotuplex sit Circumstantia. Lib. I. n. 27. etc. Quando hæc mutet speciem peccati. n. 294. et 295. Quæ circumstantiæ peccatorum aperiendæ sint in Confessione. Lib. IV. a n. 200. ad 203. et 374. Tom. II.*

Coactio. *Quando a legis observatione excuset. Lib. I. n. 205.*

Codicillus. *Quid sit. Lib. II. n. 784. An absque solemnitate factus obliget in conscientia. a n. 654. ad 657.*

Cogitatio prava. *Quando sit peccatum. Lib. I. a n. 229. ad 243. et n. 273.*

Comædia. *Est fomentum libidinis. Lib. II. n. 602. Sunt Clericis interdictæ. Lib. III. n. 70. Tom. II.*

Commixtio. *Quando commixtione acquiratur rei dominium.* Lib. *II. n.* 631.

Commodatum. *Quid sit.* Lib. *II. n.* 684. *et* 685.

Communio Paschalis. *Quando ad eam fideles teneantur; et an satisfiat præcepto communione sacrilega.* Lib. *II. n.* 1074. *In qua ætate obliget hoc præceptum. n.* 1075. *An teneatur postea communicari qui in Paschate præceptum non implevit.* 1076. *An qui prævidet, in Paschate non posse communicari, teneatur anticipare.* 1077. *Ubi hæc Communio sit facienda etiam a Sacerdotibus, vagis, et peregrinis. n.* 1078. *Reliqua ad Communionem vide* Eucharistia. *Tom. II.*

Compensatio. *Quando sit licita.* Lib. *II. a n.* 819. *ad* 823.

Complacentia. *Quando sit peccatum.* Lib. *I. a n.* 231. *ad* 243.

Concubinatus. *Quiid sit.* Lib. *II. n.* 578.

Concupiscentia. *Quid, et quotuplex sit, et quando tollat, vel minuat voluntarium.* Lib. *I. n.* 14. *et* 15. *Quando a legis observatione excuset. n.* 205.

Confusio. *Quando confusione acquiratur rei dominium.* Lib. *II. n.* 631.

Conductio. *Quid sit.* Lib. *II. n.* 741. *Quænam sint obligationes conductoris. n.* 745. *et* 746. *An pensio sit minuenda, si res conducta evadat infructifera n.* 747. *An augenda, si det fructus uberiores. n.* 748.

Confessio. *Qui ad Confessionem sint obligati; et an confessione sacrilega satisfiat Ecclesiæ præcepto.* Lib. *II. n.* 1069. *et* 1070. *An hoc præceptum obliget sub gravi. n.* 1071. *An debeat anticipare qui prævidet, postea impedi-*

tum iri. n. 1072. *Quid agere debeat qui non satisfecit. n.* 1073. *Vide etiam Tom. II.*

S. CONGREGATIONIS DECRETA. *An habeant vim Legis; sicut et Regulæ Cancellariæ. LIB. I. n.* 94.

CONJUGES. *Quid sibi inviem debent. LIB. II. a n.* 535. *ad* 577.

CONSCIENTIA. *Quid, et quotuplex sit. LIB. I. a n.* 36. *ad* 83. *An possit agi contra conscientiam. n.* 39. *Quid dicendum de eo, qui agit cum conscientia erronea invincibili. n.* 39. *An semper peccet qui agit contra conscientiam. n.* 43. *et* 44. *Quid de Conscientia perplexa, aut scrupulosa. a n.* 47. *ad* 52. *Quœnam sit Conscientia recta, et erronea. n.* 34. *etc. Quœnam Conscientia perplexa, scrupulosa, laxa. a n.* 47. *ad* 53. *Quœnam Conscientia certa, et dubiosa. a n.* 54. *ad* 59. *Quid Conscientia probabilis. a n.* 60. *ad* 83. *An peccet qui operatur cum Conscientia dubia. n.* 58. *et* 59.

CONSENSUS AD PECCATUM. *Quid, et quotuplex sit. LIB. I. a n.* 267. *ad* 270. *Quid in dubio, an consensum quis præstiterit. n.* 271. 272. *et* 273.

CONSENTIENS. *Quando ad restitutionem teneatur. LIB. II. n.* 894.

CONSILIUM. *Quomodo differat a Lege, et præcepto. LIB. I. n.* 86.

CONSUETUDO. *Quando Consuetudo abrogatur lege posteriori. LIB. I. n.* 138. *Quid sit Consuetudo. n.* 189. *Quotuplex sit. n.* 190. *et* 191. *An Consuetudo obliget in conscientia. n.* 192. *et* 193. *An Consuetudo contra legem obliget in conscientia. n.* 194. *etc. Quid dicendum, si a Lege prohibeatur Consuetudo contraria. n.* 198. *An Consuetudo per contrariam Legem possit revocari. n.* 199.

Consuetudo peccandi. *Quid sit, et an constituat novum specie peccatum. Lib. I. n. 296. et 297.*

Consulens. *Quando ad restitutionem teneatur. Lib. II. a n.* 890. *ad* 893.

Contentio. *Quid, et quale peccatum sit. Lib. I. n.* 328.

Contractus. *Quid, et quotuplex sit, et quot species. Lib. II. a n.* 646. *ad* 649. *Quæ sint conditiones ad contractuum validitatem requisitæ. a n.* 650. *ad* 657. *Contractus trium Contractuum quid sit, et an licitus. n.* 718. 719. *et* 720. *Quando ex Contractu debeatur restitutio. a n.* 865 *ad* 877. *Quando debeatur ex quasi contractu. n.* 878.

Contumelia. *Quid sit, et quomodo differat a Convicio, et Improperio. Lib. II. n.* 1006. *Quale peccatum sit. n.* 1007. 1008. *et* 1009.

Conversatio. *Quid dicendum de libera Conversatione inter personas sexus diversi. Lib. II. n.* 603. *Quæ Conversationes sint Clericis interdictæ. vide. Lib. III. a n.* 61. *ad* 66. *in Tomo II.*

Convicium. *Quid sit, et quomodo differat a Calumnia, et Improperio; et quale peccatum. Lib. II. a n.* 1006. *ad* 1009.

Cooperatio. *Qui ex Cooperatione teneatur restituere. Lib. II. a n.°* 883. *ad* 907. *Quot modis fit ista cooperatio. n.* 884.

Correctio. *Quomodo peccet qui non corrigit detrahentem. Lib. II. n.* 1001. *et* 1002. *Quid sit correctio fraterna. n.* 120. *De præcepto Correctionis. n.* 121. 122. *et* 123. *Quomodo facienda. n.* 124. *Quando facienda. n.* 125. 126. *et* 127. *De ordine in ea facienda. n.* 128. *An peccet qui eam omittit. n.* 129. *An facie-*

renda ob peccatum ex ignorantia commissum. n. 130. *Quomodo parentes debent filios corrigere. n.* 509. *et* 510.

CRAPULA. *Est fomentum libidinis. LIB. II. n.* 601.

CULPA. *Si res pereat absque culpa detentoris, an debeatur restitui. LIB. II. n.* 866. *et* 867. *Quænam sit culpa Theologica, et quid, et quotuplex culpa juridica. a n.* 868. *ad* 870. *Per quam culpam in contractibus debeatur restitutio. a n.* 871. *ad* 877. *Per quam culpam in quasi contractu. n.* 878.

CULTUS. *Quid, et quotuplex sit. LIB. II. n.* 176. *et* 177. *Quid discrimen inter cultum, qui debetur Deo, Virgini, et cæteris Sanctis. n.* 178. *et* 179.

CURATORES. *Quid Curatores, et Tutores teneantur erga minorennes, et pupillos. LIB. II. n.* 533.

D

DAMNUM, DAMNIFICATIO, DAMNIFICATOR. *Quando damnificatio sit peccatum mortale. LIB. II. a n.* 795. *ad* 805. *Quis ad restitutionem teneatur ex injusta damnificatione. n.* 855. *et* 856. *Quis sit injustus Damnificator, et quando debeat restituere. a n.* 857. *ad* 864. *Quid dicendum de damnis in ebrietate causatis. a n.* 862. *Quomodo per omissionem potest damnum causari. n.* 863.

DEBITA. *Quæ sint debita privilegiata. LIB. II. n.* 939. *et* 940. *Quænam sint hypothecaria. n.* 941. *et* 942. *Quænam Chirographaria. n.* 943. *Quænam personalia, vel communia. n.* 943. *et* 944.

DECIMÆ. *An Decimæ sint Parocho solvendæ. Lib.*

II. n. 521. *Quid sint Decimæ. n.* 1079. *Quo modo peccet, qui eas non solvit, vel defraudat. n.* 1080.

Defloratio. *Quid restituendum sit pro defloratione, et stupro.* Lib. *II. a n.* 914. *ad* 917.

Defunctus. *An infamare defunctum sit peccatum.* Lib. *II. n.* 997.

Dehonoratio. *Quando eveniat Dehonoratio proximi.* Lib. *II. n.* 983. *Quæ sint ejus species. a n.* 1006. *ad* 1012. *Ad quid teneatur qui proximum dehonoravit. n.* 1019. *et* 1020. *Quando excusetur a restitutione. a n.* 1021. *ad* 1023. *An sit facienda compensatio pecuniis. n.* 1024.

Delectatio morosa. *Quid sit.* Lib. *I. n.* 215. *Quando delectatio morosa sit peccatum. a n.* 230. *ad* 243.

Denuntiatio. *An denuntiandi sint qui Fidei mysteria negant.* Lib. *II. n.* 32. *et* 33.

Depositum. *Quid, et quotuplex sit.* Lib. *II. n.* 686. *Cui pereat. n.* 687. *Quando, et cui reddentum. n.* 688.

Derisio. *Quid sit.* Lib. *II. n.* 1010. *Quale peccatum. n.* 1011. *et* 1012.

Derogatio Legis. *Quæ sit.* Lib. *I. n.* 136. *Quis possit derogare. n.* 137.

Desiderium pravum. *Quid sit.* Lib. *I. n.* 215. *Quando sit peccatum. n.* 229. *An liceat desiderare mortem sibi, vel aliis. n.* 244. *et* 245. *An possit desiderari sub aliqua conditione. n.* 246. 247. *et* 248. *Quid explicandum sit in Confessione circa prava desideria. n.* 249. *et* 250.

Desperatio. *Quid sit.* Lib. *II. n.* 67.

Detractio, Detractor. *Quid, et quotuplex sit Detractio.* Lib. *II. n.* 990. *et* 991. *Quot mo-*

dis detrahatur. n. 991. *Quale peccatum sit detractio. a n.* 992. *ad* 1005. *Quomodo peccet qui audit detractorem. n.* 1000. *An peccet qui eum non corrigit. n.* 1001. *et* 1002. *Ad quid teneatur detractor. n.* 1013. *et* 1014. *Quomodo famam debeat restituere. a n.* 1015. *ad* 1018. *An quandoque detractor excusetur a restitutione famæ. n.* 1021. 1022. *et* 1023. *An teneatur compensare pecuniis, ni famam posset restituere. n.* 1024.

DEVOTIO. *Quid sit. LIB. II. n.* 181. *Quænam, et quotuplex devotionis causa n.* 182, *et* 183 *Quisnam, et quotuplex devotionis effectus n.* 184.

DIFFAMATIO. *Quid, et quotuplex sit, et quomodo fiat. LIB. II. n.* 983. *Quando proximus diffametur interne per dubium, suspicionem, opinionem, et judicium; et in quo differant. n.* 984. *Quando diffametur externe per detractionem; et quomodo peccetur. a n.* 990. *ad* 1005. *An diffamatus in uno delicto possit infamari de eodem in alio loco. n.* 999.

DILECTIO DEI. *Quomodo cognoscitur qui Deum diligit. LIB. II. n.* 73. 74. *et* 75. *Quando urgeat præceptum dilgendi Deum. a n.* 80. *ad* 84.

DISCIPULI. *Ad quid hi teneantur erga Magistrum. LIB. II. n.* 525.

DISCORDIA. *Quid, et quale peccatum sit. LIB. I. n.* 329.

DISPENSATIO, DISPENSARE. *Quid, et quotuplex sit Dispensatio legis. LIB. I. n.* 149. *Quis possit eas dispensare. n.* 150. *Quas leges possit Papa dispensare. n.* 151. *Quas Episcopi, Parochi, et Prælati Regulares. a n.* 152. *ad* 165. *An potestas dispensandi possit aliis subdelegari. n.* 156. *An facultas delegata dispen-*

sandi accipienda sit in sensu stricto, an lato. n. 157. *An quis possit dispensare seipsum. n.* 158. *Quid in dubio, an casus aliquis dispensatione indigeat. n.* 159. *An licita dispensatio sine causa. n.* 160. *Quomodo peccet qui dispensat sine causa. n.* 161. *et* 162. *Quænam sint justæ causæ ad dispensandum. n.* 163. *An justa interveniente causa, teneatur Superior dispensare. n.* 164. *Quid in dubio, an causa sit justa. n.* 165. *An Dispensatio absque causa sit valida. n.* 166. *An dispenset valide qui putat, non subesse causam, quæ tamen subsistit. n.* 167. *An sit valida dispensatio, in qua exponitur causa falsa, vel veritas tacetur; et quando dispensatio sit subreptitia, vel obreptitia. n.* 168., *et* 169. *Quomodo cesset dispensatio. n.* 170. *et* 171. Si quis *dispensatus sit a voto ad ducendam uxorem, votum reviviscat, mortua uxore. n.* 172. *An dispensatio cesset morte dispensantis. n.* 173. *An dispensatus possit dispensationi renuntiare. n.* 174. Quænam *dispensationes obtineantur a Sacra Pœnitentiaria. n.* 175. *Quid circa has dispensationes notandum sit. a n.* 176. *ad* 185. Quis possit *dispensare in recitatione Divini Officii.* LIB. *II. n.* 261.

DISTRACTIONES. *Quid, et quotuplex sit distractio.* LIB. *II. n.* 251. *et* 252.

DIVINATIO. *Quid sit.* LIB. *II. n.* 281. *Quæ sint ejus species. n.* 282.

DOCTRINA CHRISTIANA. *Quanta sit obligatio Parochorum hanc edocendi.* LIB. *II. n.* 519. *Quanta obligatio Magistrorum. n.* 523.

DOMINI. *Ad quid hi teneantur in famulos.* LIB. *II. n.* 526. 527. *et* 528.

Dominium. *Quid, et quotuplex sit.* Lib. *II. n.* 608. *et* 609. *Quod sit subjectum, seu quis sit capax dominii. n.* 610. *et* 611. *Quot modis acquiratur. n.* 622. *Quomodo acquiratur jure gentium. a n.* 623. *ad* 633. *Quomodo acquiratur jure Canonico, et Civili. a n.* 634. *ad* 645.

Donatio. *Quid, et quotuplex sit.* Lib. *II. n.* 773. *Quæ conditiones requirantur, ut donatio sit valida. n.* 774. 775. *et* 776. *An possit revocari. n.* 777. 778. *et* 779. *An donatio absque solemnitatibus facta obliget in conscientia. a n.* 654. *ad* 657.

Dubium. *Quid, et quotuplex sit dubium, seu conscientia dubia.* Lib. *I. n.* 55. 56. *et* 57. *An cum dubio, seu cum conscientia dubia possit operari. n.* 58. *et* 59. *Quid agere debeat medicus, quando est dubius de aliquo remedio. n.* 70. *et* 71, In quo *dubium differat a suspicione, opinione, et judicio.* Lib. *II. n.* 984. *Quando dubium est temerarium, et quando fundatum. n.* 985. *et* 986. *Quale peccatum, si sit temerarium. n.* 987. *et* 988. *Quid addendum circa scrupulosos. n.* 989. *Quid agendum in dubio Irregularitatis.* Lib. *V. n.* 116. 117., *et* 118. *in Tomo II.*

Duellum. *Quid, et quotuplex sit.* Lib. *II. n.* 570. *et* 571. *Quæ culpa, et pœna duellantium. n.* 572.

E

Ebrietas. *Quid, et quale peccatum sit ebrietas.* Lib. *I. a n.* 359. *ad* 364. *Quid dicendum de iis, qui ad bibendum se invicem provocant. n.* 361. *An aliquando liceat inebriare se, vel*

alios. n. 362. *et* 363. *An mala patrata in ebrietate imputentur ad peccatum. n.* 364. *et* 862.

Ebrii. *An teneantur ad leges servandas.* Lib. *I. n.* 110. *Quid, si audiant Missam n.* 120.

Educatio. *Quam educationem corporalem parentes debent in filios.* Lib. *II. a n.* 492. *ad* 496. *Quam educationem civilem. a n.* 497. *ad* 503. *Quam educationem spiritualem. a n.* 504. *ad* 510.

Eleemosyna. *Quid sit, et quare facienda.* Lib. *II. n.* 101. *et* 102. *An adsit præceptum eam faciendi. n.* 103. 104. *et* 105. *An stante hoc præcepto possit quis ad altiorem statum ascendere. n.* 106. *et* 107. *Quando pauperes sublevandi sint eleemosyna. a n.* 108. *ad* 116. *Præter eleemosynam. possunt ne pauperes aliis modis sublevari. n.* 117. *Filii familias, uxores, famuli etc. an possint facere eleemosinam. n.* 118. *et* 119.

Emphyteusis. *Quid sit.* Lib. *II. n.* 749. *. *Quid dicendum, si Emphyteuta pensionem non solvat. ibid.* **.

Emptio. *Quid sit.* Lib. *II. n.* 658., *et vide V.* Venditio. *An Emptor teneatur manifestare valorem rei venditori illum non cognoscentis. n.* 674.

Epicheja. *Quid sit.* Lib. *I. n.* 140. *Quando locum habeat. n.* 147. *et* 148.

Episcopus. *An possit abrogare Constitutiones Synodales.* Lib. *I. n.* 141. *Quid dicendum de Episcopis non residentibus.* Lib. *II. n.* 351. *an tempore pestis possint abesse a Diœcesi. n.* 513.

Executor testamentarius. *Quis sit, et ad quid teneatur.* Lib. *II. n.* 788, *et* 789.

Exemplum. *Quid sit bonum exemplum, quod parentes debent filiis.* Lib. *II. n.* 507.

F

Fama. *Quid sit, in quo consistat, et quomodo conservetur.* Lib. *II. n.* 977. *An sit obligatio conservandi propriam famam. n.* 978. *et* 979. *Quomodo peccet qui suam famam non conservet. n.* 980. *Quomodo lædatur fama. n.* 983. Ad quid *teneatur qui læsit famam proximi. n.* 1013. *et* 1014. *Quomodo fama possit restitui. n.* 1015. *et* 1016. *Quomodo, si quis libellis infamatoriis detraxerit. n.* 1017. Quid excuset *a restitutione famæ. n.* 1021. 1022. *et* 1023. *An compensatio facienda sit pecuniis, si fama restitui non possit. n.* 1024.

Famuli. *Ad quid teneantur in Dominos, et in quo peccent.* Lib. *II. n.* 529. *et* 530. *An possint se compensare n.* 531. 822. *et* 223. *Quid, si infirmentur. n.* 749. *Quid dicendum de famulorum furtis. n.* 810. *et* 811.

Festa. *Quis festa instituerit, et quid in eis præcipiatur.* Lib. *II. a n.* 426. *ad* 432. *Quid statutum fuerit a Pio VII. pro Regno utriusque Siciliæ. a n.* 428. *ad* 431. *An festorum Sanctificatio cadat sub gravi. n.* 433. *Quomodo præcipiatur Missa. a n.* 434. *ad* 440. *An præter Missam sint alia pia opera in festis imperata. n.* 439. Quid diebus *festis vetetur. n.* 441, *et* 442. *An sub hoc præcepto vetitum sit etiam peccatum, aut saltem gravius evadat in festis. n.* 443. *et* 444. *An vetita sit itineratio, venatio, et piscatio. n.* 445. *et* 446. Quæ causæ *excusent ab auditione Missæ. a n.* 447. *ad* 450. *An qui nequit Missam audire, ad aliud teneatur. n.* 451. Quæ causæ *permittant opera vetita in festis. a n.* 452. *ad* 460. *An in festis*

liceat molere, panes coquere, animalia laniare. n. 460.

FIDEJUSSIO. *Quid sit, et qui possint fidejubere. LIB. II. n.* 750. *Quæ sint obligationes fidejussoris. n.* 751. *Quæ sint jura fidejussoris. n.* 752.

FIDES. *Quare dicatur virtus Theologalis. LIB. II. n.* 2. *Quid sit Fides, et an sit divinitus infusa. n.* 3. *Quodnam, et puotuplex sit objectum Fidei. n.* 4. 5. *et* 6. *Qui credit Deum, vel Deo, an habeat veram fidem. n.* 7. *Quæ Fidei mysteria sint credenda. n.* 8. *ad* 13. *Qui teneantur illa edocere. n.* 14. *An, quando, et quomodo fidei actus sint eliciendi. a n.* 15. *ad* 19. *An sit necessitas fidem externe confitendi. a n.* 20. *ad* 27. Qui ad *professionem fidei teneantur. n.* 26. *An possit aliquando fides negari, et quando negetur. a n.* 28. *ad* 31. An negans *Fidei mysterium sit denunciandus. n.* 32. *et* 33. Quæ sint *vitia Fidei opposita. a n.* 34. *ad* 52. *An libri contra Fidem, et contra bonos mores sint prohibiti. a n.* 53. *ad* 58. *Quid de his libris sit faciendum. n.* 59. *et* 60.

FILII. *Quid debeant in Parentes. LIB. II. n.* 469. *Qualis debeat esse Filiorum amor in parentes. a n.* 470. *ad* 476. *Quomodo peccent Filii contra amorem Parentibus debitum. n.* 472. *et* 476. *Quid Filii debeant parentibus post eorum mortem. n.* 474. Qualis obedientia, *quam in ipsos debeant. a n.* 477. *ad* 482. *An semper debeant illis obedire. n.* 480. *Quale peccatum sit, nisi obediant. n.* 481. *An obedire teneantur in electione status. n.* 482. *et* 484. Quam reverentiam *debeant in parentes. a n.* 483. *ad* 496. *Quomodo peccent contra hanc reveren-*

tiam. **n.** 487. Quale sit *præmium filiis obedientibus*, *et punitio inobedientibus. n.* 490. Ad quos *spectet filiorum nutritio. n.* 495. *et* 496. De quibus *bonis possint Filii disponere. a n.* 612. *ad* 615. *An possint contrahere sponsalia*, *vel matrimonium absque parentum consensu.* *Lib. IV. n.* 370. *et* 484. *Tom. II.*

Finis. *Quid*, *et quotuplex sit. Lib. I. n.* 26.

Fornicatio. *Quid sit. Lib. II. n.* 576.

Fructus. *Qui sint fructus naturales*, *Civiles*, *industriales*, *ac mixti. Lib. II. n.* 850. *et* 851. *Quis sit fructus Sacrificii Missæ. Lib. IV. n.* 129. *et* 130. *in Tom. II.*

Fur. *An possit occidi. Lib. II- n.* 556. *et* 557.

Furtum. *Quid sit*, *et in quo differat a rapina. Lib. II. n.* 790. *Quot sint species furti. n.* 791. *Qui sint rei de furto. n.* 792. 793. *et* 794. *Quando furtum sit peccatum grave. a n.* 795. *ad* 812. *Quando furta minuta sint peccatum grave*, *et quando leve. a n.* 798. *ad* 805. *Quid dicendum de furtis factis a pluribus eidem personæ. n.* 803. 804. *et* 805. Quid dicendum *de furtis conjugum. n.* 806. *Quid de furtis filiorum familias. n.* 807. *et* 808. *Quid de furtis Religiosorum. n.* 809. *Quid de furtis famulorum. n.* 810. *et* 811. *Quid de furtis propinquorum*, *et amicorum. n.* 812. An furtum *sit quandoque permissum. a n.* 813. *ad* 818. Quando *in ablatione rei alienæ dominus censendus sit irrationabiliter invitus. n.* 814. An in casu *extremæ necessitatis permissum sit. n.* 815. *An permissum in gravi necessitate. n.* 818. An per compensationem *committatur furtum. a n.* 819. *ad* 823. An reus *sit furti qui subripit Turcis. n.* 824. An qui *res*

inventas sibi retineat. n. 825. Quid *censendum de furtis Sanctarum Reliquiarum. n.* 826.

G

GENITORES. *V.* PARENTES.
GESTUS TURPIS. *Quale peccatum sit. LIB. I. n.* 596.
GULA. *Quid, et quale peccatum sit. LIB. I. a n.* 356. *ad* 364. *Quænam peccata proveniant a gula. n.* 365. *Quænam sint gulæ remedia. n.* 366.

H

HABITATIO. *Quid sit. LIB. II. n.* 621.
HABITUS PECCANDI. *Quid sit, et an constituat diversum specie peccatum. LIB. I. n.* 296. *et* 297.
HÆRES. *Quid hæres possessoris malæ fidei teneatur restituere. LIB. II. n.* 854. *Quid teneatur restituere hæres detractoris. n.* 1013.
HÆRESIS. *Quid sit, et in quo consistat. LIB. II. n.* 43. *et* 44. *Quotuplex sit. n.* 45. *et* 46. *Quænam sint pœnæ contra hæresim. n.* 47. *et* 48. *Quando inducat Irregularitatem. LIB. V. n.* 78. *Tom. II.*
HÆRETICI. *Quid censendum de hæreticorum libris. LIB. II. a n.* 53. *ad* 60.
HERUS. *Vide* Domini.
HOMICIDIUM. *Quando Homicidium reputandum sit justum, an injustum. LIB. II. n.* 546. *Quotuplex sit homicidium. a n.* 547. *ad* 550. *Quid sit restituendum pro homicidio. n.* 911. 912. *et* 913.
HONOR. *Quid sit, in quo consistat, et quomodo conservetur. LIB. II. n.* 977. *An honor exhi-*

bendus sit aliis. n. 981. *Quomodo peccet qui proximum inhonorat. n.* 982. *Quomodo honor lædatur. n.* 983. *Ad quid teneatur qui læsit proximi honorem. n.* 1013. *et* 1014. *Quomodo restituendus sit honor ablatus. n.* 1019. *et* 1020. *Quid excuset a restitutione honoris ablati. n.* 1021. 1022. *et* 1023. *Si honor non possit restitui, an facienda sit compensatio cum pecuniis. n.* 1024.

Horæ Canonicæ. *Quid, et quot sint; et quo alio nomine vocentur. Lib. II. n.* 214. 215. *et* 216. *Unde oriatur obligatio Horarum, et qui ad illas tenentur. n.* 217. *An teneatur, qui habet Beneficium tenue. n.* 218. *Quot peccata committat qui totum, vel partem Divini Officii non recitat. n.* 219. 220. *et* 221. *Quid faciendum ab eo, qui dubitat, an aliquam Horam, aut ejus partem recitaverit. n.* 222. *et* 223. *Quid dicendum, si quis recitet cum socio. n.* 224. *Quot peccata committat Beneficiatus constitutus in sacris, si Horas non recitet. n.* 225. *An earum recitatio possit interrumpi. n.* 226. *et* 227. *An Matutinum separari possit a Laudibus. n.* 228. *Vide etiam V.* Officium Divinum.

Hospitale. *An filii divitum possint exponi in Hospitali; et an compensanda sint damna. Lib. II. n.* 919.

Hypocrisis. *Quid, et quale peccatum sit. Lib. I. n.* 326. *et* 327.

Hypotheca. *Quid sit. Lib. II. n.* 755.

I

Idololatria. *Quid sit, et quotuplex Lib. II. n.* 279. *et* 280.

Ignorantia. *Quid, et quotuplex sit.* Lib. *I. n.* 16. *Quando sit invincibilis. n.* 17. *Quando sit vincibilis. n.* 18. *Quando affectata, et crassa. n.* 19. *An ignorantia excuset a peccato. n.* 40. 41. 42. *et* 200. *An detur ignorantia juris naturæ. n.* 41. *An ignorantia Censuræ excuset ab ea incurrenda.* Lib. *V. n.* 13. *Tomo II.*

Illusio. *Quid, et quale peccatum sit.* Lib. *II. n.* 1010. 1011. *et* 1012.

Imagines turpes. *Quale peccatum sit conficere, tenere, aspicere turpes imagines.* Lib. *II. n.* 597. *et* 598.

Immunditia, Impudicitia. *Quale peccatum sit.* Lib. *II. a n.* 591. *ad* 599. *Vide etiam V.* Peccata inhonesta.

Immunitas. *Qui sint qui non gaudeant immunitate Ecclesiastica.* Lib. *II. n.* 297.

Impotentia. *An excuset a transgressione legis.* Lib. *I. n.* 201. 202. *et* 203. *An qui non potest integre servare legem, teneatur ad partem. n.* 204. *Qualis impotentia excuset a recitatione Divini Officii.* Lib. *II. n.* 259. *et* 260. *Quando impotentia excuset a restitutione facienda, vel eam suspendat. a n.* 956. *ad* 960. *Quænam impotentia dirimat Matrimonium.* Lib. *IV. a n.* 423. *ad* 426. *Tomo II.*

Imprecatio. *Quid, et quotuplex sit, et an semper sit peccatum.* Lib. *II. a n.* 143. *ad* 146. *Quid dicendum, si quis doleat de prolata imprecatione. n.* 147. *An qualitas personæ aggravet peccatum imprecationis. n.* 148. *Quid, si malum corde non imprecetur, vel quis sit dubius. n.* 149. *et* 150. *Quid dicendum de eo, qui sibi mortem imprecatur. n.* 151. *Quid dicendum de imprecationibus prolatis a Sanctis*

Viris in Sacra Scriptura. n. 152. *Quid de imprecationibus contra creaturas irrationales.* n. 153.

IMPROPERIUM. *Quid sit, et quomodo differat a calumnia, et convicio.* LIB. II. n. 1006. *Quale peccatum sit.* n. 1007. 1008. et 1009.

INADVERTENTIA, INCONSIDERATIO. *Quando sit peccaminosa.* LIB. I. n. 265. et 266.

INCESTUS. *Quid, et quotuplex sit.* LIB. II. n. 576. *Quomodo accusandus sit in Confessione.* n. 580. et 581.

INFAMATUS, INFAMIA. *Vide* Diffamatio, Diffamatus.

INIMICI. *Quomodo sint diligendi.* LIB. II. n. 90. *An malum liceat eis exoptare.* n. 137. *An signa communia, et specialia amoris sint eis exhibenda* n. 138. 139. et 140. *An possit judex adiri pro inimici punitione.* n. 141.

INFIDELITAS. *Quid, et quotuplex sit.* LIB. II. a n. 34. ad 52.

INFIRMITAS, INFIRMUS. *Qualis infirmitas excuset a recitatione Divini Officii.* LIB. II. n. 255. 256. et 257. *An infirmi possint respuere medicamenta, et remedia.* n. 541.

INOBEDIENTIA. *Quid, et quale peccatum sit.* LIB. I. n. 325.

INSIDIÆ. *An permissæ sint in Bello.* LIB. II. n. 567. et 569.

INSTRUCTIO. *Quam instructionem parentes debeant in filios.* LIB. II. n. 505. et 506.

INTEMPERANTIA. *Quomodo hæc vetetur.* LIB. II. n. 540.

INTENTIO. *An hæc requiratur ad adimplendam legem, aut præceptum.* LIB. I. n. 121. 122. et 123.

INTERPRETATIO. *Quid, et quotuplex sit interpreta-*

tio legum Lib. *I. n.* 140. *ad* 146.

Inventio. *Quid*; *et quale peccatum sit Inventio novitatum.* Lib. *I. n.* 331.

Invidia. *Quid*, *et quale peccatum.* Lib. *I. a n.* 367. *ad* 370. *Quœnam peccata ab Invidia proveniant . n.* 371. *Quœnam sint ejus remedia*: *n.* 372. *et* 373.

Ira. *Quid*, *et quale peccatum sit* Lib. *I. a n.* 348. *ad* 351. *Quœnam peccata ab Ira oriantur. n.* 352. 353. *et* 354. *Quœnam sint Iræ remedia. n.* 355.

Irreligiositas. *Quid*, *et quotuplex sit.* Lib. *II. a n.* 285. *ad* 344.

Irritatio. *Quid sit Irritatio Legis*; *et quis possit eam irritare.* Lib. *I. n.* 136.

Iteragere. *An vetitum sit die festo.* Lib. *II. n.* 445.

J

Jactantia. *Quid*, *et quale peccatum sit.* Lib. *I. n.* 324.

Jejunium. *Quibus diebus prœcipiatur.* Lib. *II. n.* 1026. *Quid*, *si aliqua Vigilia incidat in diem Dominicum*, *in festum Corporis Christi*, *aut alius solemnitatis. n.* 1027. *Quid*, *et quotuplex sit jejunium. n.* 1029. *Qui cibi*, *et carnes tunc prohibeantur. n.* 130. *et* 131. *Quot refectiones permittantur*; *et quomodo debeat esse refectio. n.* 1032. *Qua hora sumenda sit refectio. n.* 1033. *Quæ qualitas*, *et quantitas cibi permittatur in cœnula. n.* 1034. *et* 1035. *An mane liceat sumere cœnulam*, *et sero prandere. n.* 1035. 1037. Qui ad *jejunium sint obligati*; *et an pueri*, *ac adolescentes. n.* 1036. Quomodo *peccent transgressores jejunii. n.* 1037.

et 1038. *Quæ parvitas materiæ excuset a transgressione jejunii. n.* 1038. *Quot peccata committat, qui pluries vescitur in diem. n.* 1039. *Quid dicendum, si quis mane jentaculum sumpserit. n.* 1040. An liquores *illud frangant. n.* 1041. *et* 1042. *Quid de electuariis, medicinis*, sorbetti, limonate, caffè, the. *n.* 1043. *Quid de chocolate. n.* 1044. Quid dicendum *de iis, qui cooperantur ad transgressionem jejunii. n.* 1045. *et* 1046. Quæ causæ *excusent a jejunio a. n.* 1047. *ad* 1067. *Qui excusentur ob impotentiam, et quomodo hi se gerere debeant n.* 1048. *et* 1049. Quid prætera *notandum circa eos, quibus esus carnium, ovorum etc. permittitur. n.* 1050. *et* 1051. *Quid dicendum de senibus. n.* 1052. *et* 1053. *Quis labor exuset a jejunio, et quando n.* 1054. *et* 1055. *An excusati ob laborem teneantur jejunare diebus, quibus non laborant. n.* 1056. *Quinam labor a jejunio non excuset n.* 1053. *Quid de itinerantibus, et occupatis in rebus domesticis. n.* 1058. 1059. *et* 1060. *Qui, et quando ratione pietatis excusentur. n.* 1061. *Quæ opera pia excusent. n.* 1062. *et* 1063. Quid notandum *circa dispensationem a jejunio. n.* 1064. *Quis possit dispensare. n.* 1065. *Quæ regula in concedentis dispensationibus. n.* 1066. *An dispensato ad carnes patrefamilias, censeantur dispensati cæteri de familia, et famuli n.* 1067.

Judaismus. *Quid sit. Lib. II. n.* 39. *An communicare liceat cum Judæis, et Paganis n.* 40. 41. *et* 42.

Judex. *Quando ob munera accepta ad restitutionem teneatur. Lib. II. n.* 881. *Quæ dotes in*

eo requirantur. Tom. II. Lib. *III. n.* 237. *etc.*

Judicium. *In quo Judicium differat a dubio, suspicione, opinione.* Lib. *II. n.* 984. *Quando sit temerarium, et quando fundatum n.* 986. *Quale peccatum sit judicium temerarium n.* 987. *et* 988. *Quid addendum circa scrupolosos n.* 989.

Juramentum. *Quid sit, et quœnam formulæ.* Lib. *II. n.* 402. *et* 403. *Quotuplex sit, et quot modis fiat n.* 404. 405. *et* 406. *Quœnam conditiones requirantur pro juramenti liceitate a n.* 407. *ad* 418. *Quid, si in juramento desit judicium, veritas, aut justitia a n.* 409. *ad* 412. *Quid dicendum de eo, qui jurat facere malum n.* 413. An liceat *jurare cum restrictione mentali. n.* 414 *et* 415. *An juramentum possit exigi ab eo, qui falsum solet jurare n.* 416. *et* 417. *An jurari liceat falsum metu mortis etc. n.* 418. Quænam *sint obligationes juramenti promissorii. n.* 419. Quænam *causæ excusent ab illius adimplemento. n.* 420, *et* 421. *Quid dicendum de juramento de re minus bona, vel indifferenti. n.* 422. *An obligatio juramenti transeat ad hæredes n.* 423. Quomodo *cesset obligatio juramenti promissorii. n.*424.

Jus. *Quid, et quotuplex sit.* Lib. *II. n.* 607. 619. 620. *et* 621.

Jus Canonicum. *In quibus Libris reperiatur.* Lib. *I. n.* 93.

Justitia. *Quid, et quotuplex sit.* Lib. *II. n.* 604. *et* 605.

L.

Legatum. *Quid, et quotuplex sit.* Lib. *II. n.* 785. *et* 786. *An legata relicta absque solem-*

nitatibus obligent in conscientia. a n. 654. *ad* 657.

Lectiones turpes. *Quale peccatum sint. Lib. II. n.* 597.

Legitima. *Qualis censeatur in hoc Regno Neapolitano. Lib. II. n.* 501.

Lex. *Quid sit, et quomodo distinguatur a consilio, et præcepto. Lib. I. n.* 86. *Quotuplex sit. n.* 87. Quis possit *eas ferre. n.* 88. *et* 89. *An leges obligent in conscientia. n.* 90. *et* 91. Quid dicendum, *si lex Civilis contraria sit legi Canonicæ. n.* 92. In quibus *libris Lex, seu Jus Canonicum reperiatur. n.* 93. An Decreta *S. Congregationis Cardinalium habeant vim Legis. n.* 94. *An Lex obliget, nisi publicetur, vel acceptetur. n.* 95. *et* 96. *Quid dicendum, sit Lex, aut promulgatio sit dubia. n.* 97. *An* Lex pœnalis, *et mixta obliget in conscientia*; *et pœnæ incurrantur ante judicis sententiam. a n.* 98. *ad* 101. *Quando Lex obliget sub gravi, vel sub levi. n.* 102. *et* 103. Quale sit *discrimen inter Legem affirmativam, et negativam. n.* 104. Qui teneantur *ad leges servandas. n.* 106. *et* 107. *An teneantur pueri, et puellæ. n.* 108. *et* 109. *Quid dicendum de ebriis, amentibus, delirantibus. n.* 110. *An qui ponit impedimenta ad legem servandam peccet. n.* 111. *Quas leges debeant servare peregrini, advenæ, et vagi. a n.* 112. *ad* 118. Quomodo *Leges sint implendæ. n.* 119. *et* 120. *An ad impletionem Legis, aut præcepti aliqua intentio requiratur. num°.* 121. 122. *et* 123. *An finis legis, et modus eam implendi cadant sub præcepto. n.* 124. *et* 125. *Quid, si fine, et modo pravo rem imperatam quis*

faceret. **n.** 126. *et* 127. *An per unum actum pluribus præceptis possit satisfieri.* **n.** 128. 129. *et* 130. *An per diversos actus pluribus legibus possit eodem tempore satisfieri. num.* 131. An lex *Obliget*, *cessante causa finali. n.* 133. 134. *et* 135. Quid sit *abrogatio Legis*, *et in quo differat a derogatione*, *et irritatione. n.* 136 *Quis possit Legem irritare*, *abrogare*, *derogare. n.* 136. 137. *et* 138. *An Leges possint licite abrogari. n.* 139. *An Episcopus possit abrogare Leges Synodales. n.* 141. Quid, et quotuplex *sit interpretatio Legum*, *et Epicheja. n.* 140. *Quotuplex sit interpretatio verbalis. n.* 142. *Quotuplex interpretatio doctrinalis. a n.* 143. *ad* 146. *Quando Lex cesset per Epichejam. n.* 147. *An in Legibus divinis Epicheja locum habeat. n.* 148. Quid, et quotuplex *sit dispensatio Legis. n.* 149. *Quis Leges possit dispensare. n.* 150. *Quas Leges possit Papa dispensare. n.* 151. *Quas Episcopi*, *Prælati Regulares*, *et Parochi. a n.* 152. *ad* 155. *An potestas dispensandi Leges possit aliis subdelegari. n.* 156. *An facultas delegata dispensandi accipienda sit stricte*, *an late. n.* 157. *An quis possit dispensare seipsum. n.* 158. *quid in dubio*, *an casus aliquis dispensatione indigeat. n.* 159. *Reliqua de dispensatione V. a n.* 160. *ad* 181.

Libelli famosi. *Quomodo per hos proximus diffametur. Lib. II. n.* 991. *Quomodo peccet qui eos divulgant, aut legunt. n.* 1003. *Ad quid teneatur qui eos divulgavit. n.* 1017.

Liberalitas. *Quid sit. Lib. I. n.* 337.

Liberum, seu Libertas. *Quid*, *et quotuplex sit.*

Lib. I. n. 20. *et* 21. *Quid huic opponatur. n.* 22. *An homo habeat libertatem indifferentiæ. n.* 23.

Libido. *Vide V.* Peccata inhonesta. *Quæ sint fomenta libidinis. Lib. II. a n.* 600. *ad* 603.

Libri prohibiti. *Qui sint. Lib. II. a n.* 53. *ad* 60. *Quid dicendum de libris hæreticorum. n.* 54. *et* 55. *Quid de aliis libris prohibitis. n.* 56. *et* 57. *An manuscripta de materiis vetitis pariter sint prohibita. n.* 58. *Quænam sint pœnæ contra legentes, aut illos retinentes absque licentia. a n.* 54. *ad* 58. *Quid faciendum de hujusmodi libris. n.* 59. *et* 60.

Litaniæ Rogationum. *An possint dici cum Matutino Vespere præcedenti. Lib. II. n.* 241.

Literæ. *Quomodo proximus diffametur aperitione, vel lectione illarum. Lib. II. n.* 991. *Quomodo peccet qui eas aperit, aut apertas legit. n.* 1004.

Locatio. *Quid sit. Lib. II. n.* 741. *Quæ sint obligationes locatoris. n.* 742. 743. *et* 744. *Quæ obligationes conductoris. n.* 745. *et* 746.

Ludus. *Quid, et quotuplex sit. Lib. II. n.* 758. *An ludi sint liciti. n.* 759. *et* 760. *Quid de ludis prohibitis. n.* 761. *et* 882. *Quæ conditiones requirantur, ut sint liciti. a n.* 762. *ad* 765. *Quid dicendum de Clericis ludentibus. n.* 761. 882. *et Lib. III. n.* 60. *Tom. II.*

Luxuria. *Quid, et quale peccatum sit, et quæ ejus species. Lib I. n.* 340. *et* 341. *Quæ peccata ab ea oriantur. n.* 342. *et* 343. *Quænam ejus remedia. a n.* 344. *ad* 347. *An detur parvitas in materia luxuriæ. Lib. II. n.* 599. *Quæ sint ejus fomenta. a n.* 600. *ad* 603. *Et vide V.* Peccata inhonesta.

M.

Magistri. *Quæ sint obligationes Magistri in suos discipulos. Lib. II. n.* 522. 523. *et* 524.

Mandans. *Quando Mandans actionem injuriosam teneatur ad restitutionem. Lib. II. a n.* 885. *ad* 889.

Maritus. *An liceat Maritis percutere uxorem. Lib. II. n.* 492. *Quid mariti debeant in Uxorem. n.* 537. *Quid possint in bonis Uxoris. n.* 616. *et* 617.

Mater. *An debeat lactare proprios filios. Lib. II. n.* 493. *Ad quid aliud erga illos teneatur. n.* 494.

Matrimonium. *Quale Matrimonium reputetur indignum. Lib. II. n.* 502.

Matrina. *Ad quid hæc teneatur in suas filias spirituales. Lib. II. n.* 534.

Medicus. *Quale remedium in dubio debeat præstare infirmo. Lib. I. n.* 70. *et* 71. *Quæ sint ejus obligationes, et dotes. Lib. III. n.* 265. *etc. Tom. II.*

Mendacium. *Quid, et quotuplex sit. Lib. II. n.* 301. 302. *et* 303. *an aliquando sit licitum. n.* 304. *Quid de Sanctis viris, qui mentiti leguntur in Sacra Scriptura. n.* 305., *Quando mendacium sit peccatum grave. n.* 306. *et* 309. *Quid de mendaciis factis in confessione. n.* 310. *et Lib. IV. n.* 188. *Tom. II. An absque mendacio possit occultari veritas. Lib. II. n.* 311. *An qui jurat cum mendacio semper graviter peccet. n.* 300.

Metus. *Quid, et quotuplex sit. Lib. I. n.* 10. *Quando dicitur gravis, et quando levis. n.* 11. *Quænam mala a metu causata censenda*

sint gravia. n. 12. *An metus excuset a transgressione legis. a n.* 206. *ad* 209. *Quando metus Matrimonium dirimat.* Lib. *IV. n.* 408. *et* 409. *Quando metus excuset ab incurrenda censura.* Lib. *V. n.* 14. *Tom. II.*

Milites. *Quæ his liceant in bello.* Lib. *II. n.* 566. *Quæ non liceant. n.* 569. *An cogi possint ad belligerandum in bello injusto. n.* 567. *An eis liceat uti insidiis. n.* 568. *Quæ sint illorum obligationes.* Lib. *III. n.* 262. *et* 263. *Tom. II.*

Missa. *An præcipiatur die festo.* Lib. *II. n.* 434. *Quænam omissio reputetur pars notabilis. n.* 435. *An qui non potest Missam integram audire, teneatur ad ejus partem. num.°* 436. *ubi Missa sit audienda. num.°* 437. *An in Missa de præcepto possit recitari divinum Officium, aut aliæ preces. n.* 438. *An præter missam aliud in festis præcipiatur. n.* 439. Quomodo *missa sit audienda. n.* 440. Quid excuset *ab auditione missæ. a n.* 447. *ad* 450. *An qui missam nequit audire, teneatur ad aliud. n.* 451. *Quid dicendum de missis, quæ celebrantur in Oratoriis privatis. a n.* 461. *ad* 465. *Quid sit sacrificium missæ. Vide V.* Eucharistia. *Tom. II.*

Mohatra. *Quid sit, contractus Mohatra, et an sit licitus* Lib. *II. n.* 707. *et* 709.

Mollities. *Quæ sit, et quale peccatum.* Lib. *II. n.* 582. *Vide V.* Pollutio.

Monetæ falsæ. *An liceat eas expendere.* Lib. *II. n.* 730. *et* 731.

Monopolium. *Quid sit, et quando licitum.* Lib. *II. n.* 681. 682. *et* 683.

Motus pravi. *Quando sint peccatum* Lib. *I. à n.* 233. *ad* 238.

Mulier. *An ad conservandam vitam teneatur permittere violationem sui corporis* Lib. *II. n.* 542. *An occidere possit aggressorem suæ pudicitiæ. n.* 544. *et* 545.

Murmuratio. *Quid sit, et quale peccatum.* Lib. *II. n.* 990. *Quomodo peccet qui murmurationem audit. n.* 1000. *An peccet qui eam non impedit. n.* 1001. *et* 1002. Ad quid *teneatur murmurator. n.* 1013. *et* 1014. *An, et quomodo Murmurator debeat famam restituere. n.* 1016. *Quid dicendum, si Murmuratio ivit in oblivionem. n.* 1018.

Mutilatio. *Quid sit mutilatio vetita in V. Decalogi Præcepto* Lib. *II. n.* 546. *An quandoque sit licita. n.* 554. *et* 555. *Quando ob mutilationem membrorum incurratur Irregulagitas.* Lib. *V. n.* 93. *et* 94. *Tomo II.*

Mutus. *Quando Mutus teneatur ad restitutionem.* Lib. *II. n.* 900. 901. *et* 902. *Quid notandum circa Confessionem Mutorum.* Lib. *IV. n.* 306. *Tomo II.*

Mutuum. *Quid sit.* Lib. *II. n.* 689. *An omnes possint mutuum petere. num.°* 690. *et* 691. *An adsit præceptum dandi mutuum. n.* 692. *An ex eo lucrum exigi queat. a n.* 692. *ad* 698. *Si valor rei mutuatæ crescat, vel decrescat, quid agendum. n.* 699. *et* 700. *Quid, si Mutuatarius tempore statuto rem non restituat. n.* 701. *Si Mutuans exigat pignus a mutuatario, potest ne rei pignoratæ fructus percipere? n.* 706. *An liceat petere mutuum ab usurario. n.* 711.

N.

Nativitas. *Quando Nativitate acquiratur dominium.* Lib. *II. n.* 629.

NECESSITAS. *Quæ sit necessitas extrema , gravis, communis.* LIB. *II. n.* 108. *In qua necessitate pauperes sint subveniendi. a n.* 109. *ad* 116. *An in extrema necessitate possit subripi res aliena ; et an restituenda. n.* 815. 816. 817. *An possit subripi in necessitate gravi. n.* 818. *In necessitate extrema restitutio suspenditur. n.* 960.

NECESSITAS. *Quid , et quotuplex sit ; et an opponatur libertati.* LIB. *I. n.* 22.

NEGOTIATIO. *Quid sit , et quando permissa.* LIB. *II. n.* 679. *Quando sit illicita n.* 680.

NONNATI. *Quomodo Nonnati possint occidi.* LIB. *II. n.* 558. *Qui rei sint hujusmodi occisionis. n.* 559. *An quandoque liceat eos occidi. n.* 560. *et* 561.

NON OBSTANS. *Quando non obstans , et non manifestans teneantur ad restitutionem.* LIB. *II. n.* 900. 901. *et* 902.

NOTORIETAS. *Quando Notorietate juris , vel facti delictum censeatur pubblicum.* LIB. *II. n.* 998. *et* 999.

NOVITATUM INVENTOR. *Quid , et quale peccatum sit.* LIB. *I. n.* 331.

NUPTIÆ. *Quid inteligitur sub prohibitione nuptiarum.* LIB. *II. n.* 1081.

O.

OBEDIENTIA. *Quam obedientiam filii debeant in parentes.* LIB. *II. a n.* 477. *ad* 482. *Quas conditiones debeat haberi. Ibid. An semper sit illis facienda. n.* 480. *Quale peccatum sit non obedire n.* 481. *An filii teneantur obedire in electione status. n.* 482.

Objectum. *Quale sit objectum morale. Lib. I. n.* 25.

Observantia vana. *Quid sit, et quid ad hoc reducatur. Lib. II. n.* 283. *et* 284.

Occasio. *Quid, et quotuplex sit occasio peccandi. Lib. I. a n.* 274. *ad* 277. *An semper sint fugiendæ a n.* 278. *ad* 282.

Occisio. *An liceat occidere seipsum. Lib. II. n.* 551. 552. *et* 553. *An liceat occidere furem n.* 556. *et* 557. *An liceat occidere invasorem honoris, falsos accusatores, testes. n.* 563. *Vide etiam V.* Homicidium.

Occupatio. *Quæ sint res, quarum dominium occupatione possit acquiri. Lib. II. n.* 624.

Odium. *Quid, et quotuplex sit. Lib. II. n.* 132. 133. *et* 134. *An semper sit odium malum optare a n.* 135. *ad* 142.

Officium Divinum. *Quale Officium sit recitandum. Lib. II. n.* 229. *Qui unum pro alio recitet, an satisfaciat. a n.* 230. *ad* 234. *Quale officium sit recitandum extra propriam Ecclesiam n.* 235 Quonam *ordine sit recitandum. n.* 236. 237. *et* 238. Quo tempore, *situ, etc. n.* 239. *et* 240. An Officium *Defunctorum, et Litaniæ Rogationum possint uniri cum Matutino Vespere præcedenti n.* 241. An et quale *peccatum sit celebrare Missam ante recitationem Matutini n.* 242. Ubi, qua voce, *et quomodo sit recitandum. a n.* 243. *ad* 247. Quid, et quotuplex *sit attentio in ejus recitatione. n.* 248. 249. *et* 250. *Quid attentioni opponatur. n.* 251. *et* 252. Cum qua *intentione sit recitandum. n.* 253. Quid excuset *a recitatione Divini Officii a n.* 254. *ad* 262. Qui non potest *solus recitare, an teneatur cum Socio. n.* 260. Qui pos-

sit *dispensare ab ejus recitatione. n.* 261. Quid addendum *circa Officium recitandum in Choro. a n.* 263. *ad* 268. Quænam *sint pœnæ in non recitantes Officium a n.* 269. *ad* 276. Qui recitat *voluntarie distractus , an teneatur ad fructuum restitutionem. n.* 273. *Vide etiam V.* Horæ Canonicæ.

Omissio. *Quando per omissionem causetur damnum.* Lib. *II. n.* 865.

Operarii. *Ad quid teneantur erga Dominum.* Lib. *II. n.* 532.

Opinio. *Quid , et quotuplex sit.* Lib. *I. a n.* 60. *ad* 64. *An liceat sequi opinionem probabilem. a n.* 65. *ad* 83. *Quando liceat sequi opinionem minus probabilem. a n.* 66. *ad* 71. *An quandoque teneamur sequi opinionem minus probabilem. n.* 69. 70. *et* 71. *Quid agendum, cum occurrunt duo opiniones æquæ probabiles. a n.* 72. *ad* 83. *An qui amplectitur opinionem æque probabilem faventem libertati exponat se periculo peccandi. n.* 83. *Quando sequi possint opiniones benignæ , et quando rigidæ. n.* 84.

In quo opinio differat a dubio , suspicione , et judicio. Lib. *II. n.* 984. *Quando sit temeraria , et quando fundata. n.* 985. *et* 986. *Quale peccatum , si sit temeraria. n.* 987. *et* 988. *Quid addendum circa personas scrupulosas. n.* 989.

Oratio. *Quid , et quotuplex sit.* Lib. *II. a n.* 185. *ad* 190. *Quomodo sit necessaria. a n.* 191. *ad* 200. *Quænam sit ejus utilitas. n.* 198. *Quid sit objectum primarium , et secundarium Orationis. a n.* 201. *ad* 206. *An peti possint divitiæ etc. n.* 203. An orationes *faciendæ sint pro proximo. n.* 204. 205. *et* 206. *Quæ sint*

conditiones Orationis. a n. 207. ad 213. Quid dicendum de orationibus peccatoris. n. 209. et 210. Quam necessaria sit Oratio in Confessario. Lib. *III. n. 168. et 170. Tom. II.*

Oratorium. *Quæ sint oratoria privata, et quæ publica.* Lib. *II. n. 461. Quid servandum in celebratione Missæ in Oratoriis privatis. n. 462. 463. et 464. An in Oratoriis privatis possint ministrari Sacramenta. n. 462. Quomodo hæc debeant condi. n. 463. Quando in eis possit celebrari. n. 465. An ea sint benedicenda. n. 466.*

Osculum. *Quando sit peccatum.* Lib. *II. n. 592. et 594.*

Otium. *Est fomentum libidinis.* Lib. *II. n. 600.*

P

Paganismus. *Quid sit.* Lib. *II. n. 38. An liceat communicare cum Paganis, et Judæis. n. 40. 41. et 42.*

Palpo. *Quando teneatur ad restitutionem.* Lib. *II. n. 897.*

Parentes. *Quid debeant in filios.* Lib. *II. a n. 491. ad 510. Quid dicendum, si ob ludos etc. negligant curam filiorum. n. 456.* Quid debeant *in filios educatione corporali. a n. 492. ad 496. Quid circa educationem civilem. a n. 497. ad 503. An possint exponere Filios in Hospitali. n. 498.* Ad quid *teneantur circa electionem status filiorum. n. 499. etc. Quid, si cogant filiam ad vestiendum etc. habitum Religiosum. Ibid. Quid agere debeant, si filii Matrimonium vel indignum, vel in sui contemptum contrahant. n. 501. 502. et 503.* Ad

quid *teneantur circa educationem spiritualem, instructionem, exemplum, vigilantium, correctionem. a n.* 504. *ad* 510. *Quid possint in bonis filiorum. n.* 614.

PAROCHUS, PAROCHIANI. *Quid dicendum de Parochis non residentibus. LIB. II. n.* 351. *Quare ad residentiam teneantur, n.* 513. *Quid debeant in Parochianos. a n.* 512. *ad* 519. *An tempore pestis possint abesse a Parochia. n.* 513. *Quando teneantur Sacramenta ministrare. n.* 514. *An teneantur tempore pestis. n.* 515. Quando *teneantur Missam applicare pro populo. n.* 516. *Quando concionari, et Doctrinam Christianam edocere. n.* 517. 518. *et* 519. Quæ sint *aliæ obligationes circa scandala, correctionem etc. n.* 520. Ad quid *Parochiani teneantur in Parochum. n.* 521. Quid *si Parochus non faciat professionem fidei. n.* 880.

PARTICIPANS. *Quando participantes teneantur ad restitutionem. LIB. II. n.* 897. 898 *et* 899.

PECCATUM. *Quid, et quotuplex sit. LIB. I. a n.* 212. *ad* 217. *Quomodo cognoscatur, an sit mortale, vel veniale. a n.* 219. *ad* 223. *Quando peccatum mortale evadat veniale. n.* 222. 257. *etc. Quando peccatum veniale evadat mortale. n.* 224. 225. *et* 226. *An multa venialia constituant peccatum mortale. n.* 227. *et* 228. Quando *pravæ coginationes, complacentiæ, delectationes, et pravi motus sint peccata. a n.* 229. *ad* 236. *Quid addendum circa motus inordinatos. n.* 237. 238. *An conjugibus liceat delectari de actu conjugali. n.* 239. *an liceat Viduis, et sponsis. n.* 240. An liceat *delectari de malo proximi ob aliquod*

*

bonum inde secutum. n. 241. *et* 242. *An liceat gaudere de bono effetu secuto ex opere malo.* n. 243. *An liceat sibi, aut aliis mortem exoptare.* n. 244. *et* 245. *An liceat cum aliqua conditione.* n. 246. 247. *et* 248. Quando *omissiones sint peccaminosæ.* n. 251. *et* 252. *Quando peccet qui ponit impedimentum omissionis.* n. 253. 254. *et* 255. Quænam *advertentia requiratur ad peccatum.* a n. 256. *ad* 266. Quinam *consensus.* a n. 267. *ad* 273. Quid sit *occasio peccandi.* a n. 274. *ad* 282. Quid, et quotuplex *sit periculum peccandi.* n. 274. *et* 283. *ad* 286. *An peccet qui se exponit periculo peccandi.* n. 287. *et* 288. De distinctione *specifica peccatorum.* a n. 289. *ad* 297. *De distinctione numerica.* a n. 298. *ad* 310. *An unico actu plura possint committi peccata.* n. 308. 309. *et* 310. Quomodo *peccata remittantur.* a n. 311. *ad* 314. *An peccet qui agit bonum, aut indifferens, quod credit peccatum.* Lib. I. n. 43. *An peccet qui agit contra conscientiam.* a n. 38. *ad* 44. *Quomodo peccet qui peccatum mortale credit esse veniale.* n. 45. *An peccet qui operatur cum conscientia erronea.* n. 40. 41. *et* 42. *An qui operatur cum conscientia perplexa.* n. 47. *et* 48. *Quid, si cum conscientia scrupulosa.* n. 51. *et* 52. *Quid, si cum conscientia dubia.* n. 58. *et* 59. An unum *peccatum possit remitti sine alio.* n. 314. *Quæ sint peccata in specie, seu Vitia capitalia.* a n. 315. *ad* 380. *Quale peccatum sit præsumptio.* n. 320. *An peccata venialia impediant effectus Sacræ Communionis.* Lib. IV. n. 110. *et* 111. *Tom. II.*

PECCATA INHONESTA. *Quæ sint, et quomodo dividantur.* LIB. *II. n.* 575. *Quænam sint peccata inhonesta perfecta secundum naturam. n.* 576. *et* 577. *Quænam sint peccata inhonesta perfecta contra naturam. a n.* 582. *ad* 590. *Quænam sint externa imperfecta. a n.* 592. *ad* 599. *Vide etiam V.* Luxuria.

PERCUSSIO. *Quænam sit percussio vetita in V. Decalogi Præcepto.* LIB. *II. n.* 546.

PEREGRINI. *Ad quas leges ipsi teneantur.* LIB. *I. a n.* 112. *ad* 118.

PERICULUM PECCANDI. *Quid sit.* LIB. *I. n.* 274. *Quotuplex sit a n.* 283. *ad* 285.

PERJURIUM. *An semper sit peccatum grave.* LIB. *II. n.* 410.

PERTINACIA. *Quid sit, et quale peccatum.* LIB. *I. n.* 330.

PIGNUS. *Quid sit* LIB. *II. n.* 755. *Quænam sint obligationes dantis pignus. n.* 756. *Quænam sint obligationes pignus accipientis. n.* 757.

PLANTATIO. *Quando plantatione rei Dominium acquiratur* LIB. *II. n.* 633.

POENITENTIARIA. *Quæ facultates a Sacra Pœnitentiaria possint obtineri.* LIB. *I. n.* 175. *Quid notandum circa eos, qui ad illam recurrunt. a n.* 176. *ad* 181.

POLLUTIO. *Quid sit, et quale peccatum.* LIB. *II. n.* 582. *etc. Quid, si eveniat in somno. n.* 585. *Quomodo sit explicanda in Confessione. n.* 587.

POSSESSOR BONÆ FIDEI. *Quis sit, et quid restituere teneatur.* LIB. *II. a. n.* 848. *ad* 852. *Si quis dubitet, rem esse alienam, an possit retinere. n.* 853. *An teneatur compensare damna. n.* 854.

POSSESSOR MALÆ FIDEI. *Quis sit, et quid restitue-*

re teneatur. LIB. *II. n.* 833. *et a n.* 842. *ad* 847. *Quænam sint obligationes possessoris malæ fidei a n.* 834. *ad* 837. *Quid didendum de expensis, et melioramentis factis a possessore male fidei. n.* 838. *An restituenda sit res, quæ perit apud possessorem malæ fidei. n.* 839. 840. *et* 841.

PRÆCEPTA ECCLESIÆ. *Quæ, et quot sint, et quid præcipiatur in I. Præcepto.* LIB. *II. n.* 1025. Quid *in II. Præcepto. n.* 1026. *et* 1028. Quid *in III. et unde oriatur, et quos obliget Præceptum annuæ Confessionis, et an satisfiat Confessione sacrilega. n.* 1069. *et* 1070. *An obliget sub gravi. n.* 1071. *An debeat anticipare qui prævidet, postea non posse confiteri. n.* 1072. Quid *agere debet qui huic Præcepto non satisfecit. n.* 1073. Quid *contineatur in IV. Præcepto; quando Communio Paschalis sit facienda; et an satisfiat Communione Sacrilega. n.* 1074. In qua *ætate obliget hoc Præceptum. n.* 1075. *An qui huic Præcepto in Paschate non satisfecit, teneatur postea. n.* 1076. *An teneatur Communionem anticipare qui prævidet, in Paschate non posse.* 1077. *Ubi* hoc *Præceptum sit adimplendum. n.* 1078. Quid sint *Decimæ, quarum solutio in V. Præcepto jubetur. n.* 1079. *Quomodo peccet, qui eas non solvit, vel defraudat. n.* 1080. Quid intelligatur *sub prohibitione nuptiarum, de qua in VI. Præcepto loquitur. n.* 1081.

PRÆCEPTUM. *Quomodo distinguatur a Lege, et Consilio.* LIB. *I. n.* 86. *Quis possit ferre præcepta, et quæ eorum obligatio. n.* 105. *Quid sit præceptum affirmativum, et quid negativum. n.* 104. *Vide etiam, V.* Lex.

PRÆCEPTORES. *Vide* Magistri.

PRÆSCRIPTIO. *Quid sit.* LIB. *II. n.* 634. *Quomodo possit esse licita. n.* 635. *Quænam conditiones requirantur ad præscribendum. a n.* 636. *ad* 644. *An Dominus repetere possit rem præscriptam. n.* 645.

PRÆSUMPTIO. *Quid et quale paccatum sit.* LIB. *I. n.* 320. *Et* LIB. *II. n.* 68. *et* 69.

PRIVILEGIUM. *Quid, et quotuplex sit.* LIB. *I. n.* 182. 183. *et* 184. *An Privilegiatus uti teneatur Privilegio. n.* 185. *An eo possit ubique uti. n.* 186. *An Privilegium habeat aliquid commune cum interpretatione, et dispensatione. n.* 187. *et* 188.

PROBABILE. *Quid, et quotuplex sit probabile, seu conscientia probabilis.* LIB. *I. a n.* 60. *ad* 64. *An, et quando possit sequi minus probabile. a n.* 66. *ad* 72.

PRODIGALITAS. *Quid sit, et quando peccatum.* LIB. *I. n.* 337.

PROMISSIO. *Quid, et quotuplex sit.* LIB. *II. n.* 768. *Quæ conditiones requirantur, ut sit valida. n.* 769. *An obliget in conscientia. n.* 770. *et* 771. *Quid de eo, qui promittit absque intentione adimplendi promissum. n.* 772.

PROXIMUS. *Quis sit, et quomodo diligendus.* LIB. *II. a n.* 86. *ad* 91. *Ad quid obliget Charitas erga proximum. a n.* 92. *ad* 130. *An mala proximo imprecata specificanda sint in Confessione. n.* 142.

PUERI, ET PUELLÆ. *An teneantur ad leges servandas.* LIB. *I. n.* 108. *et* 109.

PUPILLI. *An possint absque Tutoris consensu disponere.* LIB. *II. n.* 611.

R

Rapina. *In quo differant furtum, et Rapina.* Lib. *II. n.* 795. *Quid sit rapina, quando sit peccatum mortale; et qui rei sint hujus vitii. a n.* 827. *ad* 830.

Raptus. *Quid sit* Lib. *II. n.* 576. *Quando raptus dirimat matrimonium.* Lib. *IV. n.* 427. *Tom. II.*

Receptans. *Quando receptans teneatur restituere.* Lib. *II. n.* 896.

Recidivus. *Vide V. Habituatus.*

Regulæ Cancellariæ. *An habeant vim legis.* Lib. *I. n.* 94.

Religio. *Quid, et quotuplex sit.* Lib. *II. n.* 173. *et* 175. *Quid, et quotuplex sit objectum Religionis. n.* 174. *Qualis sit cultus internus, et externus Religionis. n.* 176. *et* 177. *Qui cultus debeatur Deo, et Sanctis. n.* 178. *et* 179. *Quinam sint actus religionis. a n.* 180. *ad* 268. *Quænam sint vitia Religioni opposita. a n.* 287. *ad* 320.

Res inventæ. *Cujus sint.* Lib. *II. n.* 627. *et* 628.

Restitutio. *Quando ob furta minuta restituendum sit sub gravi.* Lib. *II. n.* 799. *etc. An restitui debeat quod subreptum est in extrema necessitate. n.* 816. *et* 817. *Quid sit. n.* 831. Quænam *sint radices restitutionis. n.* 832. Qui ad *restitutionem teneantur ex injusta acceptione; et qui sit possessor malæ fidei. a n.* 833. *ad* 847. *Quænam sint obligationes possessoris malæ fidei. a n.* 834. *ad* 837. *An restituendæ sint expensæ, et melioramenta ab ipso facta. n.* 838. *An restituendæ sit res, quæ apud ipsum perit. n.* 839. *et* 840. An

restituenda *sit res a periculo erepta. n.* 841. *An ad restitutionem teneantur, qui in alienis prædiis lignantur etc., qui diminuunt numerum animalium cum detrimento aliorum. n.* 842. *An qui defraudant gabellas, et tributa. n.* 843. *et* 844. An restituendum *quod lucratum est per actionem peccaminosam. n.* 845. *et* 846. *An restituendum quod datur ob actionem aliunde debitam. n.* 847. Qui ad *restitutionem teneatur ex re accepta; et quis sit possessor bonæ fidei. a n.* 848. *ad* 854. Qui ad *restitutionem teneatur ex injusta damnificatione. a n.* 855. *ad* 864. Quando *ex contractu debeatur restitutio. a n.* 865. *ad* 876. Qui ex lege *teneatur restitutere. a n.* 879. *ad* 882. Quis tencatur *ex cooperatione. a n.* 883. *ad* 907. Quando *teneatur mandans. a n.* 885. *ad* 889. *et* 907. Quando *teneatur consulens. a n.* 890. *ad* 893. Quando *teneatur consentiens. n.* 894. Quando *teneatur palpo, et receptans. n.* 896. Quando *teneatur participans. n.* 897. 898. *et* 899. Quando *teneatur mutus, non obstans, non manifestans. n.* 900. 901. *et* 902. Quando *restitutio facienda sit in solidum. a n.* 904. *ad* 907. *Quando plures cooperantur ad damnum, quis prior restituere debeat. n.* 907. Quænam *sint circumstantiæ restitutionis. a n.* 908. *ad* 969. Quid, *et quantum debeat restitui. n.* 909. *et* 910. *Quid restituendum sit pro homicidio, vulneratione etc.* 911. 912. *et* 913. *Quid restituendum pro fama, et honore læso. n.* 913. *Quid restituendum pro defloratione, vel stupro. a n.* 914. *ad* 917. *Quid restituendum pro adulterio. a n.* 918. *ad* 923. Si dives *prolem exponat in Hospitali, an debeat restitue-*

re, seu compensare Pium Locum. n. 919. Cui facienda *sit restitutio. a n.* 924. *ad* 932. *Cui restituendum, si dominus ignoretur. a n.* 926. *ad* 930. *Cui restituendum, cum dubitatur, quis sit dominus. n.* 931. *Cui facienda restitutio ob furta minuta. n.* 932. Quomodo *facienda. n.* 933. *Quando facienda. n.* 934. *et* 935. An possit *differri. n.* 936. *et* 937. Quo ordine *sit facienda. a n.* 938. *ad* 942. *Quo ordine, si res restituenda non amplius extet. a n.* 939. *ad* 946. *Quo ordine, quando debita sunt privilegiata. n.* 939. *et* 940. *Quo ordine, quando adest hypotheca. n.* 941. *et* 942. *Quo ordine, si creditores sint chirographarii n.* 943. *Quo ordine, quando agitur de debitis communibus, et personalibus. n.* 943. *et* 944. *Quid dicendum de illo debitore, qui uni tantum dedit quod habebat. n.* 945. An debita *certa præferenda sint incertis. n.* 946. Ubi *restitutio sit facienda. n.* 947. *et* 948. *Ubi, et cujus sumptibus, et periculo restituendum sit a possessore bonæ fidei. n.* 949. *Quid dicendum de debitis ex contractu. n.* 950. *Quid aliud addendum circa periculum rei ad dominum remittendæ. n.* 951. *et* 952. Quænam causæ *a restitutione excusent. n.* 953. Quando *restitutio differri possit ob damnum creditoris, vel alterius. n.* 954. *Quando ob impotentiam physicam. n.* 955. *Quando ob impotentiam moralem. a n.* 956. *ad* 960. *An debitor possit differre restitutionem propter lucrum a se percipiendum. n.* 961. *Quando possit differri per cessionem bonorum. n.* 962. Quando *obligatio restitutionis extinguatur. n.* 963. *Quando extinguatur per remissionem. n.* 964. *et* 965. *Quan-*

do per compositionem. n. 966. Quando per transactionem. n. 967. Quando per compensationem. n. 968. Quando per auctoritatem superiorem. n. 969. Quid restituendum *ob famam, et honorem ablatum. n. 1013. et 1014. Quomodo fama sit restituenda. n. 1015. et 1016. Quomodo qui detraxit defuncto, vel cum libellis infamatoriis. n. 1017. An facienda sit restitutio, si detractio ivit in oblivionem. n. 1018.* Quomodo *restituendus sit honor ablatus n. 1019. et 1020. Quid excusat a restitutione famæ, et honoris læsi. a n. 1021. ad 1024.*

RESTITUTIO IN INTEGRUM. *Cui hæc competat. LIB. II. n. 645.*

RESTRICTIO MENTALIS. *Quid sit, et an licita. LIB. II. n. 414. et 415.*

REVERENTIA. *Quam reverentiam debeant filii in parentes. LIB. II. a n. 483. ad 496. Quando filii peccent contra hanc reverentiam. n. 487. etc.*

ROMANIENSES. *Vulgo* Romansi. *Hæc sunt fomentum libidinis. LIB. II. n. 602.*

S

SACRAMENTALIA. *Quæ sint, et quomodo remittant peccata venialia. LIB. I. n. 313. Vide etiam Tom. II. LIB. IV. n. 30. et seqq.*

SACRILEGIUM. *Quid, et quotuplex sit LIB. II. a n. 294. ad 298. Quid sit Sacrilegium carnale n. 576. et 581.*

SARCASMUS. *Quid sit, et quale peccatum. LIB. II. n. 1010. 1011. et 1012.*

SCANDALUM. *Quid, et quotuplex sit. LIB. II. a n. 154. ad 159. Quale peccatum sit. n. 160.*

Quot peccata committat qui dat scandalum. n. 161. 162. *et* 163. *An scandalum passivum possit permitti. n.* 164. *et* 165. *Quid dicendum de cooperantibus ad alterius peccatum. a n.* 166. *ad* 171.

Schisma. *Quid sit, et quæ pœnæ statutæ sint contra Schismaticos Lib. II. n.* 52.

Scholares. *Vide V.* Discipuli.

Scrupulosus scrupulus. *Quid sit scrupulus, et conscientia scrupulosa. Lib. I. n.* 49. *Quænam sint signa conscientiæ scrupulosæ. n.* 50. *Quænam remedia assignentur pro scrupulosis. n.* 51. *et* 52. *Quomodo scrupulosus gerere se debeat circa suspiciones, cogitationes etc. Lib. II. n.* 989.

Secretum. *Quomodo revelatione secreti diffametur proximus. Lib. II. n.* 991. *Quomodo peccet qui illud aperit. n.* 1004.

Servitus. *Quid, et quotuplex sit. Lib. II. n.* 621.

Simonia. *Quid sit, et quando committatur. Lib. II. a n.* 312. *ad* 319. *An sit Simonia aliquid dare pro celebratione Missarum, et Sacramentorum administratione. n.* 318. *et* 330. *Quale peccatum sit Simonia. n.* 320. *Quotuplex sit. a n.* 321. *ad* 326. *An Simoniam committat qui fictæ temporale promittat. n.* 327. *An semper sit Simonia vendere spirituale. n.*328. *An sit Simonia dare temporale pro habendis dispensationibus. n.* 329. *An dare temporale pro Beneficii consecutione sit semper Simonia, si adsit vexatio justa, vel injusta. a n.* 331. *ad* 334. *Quando Simonia committatur pro ingressu in Religionem. n.* 335. *An, ut efficiatur aliquod bonum opus. n.* 336. *Quænam sint pœnæ Simoniæ pro ingressu in religionem, pro*

Ordinibus, *pro Beneficiis. a n.* 337. *ad* 341. *Quid*, *si per alium Simonia committatur. n.* 342. *et* 343. *Cui restituenda sint Simoniace accepta. n.* 344. *et* 880.

Societas. *Quid sit*, *et quæ ejus conditiones*, *ut sit licita.* Lib. *II. n.* 715. *et* 716. *An in fine Societatis sit capitale dividendum. n.* 717. *An liceat assecuratio sortis*, *et lucri. a n.* 718. *ad* 721. *An liceat assecuratio solius sortis. n.* 722. *An sit licita societas vulgo* a collatico, *seu assecuratio lucri. n.* 723. *Quid sit societas vulgo* a crescere, *et an licita. n.* 724.

Sodomia. *Quid sit*, *et quomodo explicanda in Confessione.* Lib. *II. n.* 588. *Quænam pœnæ statutæ sint contra sodomiticos. n.* 589.

Specificatio. *Quando specificatione rei dominium acquiratur.* Lib. *II. n.* 630.

Spes. *Quare vocetur virtus Theologalis.* Lib. *II. n.* 2. *Quid*, *et quotuplex sit*, *et quale objectum. n.* 61. 62. *et* 63. *An detur in peccatoribus*, *damnatis*, *animabus purgatorii*, *et in beatis. n.* 64. *et* 65. *Quæ sit necessitas Spei Actus eliciendi. n.* 66. *Quæ sint vitia Spei opposita. n.* 67. 68. *et* 69.

Sponsio. *Quid sit*, *quando licita*, *et quando illicita.* Lib. *II. n.* 766. *et* 767.

Statuæ turpes. *Quale peccatum sit conficere*, *tenere*, *vel aspicere has turpes statuas.* Lib. *II. n.* 598.

Stuprum. *Quid sit.* Lib. *II. n.* 576. *Quæ pœnæ statutæ sint contra stupratorem. n.* 579. *Quæ sint obligationes stupratoris. ibid. Quid restituendum sit a stupratore*, *vel defloratore. a n.* 914. *ad* 917.

Subsannatio. *Quid sit*, *et quale peccatum.* Lib. *II. n.* 1010. 1011. *et* 1012.

Superbia. *Quid, et quotuplex sit. Lib. I. n.* 316. *Quale peccatum sit. n.* 317. *et* 318. *Quænam peccata ex superbia oriantur. a n.* 320. *ad* 332. *Quænam sint ejus remedia. n.* 332.

Superficies. *Quid sit. Lib. II. n.* 621.

Superstitio. *Quid sit Lib. II. n.* 278.

Suspicio. *In quo differat a dubio, opinione, et judicio. Lib. II. n.* 984. *Quando est temeraria, et quando fundata. n.* 985. *et* 986. *Quale peccatum, si sit temeraria. n.* 986. *et* 988. *Quid addendum circa personas scrupulosas. n.* 989.

Susurratio. *Quale peccatum sit. Lib. II. n.* 1005.

T

Tactus turpes. *Quando sint peccata. Lib. II. n.* 594. *et* 595.

Tentatio dei. *Quid, et quotuplex sit. Lib. II. n.* 292. *et* 293.

Testamentum. *Quid, et quotuplex sit. Lib. II. n.* 780. 781. *et* 782. *Qui possint testari, et quot testes requirantur. n.* 783. *An possit revocari. ibid. An testamentum factum absque solemnitate obliget in conscientia. a n.* 654. *ad* 657.

Testis testimonium. *Qui sint falsi testes, et quomodo peccent. Lib. II. n.* 971. *Ad quid testes teneantur. n.* 972. *An qui occultat veritatem, reus sit falsi testimonii. n.* 973. *et* 974. *Quid dicendum, si testis cogatur ad testificandum. n.* 975. *An testi liceat falsum deponere ob proximi utilitatem. n.* 976. *Ad quid testes teneantur. Lib. III. n.* 253. *ad* 258. *Qui, et quot testes requirantur in matri-*

monio. LIB. *IV*. *n*. 421. *et* 422. *Tom*. *II*.

THESAURUS. *Ad quem spectet thesaurus inventus*. LIB. *II*. *n*. 624. 625. *et* 626.

TRADITIO. *Quando Traditione acquiratur rei dominium*. LIB. *II*. *n*. 633.

TRIBUTA. *An sint solvenda*. LIB. *II*. *n*. 610.

TUTORES. *Ad quid teneantur Tutores*, *et Curatores erga pupillos*, *et minorennes*. LIB. *II*. *n*. 533.

U

USUCAPIO. *Vide V*. Præscriptio.

USURA. *Quid*, *et quotuplex sit*, *et quando committatur*. LIB. *II*. *a n*. 702. *ad* 705. *et* 709. *Si mutuatarius det pignus*, *an mutuans ejus fructus absque usuræ labe possit percipere*. *n*. 706. *Quænam Propositiones damnatæ sint circa Usuram*. *n*. 709. *Ubi Usura prohibeatur*. *n*. 710. *An liceat petere mutuum ab usurario*. *n*. 711. *Ad quid teneantur usurarii*, *eorum hæredes*, *et ad usuram cooperantes*. *n*. 712. *Quænam pœnæ statutæ sint in usurarios*. *n*. 712. 713. *et* 882. *An ab usura immunes sint Montes Pietatis*. *n*. 714. *Quando usura committatur in societate*. *a n*. 718. *ad* 722. *Quando in Cambio*. *n*. 726.

USUS. *Quis sit*. LIB. *II*. *n*. 619.

USUSFRUCTUS. *Quis sit* LIB. *II*. *n*. 620.

UXOR. *Quid debeat in maritum*. LIB. *II*. *n*. 536. *De quibus bonis possit disponere*. *n*. 616. 617. *et* 618.

V

VAGI. *Ad quas leges hi teneantur*. LIB. *I*. *a num*. 112. *ad* 118.

Vanagloria. *Quid, et quale peccatum sit. Lib. I. n.* 322. *Quæ sint ejus filiæ. a n.* 323. *ad* 331.

Vana observantia. *Quid sit; et quid ad eam reducatur. Lib. II. n.* 283. *et* 284.

Vectigalia. *An sint solvenda. Lib. II. n.* 610.

Venatio. *An die festo sit permissa. Lib. II. n.* 446. *An Clericis sit permissa. Lib. III. n.* 58. *Quomodo peccent Clerici Venatores. n.* 59. *Tom. II.*

Venditio. *Quid sit. Lib. II. n.* 658. *Quænam res vendi possunt, et emi. n.* 660. *et* 661. *An possit vendi res defectuosa. n.* 662. *et* 663. *Quid dicendum de venditione facta cum mendacio, et fraude. n.* 664. *et* 665. *An quis possit cogi ad vendendum, vel emendum. n.* 666. Quid, *et quotuplex sit pretium rei venditæ. n.* 667. *et* 668. *An possit aliquoties carius vendi, vel vilius emi. a n.* 669. *ad* 673. *An quis possit sibi retineri excessum rei venditæ. n.* 675. *An possit carius vendi, et vilius emi pro solutione dilata, vel pecunia credita. n.* 676. *et* 677. *Qui possint vendere, et emere. n.* 678.

Verba turpia. *Quale peccatum sint. Lib. II. n.* 596.

Vigilantia. *Quam vigilantiam parentes debeant in filios. Lib. II. n.* 508.

Violentia. *Quid sit. Lib. I. n.* 9. *Quando violentia, aut vis a Legis transgressione excuset. n.* 205. *Quando dirimat matrimonium. Lib. IV. n.* 408. *et* 409. *Tom. II.*

Vir. *Quid debeat in Uxorem. Lib. II. n.* 537.

Vita Corporalis. *An quis teneatur eam conservare. Lib. II. n.* 540.

Voluntarium. *Quid sit, et quomodo dividatur. Lib. I. n.* 4. 5. *et* 6. *An voluntarium in cau-*

sa sit semper peccatum, aut saltem diminuat. n. 7. et 8. An tollatur, vel minuatur a concupiscentia. n. 15.

Votum. *Quid, et quotuplex sit.* Lib. *II. a n. 357. ad 366. Quid de voto per metum emisso. n. 362. Quænam sit materia Voti, et de iis, quæ possunt voveri. a n. 367. ad 370. An, et quo tempore vota sint adimplenda. a n. 371. ad 374. Quid de vovente absque intentione se obligandi, vel exequendi. n. 375. Quid dicendum de eo, qui dubitat, an hanc habuerit intentionem. n. 376. Quid, si dubius sit, an Votum emiserit, vel impleverit. n. 377. et 378. An Vota possint per alium impleri. n. 379.* Quæ causæ *excusent, aut deobligent a Voti implemento. a n. 380. ad 401. Quomodo cesset obligatio Voti per extinctionem, irritationem, dispensationem, commutationem; et qui possint Vota irritare etc. a n. 381. ad 401.* Quænam *sint Vota reservata. n. 390. 391. et 392. An possint dispensari sine causa. n. 394. et 395. Quid, si dubitetur, an causa sit sufficiens. n. 396. Quid sit commutatio Voti. n. 397. An commutari possint sine causa. n. 398. 399. et 400.* Quid *differant inter se Voti extinctio, irritatio, dispensatio, et commutatio. n. 401. Quando Votum irritet Matrimonium.* Lib. *IV. n. 396. et 397. Tom. II.*

Vulnus, Vulneratio. *Quæ vulneratio vetita sit in V. Decalogi Præcepto.* Lib. *II. n. 549.*

FINIS.



LIBER I.

291. Distinguntur	distinguuntur

LIBER II.

9. obstineri	obtineri
157. qua Pharisæi	quia Pharisæi
253. adorationem	ad orationem
393. supradicta	supra, dicta
468. quid in filii	quid filii in
502. Etsi	Et si
510. acriter si	acriter sint
587. aliaque	aliqua
624. in sequentis	insequentis
682. emere vel	emere totum, vel
723. qui fit	quod fit
788. inter dixisset	interdixisset
790. in justitiæ	injustitiæ
814. *irrationabiter*	*irrationabiliter.*
846. Histrionia	Histrionatu
856. in quam nos	inquam hos
916. et si	etsi
943. mutans	mutnans
972. si reus	si putatus reus
1008. hominive	hominesve
1032. vel ad duos summum	vel duos ad summum
1061. ne jejunare teneatur	ne jejunare quis teneatur.

